Smithsonian Institution Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS IV. PARS I.

LIPSIAE, MDCCLV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfrè, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

QH
7
C66
v. 4
SCNHRB

I.

Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des Inſectes par CHARLES DE GEER, Chambellan du Roi, Membre de l'Acad. et de la Soc. Roy. des Scienc. de Suede et Correſpondant de l'Acad. Roy. des Scienc. de Paris. Tom. I. A Stockholm, de l'imprimerie de L. L. Greſing, 1752. 4. 3 alph. pl. 23. Tab. aen. 37.

hoc eſt:

Commentarii ad hiſtoriam inſectorum illuſtrandam ſpectantes auctore, CAROLO DE GEER. Tom. I.

Serius quidem, quam quod ipſius pertractati argumenti ratio poſtulare videtur, elegantiorum horum commentariorum mentionem nunc facimus, ſed, cum iis citius potiri nequiuerimus, ſtudioſe vero res expoſitas fuiſſe deprehenderimus, noſtros etiam, ad quorum forte notitiam ii nondum peruenerunt, lectores eo, quod in percurrendis iisdem percepimus, oblectamento priuare nefas duximus. Verum quidem eſt, plurimos in inſectorum hiſtoria occupatos fuiſſe viros celeberrimos, quorum ſtudio effectum eſt, ut multa et plurima declarata ſint momenta, ex quibus unicum

excitaſſe ſufficiet REAVMVRIVM, quem ita quoque Noſter ſecutus eſt Ill. Auctor, ut ad plenius eum intelligendum varia illius viri ſcripta conſulenda ſint: attamen nec hic cum obſeruationum, a ſe inſtitutarum, rationem reddat, nouarum rerum deſcriptiones deſiderari poterunt. Erucas autem atque papiliones et phalaenas ex inſectis praecipue ſibi conſiderandos ſumſit Ill. Auctor, quorum natales metamorphoſesque ſimul cum internarum partium non nullarum deſcriptionibus accuratisque iconibus, ad naturae exemplaria factis, proponit aeque ac illuſtrat. Commentationes itaque habentur ſeptem et decem, quarum *duae priores* obſeruationes in genere de erucis et papilionibus continent, *tertia* agit de erucis glabris, pedibus ſedecim inſtructis, *quarta* de erucis ſimilibus, ſed circa undecimum corporis annulum cornu incuruato praeditis, *quinta* de erucis villoſis, villis ex tuberculis prodeuntibus, ſedecim pedum: *ſexta* de eius modi erucis ſine tuberculis pilos habentibus: *ſeptima* de iis, quarum villi pectinati conſpiciuntur: *octauum* de erucis ſedecim pedum ſemiuilloſis, aut rarioribus pilis inſtructis: *nona* de erucis ſpinoſis ſedecim pedum eorumque papilionibus: *decima* de erucis quatuordecim pedum, ſex nimirum ſquamoſis et octo intermediis membranoſis, quibus vero ultimi annuli pedes deficiunt, *undecima* de erucis decem pedum, quae vulgo geometrae vocantur, *arpenteuſes*, duodecima de iis, quarum intermedii pedes membranoſi magnitudine diſcrepant, *decima tertia* de erucis, quae folia plantarum conuoluunt vel connectunt; *quarta* et *decima* de iis, quae intra foliorum membranas cuniculos agunt; *decima quinta* de iis, quae in gallis, gemmis et radicibus vegetabilium viuunt, *decima* ſexta de erucis, tineis ſimilibus, *chenilles teignes*, et eruca aquatica; *decima ſeptima* tandem de inimicis erucarum, praecipue de ichneumonibus eorumque vermibus. Erucarum expoſitioni

ubique

DSI

ubique fere papilionum doctrinam ſubiunxit. Hunc vero pertractatorum corporum naturalium elenchum eam ob cauſam hic repetendum eſſe credidimus, quod de ſingulis vix pro rei dignitate dicere nobis liceat: breuiter itaque quaedam tantum ex permultis adnotabimus.

Poſtquam in *prima* commentatione de varietate coloris, in erucis obſeruanda, de habitaculi eorum diuerſitate aliisque conditionibus expoſuit, SWAMMERDAMII incitatus exemplo, internam earum ſtructuram diſſecando perſcrutatus eſt Ill. Auctor. Aperta ſcilicet cute, canalem inuenit longum, per to- p. 8.
tum corpus procedentem, qui oeſophagum, ventriculum, inteſtina et anum, ſiſtit, in quo praecipue, cum eundem cylindricum propoſuerint alii, per interualla conſtrictiones aliquas obſeruauit. Ab huius latere utrinque tenuior, circumductus autem et vario complicatus modo, canalis extenditur, inferius caecus, quantum conſpici potuit, ſuperius ſub ore tenuiſſimo orificio utrinque patulus, qui ſericeorum filorum materiem continet. Porro cum ſtigmatibus canalis fuſci coloris communicat, frequentiſſime ramoſus, et ex ſpiralibus fibris artificioſiſſime conſtructus, qui tracheas ſiſtit, aeremque per totum corpus diſtribuit. Tandem alia contorta et varicoſa vaſa circa poſteriorem corporis partem repunt et variis factis gyris, quod Ill. Auctor primo detexit loco, in anum terminantur, luteolo humore plena ſunt, quo eruca internam folliculi ſuperficiem inungit, quique per anum excernitur. Reliqua interior cauitas contextu celluloſo pinguedinoſo plena eſt. Sub hoc fibrae muſculares rectae et obliquae, nec non tranſuerſales, ad annulos diſtribuuntur. De medulla ſpinali vero aliqua adhuc erat dubitatio Ill. Auctori, quippe quam SWAMMERDAMIVS adeſſe adſeruerat, praeteriuerat vero REAVMVRIVS; hanc itaque, in dorſo facta p. 13.
diſſectione, remotis iam dictis partibus, a capite ad

 ex-

extremam partem continuatam detexit Noſter, nodoſam, et ex nodis tamquam gangliis, ramoſam, ſimplicem atque duplicatam eam in primis in ſphynge detexit et cum reliquis partibus in iconibus propoſuit. De ſingulis autem ſigillatim etiam ſtudioſe expoſuit et per varias diuerſarum erucarum diſſectarum exempla confirmauit. Licet haec ſtructurae relatio omnibus ſit communis, in quibusdam tamen ſingulares accedunt partes, v. c. in eruca ſalicis duplici cauda inſtructa*, quae liquorem, ſi tangitur, diſpergit,
p. 28. in qua ſub oeſophago et ventriculo detecta fuit veſica longa, inflata et liquore plena, quae productiore
p. 32. collo ſub capite aperitur. In alia deinde eruca ſedecim pedum, quae truncos arborum inhabitat, ſimiles veſicas duas, humore foetido plenas, conſpexit, cuius vero utilitas ea propter nondum poteſt determinari, quod nihil de eo conſtet, niſi quod in rodendo lignoſo opere adiumento eſſe videatur. De
p. 45. reſpiratione inſectorum et chryſalidum porro diſſerit Ill. Auctor, cuius rei momenta alibi iam adduximus **, et tandem hybernacula ſeu eas, quae ad perferendas hyemis iniurias neceſſariae ſunt, ſtationes perpendit, quae ſub quadruplici fiunt forma, ut vel ouum vel eruca, vel chryſalis, vel papilio ſit inſectum. Quinta enim ratio, ut eruca in chryſalide absque metamorphoſi hyemem tranſigat, parum diuerſa eſt.

p. 52. Altera iam commentatio ſingularia papilionum
p. 58. comprehendit notatu digna momenta. Ex his annotamus, colorem papilionum, qui ab illo erucarum ſaepiſſime differt, non numquam tamen cum illarum colore accurate conuenire, exemplis probat Ill. Auctor. Elegantia barbularum ſeu ornamentorum, quae ad linguae receptaculum pertinent, nec non plumularum, quibus alae inſtruuntur, et ſquamae vocantur

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 41.

** ibid. Vol. III. P. II. p. 234.

vocantur a REAVMVRIO, conſideratio, poſt haec expoſita, mirifice delectat, quippe cum in his varia conformatio deprehendatur. Fortuna vero fauente, p. 72.
contigit Noſtro, ut in ala papilionis eandem, quam de alis muſcarum propoſuit REAVMVRIVS, fabricam detegeret, duplicatam nimirum eſſe membranam, quarum altera alteri imponatur ſic, ut nerui ſeu venae transcurrentes etiam ex duplici ſemicylindro ſibi iuncto efformentur. Hydropicam enim, in lucem editus, ſecum adduxerat alam papilio, unus ex illis, quibus alae albae ſunt, neruis nigris inſtructae. Ex qua ſimul fabrica patere adſerit, quare facile poſt natiuitatem plicatae membranae expandantur, et exſiccatae huius rei disquiſitionem impoſſibilem reddant. Porro cum lingua, quae poſt natiuitatem in ſpiram p. 77.
conuoluitur, experimenta fecit, eamque recentem et nondum conuolutam, poſt tres quatuorue horas, a corpore reſectam, ſponte ſua ſe contrahere et explicare viciſſim inuenit, quae conditio tamen in adultiore papilione repetita, nunquam adfuit. De ſtig- p. 78.
matibus, reſpirationis organis, in papilione eorumque numero dubitatio eſt penes inſectorum perſcrutatores, haec autem felici tentamine a Noſtro accuratius definitae ſunt. Inſtituta ea propter eſt obſeruatio in papilione, quem ex chryſalide ſua partui proximum protraxerat, ſi quidem in hoc ſtigmata pilis nondum obuelantur, humidis adhuc et retrorſum corpori adplicatis. Sunt eorum tot, ac in eruca, octodecim, octo priores annuli utrinque unum obtinent, nonus ultimusque eodem carent, membranacea pars, quae colli inſtar caput cum ſcuto thoracico nectit, itidem unum par habet, ut ſumma ſit cum eruca conuenientia. Quoniam vero in eruca decurrunt vaſa ex hiſce ſtigmatibus, haec etiam cum illis papilionis nexum habent, nunc autem extra uſum conſtituta, in chryſalide remanent. Vltimo tandem loco partes erucarum, quae ad generationem faciunt,

 utrius-

utriusque ſexus peruestigauit, in femina elongatam cylindricamque papillae inſtar, eminentiam inuenit, quae membrana tegitur, cui ab utroque latere ſquama plana, piloſaque adſtat. Deliteſcit autem illa in annulo ſquamoſo, duro, ſubtus duabus inciſionibus inſtructo, quae cum ante dicta parte cohaerent, et rimam etiam transuerſam hic detegendam contegunt.

p. 89. In declarandis autem partibus, quae ad marem pertinent, paulo fuſior eſt Cl. Auctor, et a Reaumurianis obſeruationibus non nulla diuerſa inuenit. Eſt nimirum in ultimo eorum annulo, qui abſconditus latet, omnis, quae ſexum diſtinguit, machina recondita; conſtat vero ex duabus ſquamoſis partibus, quae interius duabus laminis adhaerentibus et recuruis augentur, quibus a parte dorſi tertia accedit, triangularis formae, in ſummitate uncinata. His itaque partibus tum interiora conteguntur, tum in congreſſu, forficis inſtar papilio poſteriorem femellae partem comprehendendo firmius tenet, id, quod eo conuenientius contingit, dum ad interiorem partem denticulatae lamellae accedunt. His partibus ſub forma cylindrica tubi ſubeſt anus, et huic demum ſubiicitur pars, quae ſexus maſculi ſignum eſt, breuem cylindrum ſiſtens, ſemimembranoſum et ſemiſquamoſum, quae, dum premitur, elongatur et capite paruo inſtruitur.

p. 91. Haec ſine diſſectione obſeruantur: de interioribus itaque partibus poſt ea ſic diſſerit Ill. Auctor, ut feminarum partibus explicationem maſculinarum ſubiungat. Deſumſit autem eas ex phalaena: In hac ſcilicet, aperto ventre, occurrit aceruus, ex rotundis granis quaſi collectus, arcte inter ſe iunctis et non niſi cum labore a ſe inuicem ſeparandis, quo tamen facto, in quatuor in utroque latere ramos ſecedunt, et tubarum, *trompes*, nomen a Noſtro accipiunt. Hi rami prope ouarium, quod eſt coniunctio duorum ductuum, in unum maiorem truncum coeuntium

tium

tium, confluunt, ab altero extremo etiam inter ſe communicant. In his vero oua deliteſcunt et creſcunt, viridia colore, quorum ſingulus ramus circiter ſexaginta complectitur, ut facile in uno papilione quadringenta et octoginta numerare poſſis; ne tamen longitudine ſua obſint, medio loco replicantur. Ad ouarium porro, ſic dictum, tres adhuc partes adhaerent, nempe parua et rotunda veſica, deinde alia, illaque duplicata, elongata, in canalem tenuem anguſtum, varieque contortum terminata, humorem viſcidum in ſe continens, quo oua, dum in lucem eduntur, inter ſe conglutinantur, et tandem paullo inferius tertia, ex reliquis facile longiſſima, cum ano etiam communicans. Aliam eius deſcriptionem dederunt MALPIGHIVS et REAVMVRIVS. Noſter unicam obſeruauit, denſiore ſeu viſcidiore liquore vel ſubfuſco repletam, qualis a papilionibus reiicitur, quare hancce veſicam receptaculum excrementorum verum eſſe, non ſine ratione ſtatuit.

In papilione mare vaſa intus latent ſpermatica, p. 95. longe contorta et alba colore, haec cum ſupra dicta parte, pene ſcilicet, cohaerent, utrinque unum eſt, eorumque conuolutio admiranda, et in fine globulus quaſi adhaeret, qui, num pro teſticulo haberi debeat, in ambiguo relinquitur. Color enim globuli ſaepe variat. Inter ſe autem haec vaſa, ut in femina, tubae mediante filamentoſo pinguique corpore nectuntur, de quo REAVMVRIVS putat, nutriendae erucae cauſa datum illud fuiſſe, quod ea propter Noſter in dubium vocat, quoniam in papilione eadem quantitate adeſſe deprehenditur, ut pro vera pinguedinis ſpecie debeat haberi. Tandem muſculos aliquos, p. 98. tum annulis interiectos eosque colligantes, tum poſticae partis in mare ſquamas regentes, memorantur et oſtenditur, veſicam, quae ad anum prope eſt, vere receptaculum faecum eſſe, utrique ſexui conceſ-

A 5 ſum

ſum. Hucusque deſcriptae partes omnes ac ſingulae accurate in iconibus ſiſtuntur.

p. 100. In *tertia* iam commentatione per ſpecies eundo erucarum papilionumque hiſtoriam Ill. Auctor exhibet. Sequitur et hic methodum Reaumurianam, coniungendo ſpecies erucarum, quibus eadem eſt externa figura, licet papilionum occurrat diuerſitas, in his glabrae villoſae, ſine et cum tuberculis, ſubdiuiſiones non ſolum, ſed nouas etiam commentationes ſibi vindicant. Omnium deſcriptiones a nobis expectare non poterit beneuolus lector, quam diſtinctam dare ſine iconibns non poſſumus, monet autem Noſter de his inſectis, quae in Suecia rarius ob frigoris diuturnitatem obueniunt, ſuas ſe inſtituiſſe obſeruationes in Belgio, circa annum huius ſeculi triceſimum ſeptimum.

p. 102. Agit itaque primo de erucis glabris ſedecim pedum, et inter has de eruca ſatis magna grate viridi, tribus radiis longitudinalibus albis inſtructa, variis quae plantis hortenſibus veſcitur. Hae menſe ianuario ferme in Belgio perfectae conſpiciuntur, per diem quieſcunt, nocte demum graſſantur, plantasque deuorant, poſt metamorphoſin comparet phalaena variegata, antennis conicis granulatis, lingua lutea inſtructa. Hosce diuerſiſſimos colores graphice depingit Noſter, et tandem phalaenam pertinere docet ad tertium genus REAVMVRII, quarum alae

p. 109. ſuperius ventri ſe accurate applicant. Secunda eſt eruca glabra, magna, fuſca, in quocunque annulo duabus lineis nigris notata, nec non tribus longitudinalibus luteſcentibus, edax plurium plantarum. Et hae nocte demum e terra progrediuntur, colore variant, perſaepe totae virides ſunt, quam conditionem REAVMVRIVS iunioribus tantum adſcribit, Noſter tamen admodum paruam iam fuſcam, et conſtantiorem deprehendit obſeruationem, virides eſſe feminas, fuſcas vero mares. Reliqua cum priore fere

conue-

conueniunt. Tertio loco ſequitur eruca viridis, tri- p. 113.
bus radiis longitudinalibus luteolis praedita, corporis
pilis longis nigrisque donata. Pili ex annulis rarius
progrediuntur, ut inter glabra ea referri adhuc po-
tuerit: id ſingulare habet, ut in extremitatibus plus,
ac ſolet, contrahatur eruca, phalaenas producit,
quarum alae macula ouali, obſcure viridi notantur.
Quarto loco mentio fit erucae glabrae, cum tribus p. 116.
tuberculis carnoſis corniformibus, dorſo inſiſtenti-
bus, in ſalice et quercu reperiunda, *ziczac* dicta,
eam ſaepius deſcriptam habemus a FRISCHIO etiam,
notante Cl. Auctore, depictam, colorum varietas au-
tem aliquando ludit. Cornua retrahere poteſt et in
corpus ſuum reducere. Phalaena antennas habet
barbatas, et, quod nunc ſimul animaduertit Noſter,
ſcutum pectorale, binis appendicibus ceu auriculis
inſtructum. Ouula, quae ex albo vireſcunt, et na-
turalia dicuntur ab Ill. Auctore, non impraegnata
vocat FRISCHIVS, quippe cum vera coeruleo ſuper-
biant colore. Quinta hic deſcribitur eruca glabra, p. 123.
viridis, radiis albis, tribus maculis obſcuris in dorſo
inſignita, urticae foliis paſta, quae, licet ſedecim
habeat pedes, geometrarum tamen modo progredi-
tur, applicando ſcilicet intermedios ſquamoſos pedes,
quarto, quinto ſextoque, annulo incuruatis. A REAV-
MVRIO deſcripta fuit, varia tamen ratione ab eius
obſeruationibus recedit Ill. Auctor. Chryſalis in con-
uolutis urticae foliis fit, et ſequenti demum anno ex
ea phalaena exit, antennis filiformibus praedita, lin-
guaque ſpirali. Alas in angulum acutum ſibi iun-
gunt, *en toit a vive arrête*, ſpecificus vero eorum
character eſt: duae lineae nigrae tranſuerſales ala-
rum ſuperiorum, quae maculam nigram triangula-
rem excipiunt, faſciculi piloſi in pectore et dorſo
eminentes et duae ouales maculae circa oculos. Sex- p. 132.
ta eſt eruca glabra, viridis, punctis conicis paruis,
nigris, ſquamoſisque diſtincta, linea alba utrinque
decur-

decurrente, in frangula deprehendenda. Haec praeter conſuetudinem poſterius anguſtior eſt, ac anterius, ventre applanato, dorſo eleuato, tactu aſpera, tempore metamorphoſeos filo circumducto ſeſe ſuſpendit, admodum tamen laxo, quam uniuerſam metamorphoſin accurate deſcribit Noſter, chryſalidem efformat angularem, quae ampliſſima vagina comprehendit alas, intus latentes, exit papilio coloris citrei, inter quos ſulphureo pallidoque colore quidam ſunt, quos feminas eſſe certo affirmat. Antennas habent breues obtuſe cuſpidatas, alas, dum quieſcunt, ſurſum erigunt ad perpendiculum. *Eſt papilio hexapus, alis angulatis flauis, puncto ferrugineo.* LINN. F. Suec. 795.

p. 146. *Quartus* commentarius recenſet erucas glabras ſedecim pedum, in undecimo annulo corporis ſui ſpeciem cornu incuruati habentes, eorumque papiliones. De quibus generalia quaedam adnotat Ill. Auctor, eas nimirum cute vel tuberculata, *la peau chagrinée*, vel laeui inſtrui, capite porro eſſe vel ouali vel triangulari, habere pedes ſedecim, in metamorphoſi inde prodire phalaenam antennis priſmaticis donatam. Has conditiones etiam in variis ſpeciebus earumque deſcriptionibus et accuratis iconiſmis confirmat, ex quibus primum tenet locum: Eruca glabra, viridis, poſtice cornuta, cute tuberculata, capite triangulari, ex populo nigra. De cornu, quod ſquamoſum et durum eſt, GOEDARTVS in uniuerſum putat defenſionis cauſa fuiſſe datum, Noſter vero, inſtitutis tentaminibus, mobile illud non eſſe inuenit, ut utilitatem eius ea propter definire non audeat. Eſſe vero tuberculis obſitum copioſiſſimis, auctae magnitudinis figura monſtrat. Phalaena quieſcens, alas poſiturae parallelas obtinet, ventremque iis non contegit *, et praeter

* In multis conuenit haec deſcriptio cum illa FRISCHII

praeter morem linguam habet perbreuem; unica vice in ſpiram contortam. Deinde deſcribitur eruca magna glabra, nigra, villoſa, poſtice cornuta, anterius craſſa, inflata, ex lyſimachia ſeu epilobio. Haec a variis auctoribus deſcripta, a GOEDARTO *elephas*, aliis *porcellus*, vocatur, eadem, notante Noſtro, a FRISCHIO deſcripta eſt, ſed ex vite *. Phalaena inde producta, varietate colorum mirabili variat modo, quam accuratiſſime et fuſe deſcribit Ill. Auctor. Huic ſubiungitur eruca glaberrima, coloris oliuae inſtar viridescentis, maculis magnis ſulphureis, oris nigris, cornu poſtice rubro inſtructa, ex gallio floribus luteis. Similem ex eſula cum phalaena inde oriunda deſcribit FRISCHIVS **, quam eandem cum hac eſſe iudicat Noſter. Phalaena, eleganter picta, alis corpus non tegit, ipſaeque alae ſuperiores inferiores ex parte tantum contegunt. Alia poſt recenſetur eruca glabra, cum cornu nigro in poſteriore parte, corpore coloris ex albido caeruleſcentis, transuerſis nigris ſulcis inſtructo, capite ex luteo fuſco. Haec, quamuis, quod amat, vegetabile inuentum non fuerit, primo tamen loco accuratius hic conſcripta eſt. In chryſalide primo productiorem partem, circa caput ad pectus continuatam, obſeruamus, quam REAVMVRIVS naſum vocat, quamque Noſter ad recipiendam linguam datam eſſe variis comprobat argumentationibus. In phalaena mare porro ſub alis ſuperioribus hamum piloſum adfixum

p. 154.
p. 162.
p. 169.

SCHII *in Beſchreibung von allerley Inſecten in Deutſchland.* Part. II. no. 2. tab. II. cum phalaena. Haec vero in tilia deprehenſa fuit. Putamus autem, ſaepius collatis inter ſe conuenientiis, tandem veros ſpecierum characteres et varietates innoteſcere poſſe.

* l. c. Part. XIII. n. 2. p. 4.

** l. c. P. II. n. 12. p. 43. tab. XI.

fixum deprehendit, quem in phalaenis maſculis fer-
me omnibus praeſentem eſſe notat, cuius tamen ve-
ram utilitatem nondum definire audet Ill. GEERIVS.
Habet phalaena antennas prismaticas, colorem fuſcum
cum cinereo mixtum, alis in baſi fimbria alba no-
tatis.

p. 177. A glabris hiſce erucis nunc in commentario *quin-
to* ad hirſutas, tuberculatas, cum ſedecim pedibus,
tranſitus fit, quarum etiam phalaenae deſcribuntur.
Harum quinque diuerſae adducuntur ſpecies, quae,
optime monente Ill. REAVMVRIO, ex tuberculorum
numero poſſunt determinari, cum reliquae partes
p. 178. inter ſe ſaepius conueniant omnes. Ex his itaque
prima eſt: Eruca brunna, ſex tuberculis inſtructa,
variis arboribus inhaerens, quae lepus, *le Lievre*, aut
vitis eruca vulgo dicitur. In accurata omnium par-
tium deſcriptione adnotat Noſter, villoſum erucae
habitum ex pilis fieri, qui in omni longitudine pro-
ductionibus variis exaſperati et quaſi ſpinoſi ſunt, ſi-
mulque traditam de illa REAVMVRII expoſitionem
emendat. Phalaenae antennas habent barbato-plu-
moſas, linguam breuem, bifidam. Eſt in LINN.
p. 185. Faun. Suec. no. 823. Sequitur porro: Eruca vil-
loſa, nigra, decem tuberculis inſtructa, maculis ru-
bris albisque in dorſo, lateribus linea alba vel citrina
notatis, ex alno, betula et ſalice. Variant hae ratio-
ne coloris, quare, ut ad certitudinem deueniat ſcru-
p. 191. tator, quinque momenta proponit Ill. Auctor, ma-
cularum ordines et colores deſignantia, et ſubiungit
erucam villoſam tuberculis faſciculato-piloſis praedi-
tam, pilis ad latera deflexis, maculas habentem ma-
gnas in dorſo, ſulphurei coloris ex populo et ſalice.
Eſt in LINN. Faun. Suec. n. 822. et alibi ſaepe deſcri-
pta. Deinde recenſetur eruca villoſa, nigra, lineis
transuerſis, ex albo luteſcentibus notata, cum tu-
berculis quatuor rubris ex ſalice. Phalaena inde pro-
diens antennas oſtendit barbatas, elinguis eſt, brun-

ni

ni et cinerei coloris, cuius alis ſuperioribus faſcia lata obſcuri coloris inſcripta eſt. Huic phalaenae prout plerisque aliis, inimicae ſunt muſcae, quae in ouulis, in corpus earum immiſſis, latitant, mutantur excluduntur que: ex hac enim vidit Ill. Auctor prodire muſcam, duabus alis inſtructam, cuius icones ſimul proponit. Notanda etiam eſt eruca, ultimo loco p. 198.
deſcripta, maxime villoſa, nigra, quae pilos rubicundos habet, et duodecim tubercula, plerumque echinata dicitur; ut enim nihil de eius colore et reliquis dicamus conditionibus, peculiare illi eſt, quod ſit carniuora, quarum exempla quaedam in hac potiſſimum claſſe dari, alii iam obſeruarunt. Inſtituit autem huius veritatis indagandae cauſa tentamina Noſter; et detracto alimento vegetabili, quod tamen ſemper praeoptant, coegit erucas, ut vermiculos deuorarent, quos eo tempore auidae ſunt aggreſſae. In his praeter ea, quod pilos ex faſciculis longiores ſolent telae, in qua chryſalis deliteſcit, immiſcere, tuberculorum, eas ſuſtinentium, veram obſeruauit fabricam, ſingulus ſcilicet pilus inſiſtit papillae ſingulari paruae et nigrae, medio foramine pertuſae. An et hi pili, ut in reliquis animalibus, ſuas habent bulboſas radices?

Cum his erucae et phalaenae, in *ſexto* commen- p. 205.
tario deſcriptae, conueniunt; habent autem hae nulla tubercula, ſed pili immediate ex cute ſeparatim prodeunt. Pilorum etiam numerus variat, aliae totae, aliae ſemipiloſae videntur, aliae phalaenas, aliae papiliones ſuppeditant, ipſi pili vel ſurſum, vel deorſum ſpectant, nunc longi, nunc breues. Propoſita p. 210.
ex his exempla ſunt ſequentia: Eruca villoſiſſima, citrini coloris, pilis longis, ex ſalice et alno. Procedit inde phalaena antennis filiformibus conicis et granulatis, lingua ſpirali, albiſſima, punctis maculisque nigris adſperſa. Porro eruca pilis breuibus, p. 216.
ſeriebus longitudinalibus luteis coeruleis albisque

mixta

mixta, ex geranio batrachioide. LINN. Spec. 681. no. 28. Eſt varietas illius, quam REAVMVRIVS *la Livrée* vocat, a FRISCHIO iam deſcripta *, emendatior tamen et accuratior ac illius deſcriptio. Phalaenae antennas barbatas habent, linguam vix euidentem, color maris eſt ex luteo albus, ſeries linearum fuſcae, feminae brunnus, ſeries luteae. Alae inferiores an-
p. 221. tice maiores, ſuperiores prae his eminent. Sequitur eruca profunde lutea pilis breuibus, maculis nigris, ad longitudinem poſitis, in ſocietate viuens, ex ſalice, quercu et acere. Plerumque gradientes poſteriorem corporis partem ſurſum tollunt, et poſteriores pedes intus retrahere valent. Chryſalis in duas vel quatuor poſtice terminatur ſpinulas. Phalaenae in primis in mare, antennae barbatae quidem ſunt, ſed ſingulari ratione: faſciculos enim pilorum oppoſitas per interſtitia obtinent. Accuratas quoque pha-
p. 229. laenas depinxit FRISCHIVS **. Poſt recenſetur eruca magna corpore ex luteo fuſco ſuperius, nigro inferius, cum maculis albis luteisque, pilis breuibus tecta, ex ſalice: Haec nullibi clare deſcripta, ſi tangitur, extrorſum ſe torquet, corporique applicat caput. Phalaena antennas habet barbatas, linguam nullam, coloris eſt fuſci, rubicundi, nubeculis gryſeis mixti, et alae praecipue inferiores prae ſuperiori-
p. 235. bus multum ob latitudinem eminent. Tandem huc refertur eruca nigra, paruis albis luteisque pilis donata, quorum poſteriores in utroque latere in ſeriem congregantur, in ſocietate viuens, ex pado. In noſtris regionibus peruulgares illae ſunt, papilionem praebent, antennis globulo terminatis: omnes fere auctores dederunt deſcriptionem. LINNAEVS nominat: *Papilionem hexapoda alis rotundatis albis, vannis nigris.* Faun. Suec. n. 796.

Septimum

* l. c. Part. X. n. 8. p. 10.

** l. c. Part. XI. n. 26. tab. IV.

Septimum commentarium erucae conſtituunt, qui- p. 242.
bus pili pectinati ſunt, et ſedecim pedes; nec non earum phalaenae. Hae omnes id commune habent, ut pectines pilorum pilos eiusdem contineant longitudinis, quibus plerumque inſunt faſciculi, ſuis tuberculis innati, et undecimo annulo inhaereat faſciculus penicilliformis, ut porro omnes ſedecim inſtruantur pedibus, octo intermediis, duobus poſterioribus membranaceis, exhibeantque phalaenas. Noluit Ill. Auctor claſſes conſtituere, de quatuor enim ſequentibus tantum refert: Eruca villoſa lutea, praedita pectinibus et faſciculis, cum ligulis transuerſalibus nigris, in coniunctione annulorum, autumno occurrens in pyro, caſtanea aliisque arboribus. Diuerſitas a ſimili, quam deſcripſit REAVMVRIVS, pluribus declaratur, tum quod ad erucam, tum quod ad phalaenam, an in climate lateat ratio, Noſter dubitat. Phalaena antennas habet barbato plumoſas, linguam vix ullam, alis quiescendo ventrem accurate tegit, quarum color gryſeus eſt, faſciis transuerſalibus undulatis et fuſcis, in LINN. Faun. Suec. n. 828.
Altera eſt eruca nigra, quatuor pectinibus luteolis in p. 253.
dorſo, ſimul cum quinque faſciculis nigris penicilliformibus, inſtructa tuberculis rubris, variarum arborum hoſpes. Perfrequens illa eſt. Subtiliores hic adduntur obſeruationes et naturae conuenientes figurae, magna eſt eruca feminam phalaenam datura, phalaena antennis barbatis, elinguis, femina aptera,
LINN. Faun. Suec. n. 827. Adiungitur porro eruca p. 261.
nigra valde villoſa, pectinibus dimidio nigris et albis in dorſo, faſciculis longis nigris, nec non alia ex al-
ba luteola, nigris faſciis notata ex betula, cuius pha- p. 265.
laena antennis gaudet filiformibus, lingua perbreui et dimidia fuſca eſt, et dimidia ex cinereo albicans, quarum deſcriptiones ſpecialiores conſulendae ſunt apud Ill. Auctorem.

Octauus porro *commentarius* procedit ad contemplandas erucas ſemiuilloſas, ſedecim pedibus inſtructas. Ad has pertinet: eruca magna viridis, tuberculis roſacei et aurei coloris, ex ſalice. In his tubercula diuerſae longitudinis pilis exornantur aſperis, rigidisue, chryſalidem itidem ſpinoſam in folliculoſo rete abſcondunt eoque denſo, cuius orificium alterum, quo ſuo egredi poſſit phalaena tempore, apertum deprehenditur, in coloribus etiam maculisque
p. 280. alarum ſexus differt. Eruca nigra tredecim maculis oualibus magnis in dorſo, pilis remiformibus ex alno, deinde recenſetur, cuius pili a baſi tenuiori lateſcunt, remorum inſtar, phalaena antennis conicis inſtruitur et granulatis, lingua nulla, coloris eſt cinerei nigricantis, cum duabus maculis albis, ut in ala ſupe-
p. 282. riore. Poſt adducitur eruca nigra, tuberculata, duabus ſeriebus macularum ex aurantio rubrarum notata, in primo annulo cornu carnoſo duplici inſtructa, ex ſedo, quod anacampſeros vulgo dicitur. Cornu eſt emiſſile poteſtque retrahi, papiliones inde proueniunt antennis longis, globulo terminatis, magni, alis oculatis inſtructi. Differt tamen, quod, ut ſolenne eſt his erucis, nec filo chryſalidem adfigit, nec eam angularem habet. Eſt LINN. Faun. Suec. 802.
p. 288. Tandem additur eruca parua, millepedis forma, ex frangula. Et huius deſcriptio extat apud LINN. Faun. Suec. 803. Folia in media ſubſtantia, non in margine deuoranda aggreditur, et foraminibus eadem pertundit. Papilio antennis clauatis ſuperbit, coloris autem ratione varietates quaedam obſeruantur.

p. 296. In *nono commentario* conſiderationem ſuſcipit Ill. Auctor erucarum ſpinoſarum ſedecim pedum, earumque papilionum, quae a duris et ramoſis pilis hoc nomen habent. Ad unum omnes papiliones ſuppeditant, pleroſque ex iis, qui nobis per omnem aeſtatem vicini eſſe ſolent, qui etſi ſex pedibus ſint in-

ſtructi,

ſtructi, quatuor tamen tantum incedunt. Chryſalides anguloſae, ſplendido ſaepe aureo et argenteo colore notatae, ad verticem ſic adfiguntur aliis corporibus, ut caput intus latentis papilionis deorſum ſpectet. Nec attinet hic notare, quasdam ſolitarias, quasdam gregarias viuere ex hac claſſe erucas. Refertur primo de eruca ſpinoſa urticae, antice ex brunno flaua, poſtice in ſuperna parte annulorum alba, quae a variis deſcripta eſt *. Deinde adducitur eru- p. 305.
ca nigra, maculis magnis aurantiis in dorſo, pedibus mediis rubris, gregatim viuens in ſalicibus. Pilos ſpinoſos inuenit auctor ſimplices, nigros longosque. Chryſalis ex fuſco cinerea, maculis roſeis magnum papilionem dimittit, quem LINN. Faun. Suec. 772 vocat: *Papilionem tetrapoda, alis angulatis nigris,* p. 310.
margine poſtico albido. Sequitur eruca nigra ex urtica, faſciis a latere citrini coloris inſignita: ſolitaria eſt, urticae folia conuoluit, chryſalidis anguli breues ſunt, papiliones coloribus eleganter variegati. LINN. Faun. Suec. 777. deſcripti.

Quatuordecim pedes habent erucae in *decimo* p. 316.
commentario enarratae, ſex ſquamoſos nempe et octo intermedios, membranoſos, quibus tamen deſunt pedes duo poſtremi annuli. Diſtinguit eas in varias claſſes REAVMVRIVS, earum paucae ſunt, ex iis omnibus prodeunt phalaenae, quaedam poſteriorem partem bifurcatam obtinent, quaedam ſimplicem et acuminatam gerunt caudam. Ex his adducitur itaque fuſe admodum atque concinne: Eruca magna viridis bicaudata, dorſo duabus magnis fuſcis maculis notata, ex populo et ſalice. Huius, cuius ſaepe ab aliis mentio facta eſt, optimam et deſcriptionem et iconismum Noſter exhibet, et, cum interiores eius partes ſuperius deſcripſerit, nunc exteriores, a prima iuuentute, et in metamorphoſi factas mutationes, omnes ſtudioſe perſequitur. Ex cauda, ſi tangitur,

* vid. FRISCH. l. c. Part. IV. n. 4. p. 6. tab. IV.

emittit cornua rubra, fila vocat FRISCHIVS, quibus ad abigenda inſecta utitur. Flexilia enim ſunt et longe emiſſilia. Dentibus praeter ea mordent, et ex capite in primis emittunt humorem aliquem, quem in oculos incidentem, acrem inuenit Ill. Auctor. Machina, qua mediante hoc contigit et hic deſcribitur et alibi *. Phalaena antennis barbatis eſt, ſine lingua, alae in cuſpidem iunguntur, ſi quieſcit. Eſt in LINN. Faun. Suec. n. 819. Alas autem gerit praeter conſuetudinem multum villoſas, et non obſtantibus inſtrumentis, quibus ſe defendere poſſit,
p. 333. haud raro ab ichneumonibus laeditur. Ad hanc claſſem pertinet etiam eruca viridis, in dorſo ſex tuberculis conico carnoſis donata, coloris in corpore ex fuſco purpurei, poſtice pedibus deſtituta, in conicum deſinens cuſpidem, ex alno. Phalaena barbatas antennas, alas ſuperiores fuſcas, transuerſa obſcurioris coloris faſcia notatas, atque in fine in hamum
p. 338. circumflexas habet. Accedit deinde eruca fuſca, maculis obſcuris undulatis, poſterius in ſimplicem cuſpidem acuminata, ex betula. Singulare huic eſt chryſalidem affigere variis filis laxis, indeque ſuſpenſam teneri, per folliculi poſterius relictum orificium expellere exutam pellem, et farinoſo puluere eſſe inſperſam. In phalaena vero antennis barbatis et lingua breui ſpirali, alas in hamum eſſe flexas, ut in antecedenti.

p. 342. Ex progreſſus ratione geometrae dicuntur erucae quatuordecim pedum, quarum deſcriptio in *commentario undecimo* datur. Hae omnes in phalaenas abeunt, quarum tamen ingens multitudo eſt, et metamorphoſeos tempore in terra ſe ſe abſcondunt. Ex his Ill. Auctor tantum ſex deſcribit ſequentes: Eruca baculi forma brunna, capite profunde fiſſo, ex ulmo.

* vid. Memoires preſentés a l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris Tom. I. p. 530. et Comment. noſtr. Vol. I. Part. I. p. 41.

ulmo. Baculum referre dicuntur eius modi erucae ob gracile rigidumque corpus. In capite fiſſo ſingularis nota eſt, corpus vero rugis transuerſalibus et alia longitudinali inſtruitur. Phalaena antennis conicis granulatis ornatur, linguaque ſpirali breui, et alis albis nigris punctulis punctatis. Deinde alia eſt: Eruca magna, brunna, tuberculata, capite integro, ex betula. Capite gaudet paruo, fere quadrato. Phalaena eſt LINN. Faun. Suec. n. 834. Papilionem refert ob alas angulatas, et earum in quiete poſitum perpendicularem. Fuſca eſt et baculi forma eruca, carneis longitudinalibus faſciis notata, capite integro, ex ſalice. Chryſalis a congeneribus non differt, niſi extremo cuſpidato et bifurcato, quae poſt nouendecim demum menſes dedit phalaenam, antennis nigris barbatis, elinguem, alis gryſeis lineis nigris undulatis, ſcuto pectorali nigris maculis obſito. Minor eſt eruca viridis, cuius annuli linea transuerſali lutea ſeiunguntur, cuius corpori ad longitudinem inſcripta eſt faſcia alba, ex alchimilla. Haec varias corporis conformationes adſumit, ſi tangitur, in terram ſe recondit, folliculo facto metamorphoſin ſubit et phalaenam cum antennis barbatis, lingua longa, alis in quiete expanſis, albis fuſcisque transuerſalibus faſciis notatam ſuppeditat. Alia eruca ſimilis, lineas longitudinales albas habet, folia vero variarum arborum, quibus utitur, conuoluit. Phalaena mas antennas longas, filiformes, articulatas habet, alas gryſeo fuſcas, easque in quiete plerumque expanſas tenet, femina vero iis fere deſtituitur. Eſt LINN. Faun. Suec. n. 921. Singulare eſt, ineunte hyeme etiam per naturam ex chryſalide prodire phalaenam, quod ſtudioſe captis experimentis confirmauit Noſter. Ex pruni tandem eruca geometra prouenit phalaena parua, paruis praedita alis, coloris variegati, in qua vidit Ill. Auctor eius ex chryſalide progreſſum factum fuiſſe per fiſſuram in ſcuto pectorali excitatam.

p. 349. p. 354. p. 358. p. 360. p. 371.

p. 374. Inaequalis magnitudinis pedes membranaceos et intermedios habent erucae, quarum tractatio in *commentario duodecimo* datur. Quarum duae ſpecies recenſentur. Altera in betula deprehenſa, ſedecim licet pedibus dotata, geometrae inſtar procedit, et intermediorum pedum primum par breuiſſimum eſt, reliqua maiora, phalaenam non dedit, prius mortua.
p. 378. Altera baculi forma, ex fuſco gryſea, quatuordecim tantum pedibus inſtructa, ſex intermedios pariter perbreues habet, qui vero corona hamulorum ornantur, et retractiles ſunt. Nec monſtroſam hanc eſſe fabricam copioſiora docuerunt exempla.

p. 384. Magna porro eſt claſſis erucarum, quibus conuoluendi et iungendi folia mos eſt, quarum disquiſitionem inſtituit *commentarius decimus tertius*. Paruae illae ſunt, ſolitarie et gregatim viuentes, phalaenae ex iis exeunt, antennis plerumque filiformibus, lingua ſpirali. His praemiſſis exponitur de variis ſpe-
p. 388. ciebus, quarum octo hic adducuntur. Prima eſt: Eruca ſedecim pedum, ex rubro obſcura, maculis citrinis, pyri folia conuoluens, quod, qua ratione efficiat, accurate deſcribitur, phalaena albidi ſplendi-
p. 394. di coloris exiguaque eſt. Secunda: Eruca ſedecim pedum viridis, nigris punctis notata in heſperide flore albo pleno habitat, cuius iuniora aggreditur folia eaque complicat. Pedes rotundi, hinc inde contractiores, circa finem adſtantem habent circulum plurium hamulorum, qui extus ſpectantes incuruantur. Chryſalides, in laxo reticulatoque folliculo delitescentes etiam hamatae ſunt, phalaenae ex albo gryſeae, in alis fuſca faſcia notantur, antennae longae ſunt, articulatae, barba complectens linguam ſur-
p. 403. ſum cornuum inſtar eleuatur. Tertia: Eruca profunde viridis, capite fuſco, variarum arborum, in primis lilacis folia conuoluens. Modus folia conuoluendi variat, phalaena, antennis filiformibus, alas habet latas, fuſcas, cum maculis obſcuris, cu-

ius

ius etiam varietas deſcribitur. Quarta eſt: Eruca p. 410.
parua, gryſei lucentis coloris, punctis nigris, in be-
tula, quae ex chryſalide ſpinoſa dimittit phalaenam,
antennis filiformibus, dilute fuſcam, macula alba in
femina, fuſca in mare, lingua longa ſpirali. Quinta p. 413.
eſt: Eruca parua, ſedecim pedum gryſea, punctis
nigris conſperſa, quae folia urticae voluit. Pedes
earum ex quatuor partibus conſtant. Phalaena an-
tennis filiformibus, conicis ſpiralique lingua inſtru-
cta, alis fuſcis, faſciis albis, alas expanſas ſingulari
modo tenet, ut poſterius angulum illae intercipiant
manifeſtum, circumuolantes autem per vices viam ab-
ſoluunt, celeriter nimirum progredientes, breuiſſi-
me quieſcunt, mox celerius procedentes. Sexta p. 418.
eruca viridis eſt, per dorſum faſcia viridi obſcura in-
ſtructa, urticae folia quoque conuoluit. Phalaena p. 421.
eſt LINN. Faun. Suec. n. 846. Septima nigra, faſciis
albis longitudinalibus, in betula habitat. Phalaena
alis totum corpus pedesque tegit, eae vero ad princi-
pium eleuatam habent criſtam transuerſam. Octaua p. 424.
viridis eſt, tribus faſciis profunde viridibus longitu-
dinalibus in dorſo diſtincta, et cerefolii ſylueſtris fo-
lia conuoluit. Sollicite deſcribit Noſter modum fo-
lia contorquendi, phalaenae alae ex gryſeo fuſcae,
ouales, planae, ſe ſe decuſſant, inter reliquas admo-
dum ſunt agiles.

Aliae internam foliorum ſubſtantiam depaſcunt, p. 431.
cuniculos agentes, quarum hiſtoria in *commenta-
rio decimo quarto* recenſetur. Viarum directionem
eandem non ſemper ſeruant, minimae ſunt, elegan-
tes phalaenas vero exhibent. Erucae plerumque p. 433.
quatuordecim pedes habent, plane nouam ſimul ſpe-
ciem inuenit Ill. Auctor, ex iis autem adduxit has:
Eruca lutea, quae autumno mali folia magnis exe-
dit areis et margines eorum conuoluit. Haec, ut
aliae, foliorum ſubſtantiam ſic erodit, ut ſuperius
tantum tenerrima ſuperſit cuticula, inferiori tamen

aliqua parenchymatis particula adhaereat. In hoc loco mutantur in chryſalidem, exit phalaena antennis filiformibus, lingua longa, alis maculis argenteis
p.440. aureisque diſtinctis et fimbriatis. Alia ex luteo albicat, in alni foliis habitans, eadem corrugans, magnasque areas exedens. Multum cum priori conuenit, phalaena parua, antennis longis filiformibus, granulatis illa inſtruitur, itidemque alis ſuperioribus luteis, maculis aureis argenteisque interſperſis, infe-
p.446. rioribus gryſeis, ad finem fimbriatis. Habitat porro eius modi eruca in roſa, cuniculos quae agit irregulares, *en galeries*, pedibus octodecim membranaceis aequalibus, nullis ſquamoſis. Singularis fabrica harum erucarum nouum conſtituit genus, a nullo deſcriptum auctore, hinc viuendi modum et transformationem uberius propoſuit Ill. Auctor, et cum vix pro vera illam habuerit eruca, tandem obſtupuit videndo prodire papilionem verum gryſei coloris, antennis filiformibus, alis fimbriatis. Maxime tamen
p.455. iis infeſti ſunt ichneumones. His adiungitur eruca minor, ſedecim pedum, gryſei coloris, granis nigris piloſis notata, ſe ſe nutriens foliis chaerophylli ſylueſtris, eo quidem modo, ut ſupernam aeque ac infernam ſuperficiem rodat. Ex chryſalide, in folliculo raro ex filis confecto, prodit phalaena alis longis gryſeis, fimbriatis, in ſuperioribus medio in loco pili eminent faſciculati, tuberculum quaſi efficientes.
p. 459. Tandem alia ſedecim pedibus inſtructa, glabra, viridis, foliorum frangulae inferiorem partem exedit. Haec eruca folliculum curioſiſſima ratione ſibi parat, a Noſtro ita deſcriptum atque depictum, ut mirari ſatis opus non poſſimus, phalaena inde egrediens antennis filiformibus ornatur, capite piloſo, alis fimbriatis, albis, maculis adſperſis fuſcis. Alarum in hac et praecedentibus formam REAVMVRIVS nominat *ailes en queue de coq*.

Cum

Cum nec gallae, nec gemmae, nec radices vege- p. 470
tabilium immunes ſint ab acceſſu inſectorum, erucas in his contentas et inde prodeuntes phalaenas recenſet *commentarius decimus quintus*, ſpeciminis itaque loco adducit Noſter, gallam pini, in qua eruca habitat, ſedecim pedum glabra et fuſca. Solus eius mentionem fecit FRISCHIUS* accuratiorem deſcriptionem hic adductam obſeruamus. Inſtituit experimenta, quibus conſtitit ab odore ſatis forti therebinthinae his erucis nullam induci noxam. Phalaena tandem ex galla, quam chryſalis duris ſquamis obſita, pertundit, progreditur antennis filiformibus, alis ſuperioribus cinereis, maculis nigris, inferioribus nigricantibus. Radices lupuli carpit eruca glabra alba, p. 487.
capite ex fuſco luteo. Chryſalides in folliculo cylindrico delitefcentes, feminae maſculas magnitudine ſuperant, et praeter omnem conſuetudinem mobiliſſimae ſunt. Phalaena hanc, prius ex illa quam egreditur, ante ſe propellens ex terra emergere facit, ipſa admodum breues antennas filiformes oſtendit, alae in femina albae, maculatae, in mare caeruleae ſunt. Pedes poſtremi ſuperius valde piloſi. Oua numeroſiſſima, celerrime emittuntur oualia, granulis ſabuli ſimilia, nigra. Cum hac conuenit alia, quae alas p. 495.
ex luteo rufeſcentes, maculis argenteis habebat, cuius eruca nondum detecta eſt. In gemma pini du- p. 498.
plex eruca latitat; exire vidit Noſter duplicis generis phalaenam, quarum altera praecipue recuruatam obtinet barbam et cornu inſtar inflexam. Nec non ſe- p. 501.
decim pedum eruca, fuſca, glabra, in gemma roſae domicilium parat, quae mutatur in phalaenam anterius nigram, poſterius iucundo ſpectaculo albam.

Singulare erucarum genus conſtituunt, tineis ſi- p. 505.
miles, nec non eruca aquatica, quae in *commentario decimo ſexto* diſquiruntur. Intelliguntur autem per eas inſecta, quae in vagina, quam ſibi exſtruunt,

 tamquam

* l. c. P. X. p. 11. tab. IX.

tamquam in habitaculo perpetuo continentur, et cum ea circumambulant, per alterum ſcilicet extremum caput emittentes. Inter has eſt aliqua, quae ex ſalicis foliis viuit, et vaginam ſibi parat, ex gramineis culmis parallelo loco ſibi applicatis, cuius papilio femina nulla alarum veſtigia monſtrat. Vix papilionis formam exprimit, ſex pedes habet, et ad extremum corpus piloſa exiſtit. Mas non deſcribi-
p. 511. tur, quo potiri non potuit Ill. Auctor. Alia eſt ſedecim pedibus inſtructa, glabra, nigricans, in ſalice viuens, itidem ex gramineis culmis vaginam conſtruens, qui vero transuerſim ponuntur, cuius meta-
p. 516. morphoſis obſeruari non potuit. Porro eruca exigua, ſedecim pedum, alba, capite fuſco, in pane ſecalino occurrit, ex qua egreſſa eſt phalaena antennis filiformibus, alis ex gryſeo cinereis, fimbriatis-
p. 517. que. Erucae porro aquaticae viridis hiſtoria exponitur fuſe, quae piloſa eſſe videtur, ex ſtratiote ſiue aloe paluſtri BAVHINI. Haec in ipſa aqua eadem perpetuo humectata viuit, ſedecim pedes habet, ſquamoſos ſex, intermedios reliquos membranaceos, hamatos, hamis in coronam poſitis. Pili, qui eſſe videntur, cum branchiis piſcium comparari poſſunt; deliteſcit enim in ſingulo eiuſque ramo vas cylindricum, cum trunco ad locum exortus cohaerens, quod praeter ea manifeſto cum tracheis communicat. Habet autem et conſueta ſtigmata, ſed dubium relinquitur, num per haec etiam reſpiret eruca. Id, quod eo magis ambiguum fit, quoniam praeter omnem naturae normam haec in oleo oliuarum per aliquot tempus integra vixerit. Folliculo chryſalidem recondit ex ſericeis albisque filis, qui vero anterius aperto orificio patet. Ipſa chryſalis utrinque ſex ſtigmatibus inſtruitur, quod mirum eſt, cum in aquis deliteſcat et aeris uſura frui non poſſit, aer tamen in folliculo haeret; chryſalis namque ſemper ſicca eſt, et experimento facto, declarauit Ill. Auctor, eam in

aqua

aqua viuere nequire, ſed facile emori; immo nec extra aquam ſine mortis periculo in aere vitam continuare. Prodiens tandem phalaena mox ex aqua emergit antennis ornata filiformibus, lingua breui. Alarum color in ſexu diſcrepat, et longitudo, quae conditiones omnes ſtudioſe declarantur.

Mentionem ad finem iniicit Noſter, phalaenae cum antennis praelongis, alis argentatis, faſcia transuerſali lutea notatis, cuius ortus et reliqua momenta adhuc latent.

Variis iam in locis, quod papiliones aliorum in- p. 545. ſectorum inſultibus exponantur, notatum eſt, ex his praecipui ſunt ichneumones eorumque vermes, quorum exinde rationem reddit in *ultimo decimo ſeptimo commmentario* Noſter. Eam tamen adeo completam, et permultis iudicio plenis deſcriptionibus locupletatam inuenimus, ut ex iis praecipua tantum commemorare ſit difficile, hinc, cum ex collectis multiplici experientia momentis claſſes aliquas ichneumonum conſtitui poſſe inuenerit, earum differentias adhuc adducere non ingratum lectoribus euaſurum eſſe ſuſpicamur. Adducit earum nouem, quae p. 558. totidem characteribus diſtinguuntur. Eſt claſſis *prima* ichneumonum antennis filiformibus conicis, pectore et ventre eiusdem craſſitiei, *ſecunda* antennis ſimilibus, ventre cylindrico, elongato, anguſto filo cum pectore commiſſo, *tertia* antennis itidem ſimilibus, ventre filo adhaerente, ſed ventre ouali, *quarta* antennis filiformibus, ventre incuruo, ſurſum conuexo, per filum pectori iuncto, *quinta*, ventre ſphaerico, in reliquis eadem, *ſexta* ventre filiformi, mediae ſuperiori pectoris parti implantato, *ſeptima*, antennis ramoſis, ſub qua una ſpecies comprehenſa ſigillatim deſcribitur, *octaua*, antennis undique aequalibus, *nona* et *decima*, antennis granulatis, ad finem amplioribus. His ſpecierum deſcriptiones ſubiunguntur magis completae. Hiſce omnibus tandem

Ill.

Ill. Auctor omnium figurarum explicationem, et nominum ſpecificorum, ad methodum REAVMVRII diſpoſitorum, explanationem addidit.

Nos vero hic finem imponimus, ſufficere enim putamus ad demonſtrandum, neminem, qui hoc amat ſtudiorum genus, pulcherrimarum harum deſcriptionum, nitidiſſimarumque figurarum, res etiam minutas lente optica ſaepiſſime auctas accuratiſſime illuſtrantium, ope carere qui velit, eſſe futurum, prout facile praeuidemus, haud aliquem extiturum, quin reliquas, de inſectis, ab Ill. Auctore expectandas, diſquiſitiones anxie praeſtoletur. Maior quidem iconibus ſplendor accedet, ſi coloribus ſuis natiuis inſectorum deſcriptorum figuras, ad viuum, ut dicunt, illuſtrare quis voluerit, hoc tamen officio exactiſſime defunctum fuiſſe AVGVSTVM IOHANNEM ROESELIVM, pictorem Norimbergenſem, nunc monemus, quippe qui in deliciis inſectorum, ſub nomine *Inſecten - Beluſtigungen* editis, quarum iam pene tres tomi extant, varias ex hic commemoratis erucis, papilionibus atque phalaenis nitidiſſime delineauerit, pinxerit atque deſcripſerit.

II.

Formulae medicinales cum indice virium, quo ad inuentas indicationes inueniuntur medicamina, in uſum medicorum praxin inchoantium editae a IOHANNE DE GORTER. Harderuici, apud Iohannem Wigmanns. 8. mai. pagg. 696. Praef. et indices plagularum dimidiatarum. alph. 1. pl. 5½.

Quando ſtudio quantaque induſtria artem ſalutarem huc uſque excoluerit Cl. Auctor, praeter alia eius ſcripta, *ſyſtema praxis medicae*, ante quatuor annos editum et a nobis ſuo tempore laudatum*, abunde teſtatur, cuius nunc utilitati inſigne addidit incrementum, *formulis* iam iam indicatis *medicinalibus*, quarum rationem lectoribus noſtris iam tradituri ſumus. Cum enim intellexiſſet, quam ſpecioſo certe modo laudes prae doctis medicis conſequerentur empirici, copiam nimirum formularum in memoria tenentes, ideoque etiam ad eas, coram aegri lectulo in ſchedulam coniiciendas paratiſſimi; e contrario autem, quam valde diuque haeſitarent medici tirones, formulam aliquam conſcripturi, licet optima artis doctrina inſtructi, attamen aut remediorum eorumque virium cognitione, aut aptas concinnandi formulas exercitio carentes: multas igitur plruimasque uſu comprobatas conſcripſerat formulas easque cum auditoribus ſuis communicauerat. Poſtquam vero ordinem quaerens, ad quem illae ita diſponerentur, ut ad morbi, vel cauſae nomen, vel therapeuticae virtutis titulum, inueniri poſſent, vario modo, multoque adhibito labore, et ſatis ingenioſe eum immutauit, donec eum, qualis nunc eſſe deprehenditur, uti reliquis faciliorem, ſic et fini ſuo aptio-

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 115 et ſeqq.

aptiorem inuenerit. Prima enim quaſi totius operis pars ſexcentos nonaginta ſex formularum continet numeros, totidem libri paginis reſpondentes. Quaelibet pagina tribus interdiſtincta eſt columnis, quarum prima ipſam formulam cum formae ſuae titulo inſcripto, altera vero atque tertia exhibent eius agendi modum, ſiue vires therapeuticas, deinde morbos ſpeciales, contra quos vis eius valet, tandemque eas corporis partes, in quarum morbis ea adhiberi poteſt. Saepe quidem accidit; ut una plures legantur formulae ſub uno numero, quae tamen pro una tantum quoad numerum habentur, quum non unius eiusdemque ſolum formae, ſed in unum etiam eundemque finem conſcriptae ſint, licet earum quaeuis aliis conſtet medicamentis. Porro eis formulis, quarum uſum reliquis Cl. Auctor habuit frequentiorem, ſub litera initiali, cuiuis formulae proponi ſolita, ℞, ſubiecit aſteriſcum, eodemque etiam ſigno tum praecipuas, quae a formula expectari poterunt, vires therapeuticas, tum eos, contra quos in primis uſurpari poterit, morbos notauit, ut ſub primum quaſi tironis intuitum primariarum remedii virtutum cadat cognitio. Quibusdam quoque formulis, praeſertim iis, quas ex aliis auctorum ſcriptis mutuaſſe videtur, vel certe, quas ab aliis adhiberi dicit, practicam de earundem uſu atque effectibus addidit animaduerſionem. Ut earum rerum omnium coordinatio eo clarius intelligatur, unam alteramque formulam cum ſuis ad latus poſitis appendicibus hic loci nunc repetere atque apponere iuuat:

47.

47.

MIXTVRA.

℞ *Aq. Menthae,*
* *Hyſſopi,*
Meliſſae āā ℥j ſs.
Theriacal. ℥ſs.
Vitae Matthiol. ʒij.
Theriacae Andr. ʒj.
Sal. Polychreſti ℈iiij.
Vol. Oleoſ. ʒſs.
Syrup. Papau. albi ʒvi.
M. F. Mixtura.

Omni hora ſumatur cochlear, in vomitu autem parua quantitas ſimul propinanda donec retineri queat.

*Anodynum,	Calefaciens,
Reſoluens,	Aromaticum,
Sudoriferum,	Carminans,
Spirituoſum,	Antihyſteric.
Diaphoretic.	Antiſpasmodicum.
Volatile.	

In

*Vomitu,	Cruditate,
*Mobilitate,	Variolis,
*Hyſteria,	Cacochymia,
*Conuulſion.	Cachexia,
*Flatibus,	Detumeſcent.
*Dolore,	Dyſtocia,
*Cardialgia,	Ructu,
*Colica,	Voluulo,
Nauſea,	Tetano,
Acido,	Terrore,
Singultu,	Anguſtia,
Febre,	Borborygmo,
Syncope,	Miliari febre,
Acrimonia,	Carebaria,
Palpitatione,	Chronicis,
Abortientib.	Ephemera,
Frigiditate,	Lumbagine,
Horrore,	Morbillis,
Inflatione,	Nephritide,
Catarrho,	Phricode.
Conſenſu,	

In Morbis

*Ventriculi,	Grauidarum,
*Neruorum,	Inteſtinorum,
*Vteri,	Lochiorum,
Renum,	Puerperarum,
Vrinae,	Menſtruantium.
Parturientium.	

101.

HAVSTVS.

℞ *Syrup. Diacod.* ℥ß.
Aq. vitae Matth. ʒj.
Hyſſopi ℥j.
M. F. Hauſtus.

℞ *Opii* gr. j.
Syrup. Capill. vener. ℥ß.
Aq. Papav. rhead. ℥j.
M. F. Hauſtus.

℞ *Syrup. Papav. albi* ℥ß.
* *Laudani liquidi* gtt. x.
Aquae Papav. Rhead.
Hyſſopi āā ℥ß.
M. F. Hauſtus.
Capiat veſpertino tempore.

* Stupefaciens,	Maturans,
*Hypnotic.	Antipyotic.
*Anodynum,	Expectorans,
*Pectorale.	Laxans,
	Opiatum.

In

*Dolore,	Abortientib.
*Tuſſi,	Mobilitate,
*Conſenſu,	Empyemate,
*Agrypnia,	Phthiſi,
*Catarrho,	Rigiditate,
Abſceſſu,	Purulentia,
Cancro,	Suppuratione,
Debilitate,	Raucedine,
Rheumatiſmo,	Dyſenteria,
Vlcere,	Miliari,
Singultu,	Dyſpnoea,
Conuulſione,	Grauedine,
Arthritide,	Aſthmate,
Contractilit.	Anxietate,
Peripneum.	Vomica,
Pleuritide,	Tetano.
Acrimonia.	

In Morbis

*Pectoris,	Reſpirationis,
Pulmonum,	Puerperii,
Glandularum,	Grauidarum,
Laryngis,	Sputi.

358.

358.

PILVLAE

℞ *Extract. Cathol.* gr. xij.
* *Reſinae Jalapp.* gr. v.
Mercur. dulc. gr. vj.
Ol. Aniſi gtt. j.
M. F. Pilulae N. vij. pro doſi.
Capiat omnes matutino tempore.

*Purgans,	Derivans,
*Reſoluens,	Antiuener.
Mercuriale,	Anthelminticum.
Euacuans.	

In

*Leucophlegmatia,	Hydrope,
*Pituita,	Acido,
*Viſcido,	Arthritide,
*Venerea lue,	Foetore,
*Cachexia,	Ozaena,
*Craſſitudine,	Tremore,
* Vermibus,	Cacochymia,
*Scabie,	Dolore,
*Cruditate,	Abundantia,
*Impetigine,	Vitiligine,
*Struma,	Acrimonia,
Motu lang.	Inſectis,
Pruritu,	Lupia,
Scirrho,	Aſcaridibus,
Cancro,	Gonorrhoea.

In Morbis

*Glandular.	Ventris,
*Inteſtinor.	Naſi,
*Cutis,	Pancreatis.

Apparebit inde, quod is, qui in *ſyſtemate praxis medicae*, a Cl. Auctore olim edito, ideoque etiam in cognitione terminorum pathologicorum ipſi familiarium, probe verſatus eſt, ceteris maiorem inde reportare poterit utilitatem, quae magis adhuc conſpicua fit ex illo *indice*, quem addidit Auctor, *formularum medicinalium generali*, qui pro altera quaſi totius operis parte haberi poterit. Hic enim ordine alphabetico ſiſtit morborum, cauſarum, partium

corporis eiusque actionum laeſarum, tandemque therapeutices titulos, quibus ſingulis earum formularum numeri adiecti ſunt, quae in iis caſibus in uſum venire poſſunt. Illi porro tituli, de quibus in iam allegato *ſyſtemate* agitur, notati ſunt litera S, adiecto ſimul illius paragraphi numero, ubi eiusdem rei explicationem in ipſo ſyſtemate inuenire licet. Inſuper in quouis articulo omnium earum formularum numeros collegit, quae omnes unam habent virtutem, licet variae ſint formae atque praeparationis; ad cuius tamen varietatem alphabetico ordine ipſarum formularum numeros ordinauit. Totam rem magis illuſtrabunt exempla:

ABVNDANTIA HVMORVM.
S. 53.

Apozema, 108.
Bolus, 546.
Clyſma, 17, 63, *et ſic porro.*
Electuarium, 210, e. ſ. p.
Hauſtus, 6, 62, e. ſ. p.
Infuſio, 414, 598, e. ſ. p.
Pilulae, 138, 357, e. ſ. p.
Potio, 6, 203.
Pulueres interni, 35, 292, e. ſ. p.
Suppoſitoria, 300.

LENIENTIA.

Apozema, 136, 224, e. ſ. p.
Cataplaſma, 84, 86, e. ſ. p.
Clyſma, 3, 168, e. ſ. p.
Collyrium, 248.
Emplaſtrum, 89.
Emulſio, 296,
Epithema, 449.
Fotus, 140, 340, e. ſ. p.
Hauſtus, 226, 306.
Lauamentum, 248, 269.

Linctum,

Linctum, 132, 306.
Linimentum, 102, 264, e. ſ. p.
Pilulae, 327.
Pulueres interni, 97.
Suffitus, 631.
Tabellae, 284, 611.

ANGINA.

S. 315.

Apozema, 108,
Cataplaſma, 20, 72, e. ſ. p.
Clyſma, 109, 117, e. ſ. p.
Collutio, 59, 199, e. ſ. p.
Emplaſtrum, 87, 404.
Epithema, 114, 116, e. ſ. p.
Fotus, 82, 83, e. ſ. p.
Guttulae, 196.
Hauſtus, 6, 8, e. ſ. p.
Lauamentum, 83, 378.
Linctum, 306, 647.
Linimentum, 189.
Mixtura, 174, 242.
Potio, 6, 31, e. ſ. p.
Pulueres interni, 624.
Spiritus, 228.
Suffitus, 118, 631,
Tabellae, 60.

Alius adhuc, qui ex iſto indice redundare dicitur, uſus a nobis commemorandus eſt. Quum enim unius morbi plures, nec ſibi numquam contrariae eſſe poſſint cauſae et eius inde etiam, et pro diuerſis ipſius effectibus, diuerſa ſymptomata, quae noui quaſi morbi ſunt: pateſcit, quam diuerſa unus idemque morbus poſcat remedia. Quodſi igitur medicus doctus compoſitos, qui ut plurimum in praxi occurrunt, morbos in alios ſimpliciores reſoluere, eorumque omnium cauſas proximas eruere, iisque meden-

di methodum ex therapia generali didicerit, acquiſita iam materiae medicae cognitione: tum ex comparatione eorum titulorum, in hoc indice contentorum, ad quos illa morbi deducit inueſtigatio, vel ſub morbi nomine, vel ſub eius cauſae vel virtutis therapeuticae titulo, remedia cuiuis morbo propria haud adeo difficulter inuenire dicitur, numero nimirum formularum omnibus iis in locis eodem detecto.

Praeter hunc indicem, cuius nunc rationem expoſuimus, alios adhuc duos adiecit Cl. Auctor, quorum unus omnium in libro comprehenſarum formularum numeros pro ipſarum tantum diuerſa forma continet; alter vero amplioris eſt ambitus et maioris etiam utilitatis. Inſcribitur ille: *index medicamentorum, quae in formulis occurrunt*, et ita conſtructus eſt, ut non omnia ſolum, quorum uſus antea in formulis praeſcriptus fuit, nomina remediorum contineat ordine alphabetico, ſed eorum etiam varias, quae in uſum venire ſolent, partes, variumque praeparandi et adhibendi modum, in ſingulis nimirum huius generis articulis earum formularum numeris ſedulo annotatis, in quibus quaeſita reperiri poſſunt ſpecimina. En exempla!

Abſinthium vulgare.

Herb, 9, 12, e. ſ. p.
Extract, 52, 219.
Succus, 342,
Conſerua, 520,
Aqua, 489,
Decoct, 557,
Syrupus, 577,
Oleum deſt, 643,
Oleum coct, 251, 265.
Sal, 37, 179, e. ſ. p.

Sambucus.

Summit, 417,

Flor,

Flor, 82, 83, e. ſ. p.
Cort. ſucc. 7, 102, e. ſ. p.
Aq. 118, 119, e. ſ. p.
Rob, 31, 32, e. ſ. p.
Ol. 24, 268.
Acetum, 88, 143, e. ſ. p.

Vtilem itaque omnino a Cl. Auctore ſuſceptum atque praeſtitum quoque fuiſſe laborem, ea, quae de eo enarrauimus, perpendenti clarum erit. Dubitamus quidem, num eum in finem conducat illud opus, quem Cl. Auctor inde promittit, ut nimirum ad ſingulos morbos ex eo depromi queant formulae, cum verae omnis morborum curationis ratio in eo poſita ſit, ut primam morbi originem in quolibet aegro detegat medicus, eique, pro diuerſo cuiuslibet aegri temperamento ac conſtitutione, diuerſa quoque applicet remedia, ipſo totius morbi eiusque cauſarum atque ſymptomatum nexu probe obſeruato; id enim niſi fecerit, ſymptomatibus potiſſimum obuiam it, certoque modo medici empirici, vel certe ſymptomatici, nomen merebitur. Eum autem omnino uſum praeſtare poterit hic liber tironi medico, ut materiae ſic dictae medicae cognitionem eo firmius ſuae imprimat memoriae, isque in apta formulas medicinales concinandi methodo fiat exercitatior. Neque negare poſſumus, multum ſane ſtudii in perficiendo hoc opere a Cl. Auctore fuiſſe impenſum, ita, ut leues hinc inde, ex aliqua fortaſſis feſtinatione, ingreſſos errores neminem ipſi imputaturum eſſe confidamus, qualis e. g. ille eſt, ubi no. 480. linimentum aliquod, ex unguento althaeae et balſamo peruuiano confectum, in morbis, praeter alios externos, ventris, meſenterii, uteri atque pancreatis, cum plumaceolis adhibendum ſuadet. Idem occurrit ſub no. 410. de unguento aliquo emollienti.

 III.

III.

CORN. ALB. KLOEKHOF, Med. Doct. de morbis animi ab infirmato tenore medullae cerebri diſſertatio. Traiecti ad Rhenum, apud Nic. a Vucht, Gysb. Tieme et Abrah. a Paddenburg, 1753. 8. mai. pl. 10.

Eſt profectò praecipua animi medicina, philoſophia: ſed ſola non eſt. Arctiſſimum, quo cum corpore coniunctus eſt animus, neceſſitudinis vinculum ſaepe hoc efficit, ut alterius mutatione alterum tum adfligatur, tum leuetur. Non raro philoſophus, aeger animo, ut ſibi medeatur, omnibus opibus, viribus incaſſum elaborat; et, ſi ſanari vult, auxilium, ut in corporis morbis, illi petendum eſt foris. Non numquam, ut animio rite medicina fiat, corpori ſimul eſt adhibenda curatio. Ab hiſce verbis initium facit Cl. Auctor praefaminis, quo Cl. GAVBIO hancce dicat diſſertationem, eiusque ſimul ſummam exprimit atque finem declarat. Culenburgi in Belgica prouincia, quae Geldria dicitur, illum adhuc vitam degere ex praefamine cognoſcimus; inter eruditos autem iam ante aliquot annos innotuiſſe conſtat, editis nimirum Traiecti ad Rhenum anno huius ſeculi quadrageſimo ſexto *opuſculis medicis*, quibus tum temporis partam gloriam et nunc indicato libro non tuetur ſolum, ſed etiam auget. Difficillimum omnino dici meretur argumentum, fere prorſus huc uſque a medicis doctoribus neglectum, certe non cultum ſatis, quod is explicare coepit, medicinalis nempe philoſophia, cui tamen feliciter ſuam dedit operam.

p. 1. Omnium rerum cognitionem aut ſenſuum, aut rationis acquiri ope certum eſt; ex iis vero, quae euidentia ſunt, multa adhuc alia, licet quoque probabiliter tantum, cruimus, dum ſimilia comparando accenſemus aliis ſimilibus. Corporis itaque humani

mani partium fabricam, et actionem et morbos, expoſituri eam aſſumere poterunt regulam: *Vt ſenſibilia, ſic inſenſibilia.* His praemiſſis, *ideam cerebri,* p. 5. *mentis et medullae cerebri communionem* Cl. Auctor adumbrat. Ἐγκέφαλος viſceris, aut inſtrumenti, liquorem aliquem ſecernentis, rationem habet. Vaſa igitur communia fere conſtituunt cerebri corticem; medulla vero, licet tubulata indeque etiam et cortici et neruis continua ſit, ab his utrisque tamen quoad indolem et fabricam diuerſa eſſe videtur. Interuentu eius omnes communes mentis fiunt et actiones et affectiones, eoque etiam et corporis et mentis, quamuis haec ab illo differat, in ſe reciproca celebratur actio. Diſpar eius quoque partium eſt conditio: una, intra eius compagem terminata, ſolis actionibus mentis; altera in neruos producta, ſenſibus motibusque voluntariis dicata. Haec porro tenuiſſima ſtamina a ſubtiliſſimo intus contento liquore ſeruantur vegeta; hinc in explicandis mentis actionibus ab hoc numquam ſeparari debent; etſi, quando mens agit, ſtamina prius moueri, quam ſpriritus, credendum ſit, quum illa ſint ſtabilia, hi vero mobiles. Eadem quoque in muſculis, quos anima vult mouere, obſeruanda erit mutatio, ob muſculi cuiusuis fibrillarum motricium, quas etiam forte tum temporis fluidum nerueum plus ſolito implet, cum neruorum ſtaminibus conuenientiam. Mutatio itaque me- p. 8. dullae, aut neruis, primum facta, ab illa ad hos, aut ab his ad illam promouenda, per ipſum nerui corpus propagari videtur. Vtrorumque ſtamina quidem mollia, attamen impreſſioni, ulterius prouehendae, aptiora certe ſunt intus reperiundo liquore, illico nempe illam perdituro. Mentis itaque et corporis communio per ſolidam cerebri medullam atque neruos, uti et ea, quae inter hos et medullam obſeruatur, per utrorumque ſolidam compagem fiat, neceſſe erit. An etiam forte proxima mentis cum neruis

 viuis

viuis quaedam eſt communio? Senſuum, motuumque voluntariorum, promtitudo, et motrix, quae aliqua fibris neruorum ineſt, facultas, credere nos illud iubere videntur; at non detegemus umquam, quod homines celare voluit ſaepientiſſimus rerum conditor.

p. 10. Quamqum vero ſtamina medullae omnem ſenſum fugiunt: *normam* tamen *indagandi morbos abditos*, vel quosdam certe, ipſius *medullae cerebri* ſuppeditant. Ad partes enim corporis ſolidas referri debent viſcerisque rationem habent, ideoque etiam ex generali hac idea eorum morbi explicari debent. Medulla porro cerebri, nerui, quorum etiam utrorumque ſtaminum eadem ratio eſt, et muſculorum tendinumque fibrae, tum fabrica et indole, tum functionibus ſuis, arcte inter ſe cohaerent, ideoque etiam prioris illius affectiones ex illis, quas de poſterioribus nouimus, diiudicare licet; quae etiam regula ad inueſtigandum illius tenorem, ſeu *vim, qua elementa mutuam cohaeſionem ſeruare nituntur*, applicari poterit.

p. 11. Quod ille vero *dari queat infirmatus*, ulterius a Cl. Auctore docetur, et quisnam ſit, *preſſe deſignatur*. Animalium, ſiue diuerſarum claſſium, ſiue eiusdem ſint ordinis, corpora eorumque ſingulae partes ſolidae pro qualibet aetate, ſexu, varioque, quem vitae uſus poſtulat, ſtatu, comparate flexilia vel rigida, ſtricta vel laxa dici poſſunt. Rigidis igitur partibus quaedam laxitas, aliisque laxis quaedam rigiditas obſeruatur eſſe naturalis, in cuius itaque utriusque iuſto moderamine naturalis earum tenor conſiſtit. Quem ad modum autem id valet de maioribus corporis humani partibus eiusue viſceribus, humorem aliquem ſecernentibus, aut ſecretum vehentibus: ita eandem quoque minutarum partium, ideoque et ſtaminum medullae cerebri, rationem eſſe, cum probabilitate quadam concludere poſſumus; quo-

quorum ergo *tenor* dici poterit *infirmatus, qui deficit* p. 13.
a tenore, qualis in certa aetate aut ſexu plerumque et ſecundum naturam obtinet. Tenoris enim ſtaminum medullae cerebri ad naturalem reliquarum partium tenorem aequa debet eſſe proportio. Nec ſingularis et cuiqne homini propria corporis dicta temperies negligi debet, ſi de morboſo medullae cerebri tenore iudicium ferendum ſit, qui vel talis in cerebro tantum, vel cum aliis cunctisue corporis partibus communis occurrere poterit.

Pergit deinde Cl. Auctor, et *proximos effectus in-* p. 16.
firmati tenoris medullae cerebri recenſet, quos eadem methodo eruit, qua iam antea uſus fuerat, eos nimirum comparando cum proximis effectibus generaliorum morborum, qui reliquas corporis partes ſolidas, ſi factae fuerint infirmae, viſcera, neruos atque fibras, affligere obſeruantur. Sunt illi: ſtaminum vel iuſto facilior flexio, qua nimis cedere ſolent impetui in illa facto; vel nimia dilatatio, qua nimium, aut alias plane non admittendum, in ſe recipiunt humorem; vel compreſſio facilis, liquidum ipſis deſtinatum excludens; vel facilis collapſus, nihil requiſiti humidi admittens, vel iuſto minor in contentum humorem renixus, indeque eius ſtagnatio et accumulatio; vel denique iuſtò maior aut minor irritabilitas, qua vel tenera nimis vel nimis hebetia ad excipiendum aut propagandum motum atque ſenſum eſſe deprehenduntur.

Quibus proximis effectibus explicatis, eorum de- p. 22.
inde *conſecutiones reſpectu animi* Cl. Auctor exponit, ad ſtaminum in primis iuſto faciliorem flexionem cum irritabilitate vel aucta, vel imminuta, coniunctam reſpiciens. Animus, dum agit, vel externa percipit obiecta, mutatione, in ſenſuum organis facta, ad medullam cerebri uſque translata; vel abſentes res, ſenſibus olim perceptas, denuo ſibi repraeſentat, illa ſtaminum cerebri mutatione, quae olim

 in

in perceptionis actione facta fuerat, nunc reſuſcita-
ta; vel permanet aliquod tempus in eodem ſtatu,
quam ipſi aut obiecti alicuius externi aut ſimilis inter-
na corporis, aut libera ſui ipſius, actio ab initio com-
parauerat; vel olim perceptas ideas cum conſcientia
ſimilis olim perceptionis tenet; vel mutuam inter
ideas claras atque diſtinctas indagat atque percipit re-
lationem; vel concluſiones format, praegreſſa hac
actione; vel, ſi corporis aliquam partem mouere
vult, certis medullae cerebri ſtaminibus certam ali-
quam imprimit mutationem, ad mouendam uſque
partem per neruos propagandam; vel denique alicu-
ius ideae gratae, aut moleſtae, aut certe inſolitae,
repraeſentatione commouetur: ideoque ſemper, dum
agit animus, cerebri ſtamina mutantur, quae inde,
ſi flexilia nimis ſimulque nimis irritabilia facta fuerint,
vel obiectorum perceptionem idearumque formatio-
nem nimis viuidam; vel luxuriantem imaginatio-
nem; vel attentionem volubilem; vel labilem me-
moriam; vel iudicii vim fallacem; vel ratiocinandi
facultatem minus rectam atque tutam; vel muſculo-
rum motus nimis citatos; vel incitatas nimis aut per-
p. 28. turbatas animi affectiones, excitabunt. Vt vero
omnes iam enarratae mentis actiones in illo caſu ni-
mis eſſe ſolent viuidae; ita quoque eas tum temporis,
quando cerebri ſtamina nimis quidem flexilia, ſed
ſimul irritabilia minus eſſe obſeruantur, nimis lan-
guidas atque tardas fore, ex iam dictis facile colligi-
tur.

p. 29. Sed ſingularum iam recenſitarum conſecutionum,
quas *primi ordinis vitia* animi appellare poſſumus,
dantur etiam *ſymptomata*, *ſecundi ordinis vitia* appel-
landa, ita, ut mens ab infirmato cerebri tenore ad
certum aliquem morbum prona, per occaſiones va-
rias, quarum cauſa ipſius etiam illius tenoris infirmi-
tas, licet alio reſpectu, eſſe poterit, medullam cere-
bri contraria ratione afficere queat, quo vel prior

con-

conſecutio praeuertatur, aut ſuperetur, vel aliquando contraria ſuccedat, v. c. Vnius obiecti viuida nimis perceptio figere poteſt attentionem alias nimis volubilem; haec memoriam, alias labilem, certae tamen alicuius ideae reddet tenacem; praeuertet affectiones alioquin praecipites, e. ſ. p. Eadem haec ſecundi ordinis vitiorum ratio atque origo, mentis tamen medicinae, quae conſolando, conſiliis, propriaque etiam aegroti virtute fit, ſuppeditare poteſt fundamentum.

Quem ad modum huc uſque allegatos infirmati p. 31.
tenoris cerebri effectus ex perſpectis ſimilibus ſolidarum partium generatim conſideratarum affectibus diiudicare atque illuſtrare potuerat Cl. Auctor: ita etiam *cauſas propiores et antecedentes*, *infirmantes* illum *tenorem*, eadem ratione indagat, eoque magis, quo clarius eſt, cauſas morborum omnibus ſolidis communes etiam cerebrum afficere, quoque ſimul eſt veri ſimilius, eodem modo medullam cerebri ſolam a cauſa laedente, illi ſoli applicata, laedi poſſe, uti alia corporis pars maior a tali, ſibimet applicata, noxam recipit. Ex illis igitur cauſis ſunt praecipuae: p. 33.
Liquorum vitalium immodica egeſtio, praeſertim in ſanguinis ſubitanea, vel quoque lenta, profuſione, vomitu aluique fluore diuturno, in ſaliuae, ſeminis, lactis, urinae, ſudoris humidique perſpirabilis, puris, ſeri, ſaniei, aut muci longa nimiaue excretione, occurrens: Illorum porro *immodica conſumptio* tum omnium in genere, tum in ſpecie eorum, quos nerui vehunt, praeſertim ſi horum liquidi inſignis copia breui temporis ſpatio conſumitur: Inſuper illorum *deriuatio* in partes, proportionato renixu deſtitutas, hinc nimium facile diſtendendas, facta, prae primis in nimia vaſorum abdominis et pectoris laxitate, in ſanguinis profuſione, aut calore externo, attendenda.

Solida-

p. 43. *Solidarum* quoque *partium* variae affectiones va-
riis illis cauſis accenſeri poſſunt: Earum ſcilicet *ma-
ceratio* dicta, ſeu minimarum fibrarum iuſto laxior
cohaeſio a glutinis, muci, aut lenti liquoris, olei,
aquae, tandemque lymphae aqueae animalis, redun-
dantia ſenſim inducta. Earum porro *inertia*, in
ſegnitie in primis cordis et arteriarum, quiete nimia
muſculorum voluntati obſequentium, et torpore
p. 50. actionum animi eiusque affectionum, conſpicua: Il-
larum deinde *diſtentio*, quae potiſſimum fit a liquo-
ris conferta transmiſſione, vini abuſu, voluptate
aut dolore, modum excedente, ab omnibus nimiis
actionibus animi, v. c. attentione acerrima, nimis
profunda meditatione, aut eius quoque vehementi-
bus diuue nimis certe continuatis affectionibus, atque
p. 59. conuulſionibus. Quibus tandem illarum annumera-
tur *compreſſio*, a nimia vaſorum ſanguiferorum, ſpe-
ciatim intra cranium ſitorum, plenitudine, aut acu-
tis febribus, iis praeſertim cum inflammatione, intra
p. 63. cranium orta, coniunctis, producta. *Venena* quo-
que, licet eorum agendi modus non ſatis pateat, in-
ter illas cauſas locum occupant; ad quas denique *im-
bellis* etiam *aetatis*, infantum, ſenum femineique
ſexus, conſiderationem, illuſtrandi argumenti gratia,
Cl. Auctor refert, in quibus nimirum actiones men-
tis, quae mediante cerebri medulla fiunt, naturaliter
tales ut plurimum eſſe obſeruat, quales in adultis ab
infirmato illius tenore fieri poſſe probauit.

p. 65. Huic deinde cauſarum ſcrutinio *rationem* ſubiun-
git *dignoſcendi morbos animi ab infirmato tenore medul-
lae cerebri* ortos. Quum igitur aliae quoque morbo-
rum animi cauſae alio ſaepe nomine aliaque ratione,
quam infirmando tenorem cerebri, in corpore, aut
animo ipſo, exiſtere queant; v. c. morbi varii, ſedem
ſuam in primis viis habentes, neglectus rationis, cu-
ra mordax, e. ſ. p.: inde primo ex abſentia harum
aliarum cauſarum ad culpandam cerebri infirmitatem
pro-

probabiliter concludimus; tutius autem deinde, illam adeſſe, iudicamus ex praegreſſarum, quae cerebro aduerſae ſunt, cauſarum recordatione; ex aliarum partium tenore, ab aliqua cauſa communi infirmato; ex neruorum ſuis effectibus perſpecta debilitate; ex ipſius denique corporis teneritudine, tenerae aetati atque ſexui ſequiori familiari.

Sequuntur aliqua *monita*, *cauſas* enarratas et iam dictam *dignoſcendi rationem ſpectantia*: quod illae nimirum non ſemper ad ſui proportionem laedere cerebrum obſeruentur, eo, vel cito ex aliis cauſis integro reſtituto, vel a natura ſatis inſigni robore morbisque reſiſtendi vi praedito: quod illae porro, ſub leui conditionum diſcrimine contrarios non numquam edant effectus: quod inſuper, licet infirmans cauſa communis ſit, non omnes tamen cerebri partes una eademque patiantur: quod antecedentes cauſae non ſemper gignant ſolitarias propiores, ſed earum una plures: quod illorum denique plures ſimul concurrere, aut iam infirmatus cerebri tenor alii cauſae, mentis actionem laedenti, accedere poſſint. p. 67.

Dicta iam monita deinceps *praeſagia*, in huius generis morbis ferenda, excipiunt, pro cauſarum diſcrimine eorumque diuerſo concurſu, quorum primaria ſunt ſequentia: Liquorum vitalium immodica egeſtio aeque ac conſumtio, ſi fuerit ſubitanea, praecipites, ſed breues; ſi lenta, pertinaces animi morbos gignit: eorum autem deriuatio mox faciles, mox curatu prorſus difficillimos, pro maiore aut minore vaſorum, liquores capiti ſubducentium, laxitatis gradu. Pro vario vitiorum, quae ſolidas partes afficiunt, gradu variaque ratione, diuerſi quoque euentus praeſagiendi ſunt. A muci, lymphae, e. ſ. p. redundantia, diuturni morbi animi; a tepidae abuſu, facilius ſuperandi; a ſegnitie cordis et arteriarum, pro diuerſis eius cauſis, etiam varii; ab ignauia, aegre vincendi; ab acutis febribus, breues; ab abuſu vini, p. 70.

lenti

lenti quidem, ſed pertinaciores; eidem, a nimis frequenti voluptatis uſu; a nimiis actionibus animi aut eius quoque perturbationibus, vix ſuperandi; a conuulſionibus iidem; ab uniuerſali plethora, curatu faciles; ab ea locali, intra cranium exiſtente eaque longa, difficillimi; ſimiles ab inflammatione; in infantibus, tractu temporis; in ſenibus, vix umquam; in feminis, difficulter perſanandi. Porro, praeſtat animi vagis laborare morbis, quam uni inhaerere imagini aut uni affectui. Quibus iam ab infirmo cerebro male eſſe coepit animo, ſi nouis ii corripiuntur morbis, et debiliores, et animi perturbationibus obnoxii magis fiunt: in ſpecie catarrhi hos animi morbos et augere et reuocare dicuntur. Triſtiſſimi autem oriuntur morbi, ſi ad cerebri iam praeſentem infirmitatem adhuc alia, mentem affligens, cauſa acceſſerit.

p. 77. Poſt haec *rationem praecauendi morbos animi*, quae in vitandis cauſis infirmantibus conſiſtit, *curandi eos eorumque ſymptomata*, quantum quidem curationis fieri poteſt, quippe quae potiſſimum in arcendis iſtis cauſis, in ſopiendis ſtaminibus nimis irritabilibus, et in iis inertibus excitandis, in remediorum uſu, quae ſolidas partes roborant, et in primis in iuſto atque prudenti animi regimine, ponitur, Cl. Auctor tradit; ſubiecta ſic dicta *ſylua monitionum generaliorum pro curandis morbis iis animi;* quibus tamen omnibus ſpecialiter iam recenſendis, ne longiores nimis ſimus, iam ſuperſedere cogimur, digniſſimis tamen, quae ab omnibus medicis prudentibus perlegantur et expendantur.

Mantiſſa tandem imponit libro finem, qua omnes ſupra enarratae infirmati ſtaminum medullae cerebri tenoris conſecutiones explicandis illis inſolitis animi elationibus, quae in non nullis aegris atque moribundis occurrere ſolent, ſufficere, Cl. Auctor probat, quum cauſarum multae, cerebrum infirman-

firmantes, turmatim in illis non numquam adeſſe poſſint aeque ac propiores conſecutionum iſtarum excitandarum occaſiones, ita, ut ab ipſo delirio propinqui tales aegri ſaepius eſſe videantur, hincque pateat, qui fieri poſſit, ut vel boni ſummis urgeantur anguſtiis, vel alii virtutum laudibus non adeo clari, gaudia tamen ſumma percipere, quin et inſignem animi elationem prae ſe ferre videantur.

Facere non poſſumus, quin librum hunc paruae quidem molis, ſed larga tamen veritatum, non abſtruſarum tantum, ſed et valde utilium, copia confertiſſimum, et multo iudicii acumine, rectoque cogitandi ordine, ac eleganti et conciſo ſtilo conſcriptum, lectoribus noſtris commendemus.

IV.

Diſſertatio inauguralis phyſiologica de pilorum uſu. Praeſide D. IOH. HIER. KNIPHOFIO, Anat. Chirurg. et Botan. Prof. P. Fac. Med. Aſſ. Ord. et p. t. Decano. Acad. Caeſ. Nat. Cur. Adiuncto et Biblioth. Reſpondente filio, IOH. GOTTFRIED KNIPHOFIO. Erfordiae, 1754. 4. pl. 5.

Poſtquam diuerſa pilorum nomina, quibus ii pro diuerſis, in quibus prorumpunt, corporis partibus, inſigniri ſolent, variaque, eorum ortum, figuram, ſubſtantiam, nutritionem, colorem, copiam, magnitudinem, denſitatem atque ſitum attinentia, Cl. Auctor propoſuit, ad ipſum pilorum uſum curatius inueſtigandum accedit. Eſt ille duplex, gene- p. 18.
ralis atque ſpecialis. In genere humoribus depurandis inſeruire pili dicuntur, ita, ut viſcoſum, pingue, excrementum per eos excernatur, relictis particulis purioribus; ſimili forſan modo, uti folia plantarum ſuccorum, ad florum ſeminumque prouentum neceſſa-

ceſſariorum, iuuant praeparationem. Excretionem illam varia probant phaenomena: Vmbra capitis nudi in pariete albo, a ſolis radiis illuſtrato, apparens: Copioſi vapores hominis, hiemali tempore laboribus valde exagitati, caput cingentes: Capilli aegrorum largo ſudore, qui morbos ſoluit, madentes: Eorum in morbis acutis atque malignis ab excretis humoribus acribus corroſorum, defluuium: Guttulae tandem iis in locis, quae pilis tecta ſunt, prius erumpentes, quam per reliquum corpus aucta perſpiratio percipiatur. Alia porro obſeruantur, quae diuerſitatem excreti illius humoris partium teſtantur: Sudoris nimirum guttulae, a capillis per caput decurrentes, praeſentiam aquoſarum; ſapor eius, ſalinarum; veſtimenta ſericea rubro colore tincta, ſub axillis ſaepe in caeruleum mutata, ſal acidum per pilos ibi excretum; induſia per aliquod tempus geſta, in primis eorum partes, quae nuchae, menti, vel axillarum, pilos attingunt, uti et veſtes, a capillis colligatis propendentibus ſordidae factae, viſcidum unguinoſum; furfures tandem pectini, ad capillos pectendos adhibito, adhaerentes, terreas, pilorum ope excretas, partes, oſtendunt. Iis porro, qui vel ab aeris calore, vel a corporis validiore motu, auctiorem experiuntur perſpirationem, et qui ſomno a meridie, aut breui poſt coenam ſumtam, indulgent, barba et capilli citius creſcunt. Quo etiam homo deprehenditur eſſe piloſior, eo etiam inſignior ipſi eſſe ſolet perſpiratio vel citius erumpens ſudor. Ex quibus omnibus clarum fieri Cl. Auctor exiſtimat, pilos ſecernere humorum excrementa, ideoque ad eorum depurationem hominibus eſſe datos.

p. 20. Vt ſpecialior autem eorum uſus magis pateſcat, ſequenti phaenomeno ſuam ſuperſtruit ſententiam. *Pili* enim, inquit, *copioſiores deprehenduntur in locis, ubi nerui principio, ſeu capiti muſculorum, ad actiones principaliores deſtinatorum, inſeruntur. Ex quo concludere*

cludere licebit: pilos inſeruire ad liquidum depurandum, (ſiue ſanguinem arterioſum, ſiue lympham intelligas,) quod muſculorum motum peragit; et ad maius horum muſculorum robur multum praeſtare. En, quae hanc doctrinam illuſtrare debent! In corpuſculo foetus aliquot menſium iam conſpiciuntur *capilli*. Hi depurant magis humorem, qui ad motum muſculorum occipitalium, temporalium et frontalium, praeſtandum requiritur. Eo vero magis haec in embryone neceſſaria eſſe iudicatur depuratio, quo uſus inſignior ab horum muſculorum motu in illo expectandus eſt, quippe qui cordis in embryone nimis adhuc exigui vim ſupplet ad fluidum nerueum, et ſecernendum, et ulterius ad omnia creſcentis corporis loca deuehendum, omnino neceſſariam. Foetus p. 22.
porro naſcens prono vertice ad uteri orificium prolabitur: eius igitur partis capitis maior compreſſio per capillos ibi ſitos iuuat eorum humorum depurationem, qui iam dictorum muſculorum, quorum aponeuroſes hoc in loco concurrunt, motum in ipſo partu magis adhuc obuium, praeſtant. Facilior enim foetus excluſio, a capillorum lubricitate iuuanda, non unicus eorum uſus eſſe poterat. Cur illi enim iam aliquot menſes ante partum aderant? Inſuper eo firmiori corporis robore gaudere infantes exprientia docet, quo denſiore ac copioſiore coma nati fuerunt. Simili modo *antiae*, ſeu pili os frontis tegentes, frontalium muſculorum iuuant motum, dum liquidum eorum depurant. Aponeurotica ſua expanſione hi muſculi per ſuturam coronalem amplectuntur durae matris fibras nerueas: hinc patere dicitur, cur veneri, aut literis, aut animi pathematis, nimium indulgentibus mature defluant antiae? *Capronae*, ſeu pili in loco, ubi os temporum frontis oſſi iungitur, obuii, muſculis, maxillam inferiorem mouentibus; *caeſaries*, ſeu pili, virorum, *crines*, mulierum, occiput cingentes, muſculis occipitalibus, ca-

put et flectentibus et extendentibus, uti et non nullis, collum mouentibus, inſeruiunt. *Cincinni*, ſiue qui inferiorem temporum partem intra malam atque aurem ornant, cum barba conueniunt. *Supercilia*, in quorum medio quinti neruorum paris primus ramus, ophthalmicus ſeu orbitalis dictus, e cranio exit, et, quae ipſa inde in actione ſua iuuari videntur, bulbi oculi muſculis, *cilia* vero illis palpebrarum, conciliant liquidum depuratum. Hinc patet, cur illis oculorum acies diu maneat, quibus ſupercilia denſa ſunt. Pili, ex naribus progredientes, *vibriſſae* dicti, et ii, qui in meatu auditorio ſuccreſcunt, in adultis quidem demum obueniunt, idem tamen, quod reliqui, praeſtant, inſuperque ſenſuum vim augent. Illi porro, qui labium ſuperius cingunt, *myſtax* iis nomen eſt, pluribus faciei muſculis proſunt, quippe qui plerique ad illam regionem terminantur, ſuosque neruos a maxillari ſuperiori dicto, ſeu ſecundo quinti paris ramo, et ſympatico minore, ut plurimum portione dura nerui auditorii dicto; accipiunt. Hinc exanthemata in labio ſuperiori viſa, venenum quaſi, a metu aut terrore vehementiore in ipſo corpore generatum, excernentia.

p. 26. Corpore robur ſuum iuſtamque magnitudinem
adepto, ex delibatiſſima alimentorum parte nunc ge-
neratur ſemen, quod, ad ſanguinis maſſam refluens,
barbam euoluit, quae liquidum depurat muſculorum
maxillae inferiori affixorum, ideoque loquelae, de-
glutitioni, ipſique ſecernendae ſaliuae prodeſt, quo
alimenta eo rectius digerantur, ideoque chylus ma-
gis adhuc laudabilis optimusque ſanguis pro ſeminis
praeparatione ad teſtes deferatur. In ſequiore ſexu
menſium fluxus non imminuit ſolum ſuperfluum ſan-
guinem, ſed eum quoque purgat a partibus impuris:
idem itaque ad generationis negotium tribuit, quod
p. 28. in potiore ſexu barba praeſtat. *Gandebalae*, ſeu pili
ſub axillis prodeuntes, nec viliorem, neque reliquis
mino-

minorem, ferunt opem: Arteriae enim axillari ſunt ea propter vicini, ut ſanguinem depurent arterioſum: A neruis brachialibus, per hanc quoque foueam decurrentibus, in actione ſua iuuantur: Omnibus denique vicinis muſculis; id, quod ex radiali horum pilorum directione concludere licet, in ſpecie autem muſculis, ſitum brachio naturalem reſtituentibus, iam dicto modo proſpiciunt. Idem coniicere licet de pilis in *dorſo carpi* externaque cubiti parte procreſcentibus. Fibrae enim motrices muſculorum, qui manum flectunt, et numeroſiores et fortiores eſſe videntur illis muſculorum extenſorum, qui igitur tenuiori magisque praeparato indigere videntur liquido ad debitos motus praeſtandos. Eadem quoque ratio erit pilorum in *extremitatibus inferioribus* ſuccreſcentium, ut ibi potiſſimum copioſi ſint, ubi tenuiores muſculi extenſores reperiuntur. Ortus tandem pilorum in *pube* germinantium, eorumque varia directio, varias inde partes, et proprias et vicinas, ſimilem recipere uſum indigitant.

Haec de generali pilorum uſu dicta ſunt. Specialem vero paucis tantum Cl. Auctor tangit, quod ſcilicet v. c. capilli ſpirituum animalium, ſupercilia et cilia lacrymarum, vibriſſae muci narium, barba ſaliuae, pubes ſeminis, iuuent praeparationem; licet quoque reliquos iam ſatis notos pilorum uſus haud neget, quod nimirum v. c. capilli defendant caput contra frigus externum; cilia radios lucis temperent, variaque ab oculis, eos inuaſura, arceant, e. ſ. p. Maiorem forte, niſi fallimur, utilitatem et certitudinem diſſertationi huic conciliaturum fuiſſe Cl. Auctorem putamus, ſi recentiorum, in primis Cl. WITHOFII*, de pilis capta experimenta in uſum ſimul vocare ipſi libuiſſet, quae nondum tamen ad ipſius cognitionem perueniſſe videntur. p. 31.

* vid. Commentar. ſocietat. ſcient. Gotting. Tom. II. p. 368. et Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 715.

V.

Diſſertatio inaug. uterum poſt partum inflammatum ſiſtens, auctore M. CHRISTIAN. GOTTHILF. KIESLING. Lipſiae ex officina Langenhemiana. 1754. 4. pl. 3½

Hunc noſtri amici b. libellum indicare, noſtrisque vel ideo commendare placuit lectoribus, ut aſſiduae eius, in morborum obſeruatione adhibitae, induſtriae documentum aliquod ipſis inde pateſcat. Quo enim cognoſcere morbos, quam curare, difficilius eſt, eo feliciorem eundem in iis inueſtigandis fuiſſe teſtis eſto uteri poſt partum inflammati, praeſens expoſitio.

p. 2. Praemiſſa breui ſtructurae uteri eiusque in grauiditate et partu mutationum hiſtoria, huius poſt partum ſemper euenire quandam inflammationis ſpeciem, eam tamen quiete, lochiorumque ope ſolui etiam,
p. 6. ſtatuit Cl. Auctor. Qua igitur hic neglecta inflammationis ſpecie, aliam eamque, ut grauiorem morbum, accuratius conſiderandam ſibi ſumſit inflammationem. Vt autem commodior ſit haec tractatio, de inflammatione quaedam generatim praefatur, quae
p. 7. ſatis nota referre hic opus non eſt. Ad ipſam uteri inflammationem quod attinet, illa cognitu valde difficilis eſt et ſaepius occulta procedit. Porro differentiam eius ſi ſpectes, vel totum uterum vel unam alteramque ipſius partem vel etiam vicinas partes occupat; atque modo profunda, modo ſuperficialis, in-
p. 8. deque vel grauis, vel leuis, eſſe iudicatur. Sequitur iam cauſarum eius inueſtigatio, atque inter easdem primo loco proximae cauſae, quae quidem eadem eſt,
p. 9. ac in omni inflammatione, nimirum obſtructio: ſingularis tamen in primis huic fauere ſolet vaſorum uteri tortuoſa diſpoſitio; eorum nimia in grauiditate diſtenſio et poſt partum relaxatio, violentaque ſaepe contractio; ſanguinis ipſius lentor et ſpiſſior facta in-

doles

doles; quibus etiam accedit neruoſi ſyſtematis nimia
ſenſibilitas. Ad praediſponentes quod ſpectat cau- p. 10.
ſas, varia feminarum conſtitutio in primis attendi
meretur. Hinc quibus firmiora vaſa, humoresque
copioſi et denſi ſunt, iuniores et aetate prouectio-
res, nec non tenerae valdeque ſenſiles feminae, huic
morbo obnoxiae ſunt. Accedunt his plurimae occa- p. 11.
ſionales cauſae, quarum praecipuas notamus eſſe
peruerſum foetus in utero ſitum, impeditumque in-
de humorum per uterum circulum; cuius ſitus ge-
mellorum exemplum a ſemet ipſo viſum deſcripſit hic
Cl. Auctor; porro uteri in partu contractio, eaque
ab irritatione, quam obſtetrices non numquam ſolent
digitis excitare, violentior facta; eiusque ab impru-
denti placentae extractione inuerſio. Sunt aliae p. 13.
etiam non negligendae cauſae: nimirum placentae
poſt partum retentio et corruptio lenta; lochiorum
vel impedita vel prorſus ſublata fluxio; capitis foetus
ſub ipſo partu abſciſſio, remanentisque corruptio et
putrefactio, cuius rei exemplum ſe ipſum vidiſſe, ca-
pitisque poſt viginti a partu dies, nouis ſubortis do-
loribus, partes corruptas eiectas fuiſſe, ſalua puerpe-
ra, Cl. Auctor obſeruat; immo alias quoque femi-
nas foetum corruptum utero diu geſſiſſe ſine incom-
modo, adnotat. Neque leuis cauſa inflammationis p. 16.
noſtrae eſſe ſolet aeris frigidi ad pudenda admiſſio, fa-
ctaque inde uteri conſtrictio, et lochiorum impedi-
tus fluxus; lactis ad mammas imprudenter ſuppreſ-
ſus adfluxus; febris, quae puerperam comitatur, a
nimis iurulento cibo, potuque ſpirituoſo, calido,
aliisque factum augmentum. Tandem violentiori-
bus animi adfectibus multum omnino hic tribuen-
dum eſſe videtur. Conſideratis itaque cauſis, ad p. 17.
ſymptomata huius morbi attendendum eſt. Ex iis
enim ipſius ſigna petuntur. Occurruut haec vel in
ipſa uteri regione et vicinis ei partibus, vel in remo-
tis locis. Tumor in primis durus in uteri regione

et dolor increſcens, pungens, varias in locis perceptus ſuſpicionem mali huius mouent; maior vero inflammationis certitudo naſcitur ex orificii uteri tumore et dolore; ex lochiorum fluxu intercepto; ex teneſmo inteſtini recti; alui obſtructione, urinae ardore et retentione. Accedunt his dolor, torpor, tumorque crurum ad genua uſque conſpicuus; capitis dolor et vertigo; nauſea, vomitus, et ſingultus; praecipua vero febris attendi meretur, quae ſaepe valde
p. 21. exigua vix cognoſci poteſt. Haec febris interdum etiam vehementior eſt grauioribusque ſtipata ſymptomatibus, quo grauiores eius praegreſſae fuerint cauſae. Pulſus celer et durus, reſpiratio anxia et breuis, delirium, tremor, conuulſio, lipothymiae, aliaque ſuperueniunt peſſima ſymptomata. Quae quidem iam recenſita omnia teſtantur de morbi ipſius
p. 22. exitu et mutationibus. Interdum igitur contingit ſtaſeos humorum in utero, ſine ſenſibili euacuatione, lenta reſolutio, quando corporum temperies adhuc bona, inflammatio modo ſuperficialis et leuis eſt;
p. 23. atque lochiorum fluxus ſuppreſſus redit. Interdum vero materiam mobilem redditam, reliquisque mixtam humoribus expellit natura, notabili aliqua euacuatione ſiue criſi. Sudore igitur ſaepe haec ſoluitur copioſo, ſaepe vero tantum incompletam criſin a re-
p. 24. ſorpta materie factam eſſe, purpura teſtatur. Quae, ſi benigna eſt, morbum ſoluit; ſi maligna eſt, ab acriori materie nata, peſſima praeſagit. Vidit Cl. Auctor aliquando ſolutam per metaſtaſin ad manus pedesque factam, natisque ibi abſceſſibus, uteri inflammationem. Interdum etiam diarrhoea ſalutaris eſt, cum leuamine nata et remiſſione ſymptomatum; illa vero, quae cum virium proſtratione copioſe fluit et inuitis aegris, mala praenunciat omnia. Praeter ea ſuppuratio quoque notatu valde digna eſt inflammati uteri mutatio. Huius eadem adnotatur, ac ipſius inflammationis, differentia; eiusdem autem

tem ſigna ſi poſtules, ad febrem cum ardore et dolo-
re fixo, pulſante, et horripilatione vaga, modo mo-
deratam, modo exaſperatam, attendendum eſt.
Certiſſimum tamen ſignum huius praebet ipſius puris
ex utero eiusque vagina effluxus. Pus illud album,
aequale, ſpiſſum, blandum ſi eſt, ſpem facit; floc-
culentis ſi mixtum partibus fuerit, eroſi uteri, vel
placentae relictae, ſigna offert. Quo citius hic ab- p. 26.
ſceſſus abſtergitur, eo melius; quo tardius, eo peri-
culoſius eſt praeſagium. Supermanent enim ſaepe
ulcera mala, eorumque pus reſorptum lente interfi-
cit feminam. Cuius rei ſingulare exemplum hic ad-
ductum legimus. Ab ulcere conſolidato factae cica-
trices feminis haemorrhagiarum, abortus, vel par-
tus difficilis, nouaeque adferunt pericula inflamma-
tionis. Gangraena interdum etiam uteri inflamma-
tionis exitus eſſe ſolet. Quando enim inflammatio p. 27.
profunda nimis et magna eſt; vel humores acriores
impetuoſius mouet natura vel medicina, febre au-
ctiori facta, ſtaſis ſimul augetur, ſponteque cor-
rumpitur materies obſtructa. Cuius gangraenae ex-
emplum vidit Cl. Auctor in puerperae cadauere, no-
no a partu die exſtinctae. Gangraenae vero ſigna of-
ferunt nobis ſub maximo febris aeſtu natus horror
internus, tremor et extremorum frigus, reſpiratio
anxia, anheloſa, aliaque peſſima ſymptomata; quae
ſubito dum ſe remittunt, omnia videntur eſſe bona;
fallaces autem hae ſunt induciae. Ipſa deinde ſanies
ichoroſa, putrida, foetida ex utero effluens certiſſi-
mum illius ſignum eſt, quae tandem, noua accenſa
febre, ſenſim corpus deſtruit. In ſcirrhum etiam p. 28.
ſaepe ob ipſius viſceris ſpongioſam fabricam abit haec
inflammatio, durique et indolentes ex vaſorum
ἐμφραξι naſcuntur tumores. Ipſum cognoſcimus
ex morbi ſine criſi facta remiſſione, ex corporis tor-
pore, pondere, obtuſoque dolore in utero relicto.

Quos quidem ſcirrhos licet ſaepe diu ferant ſine inſigni incommodo feminae, interdum tamen a leui cauſa irritata in carcinomata et cancrum abeunt, morte terminandum miſerrima.

VI.

Continuatio * epitomes aliquarum obſeruationum de rebus phyſico-medicis, in *promtuario* anglico, *viris ingenuis dicato* **, contentarum.

Qua norma in eius generis obſeruationibus, ex iam dicto promtuario extrahendis, uti conſtituerimus, olim a nobis dictum fuit, quum primam earum epitomen cum lectoribus noſtris communica-
p. 417. remus ***. Eandem igitur et nunc ſeruaturi, ex faſciculo, menſe *ſeptembri* anno 1752 edito, caſum infantis, in aqua ſubmerſi, paulo poſt vero ex illa extracti, et ab aere, follis ope in anum immiſſo, breui ad ſe redeuntis, ſilentio praetermittere non poſſumus. Extinctus iam quidem, quum traheretur ex aqua, eſſe videbatur infans, manibus prorſus nigris, oculis toruis, et lingua ex ore propendente. Pedibus apprehenſis, inuerſus ille quidem tollebatur in altum; ſine ſubſecuto tamen effectu. Quam primum autem aer iam dicto modo in ventrem fuerat immiſſus, folle decies circiter compreſſo, ſuſpiria ducere coepit ex pectore, os atque oculos mouere; illoque per aliquod adhuc tempus adhibito, ad vitam prorſus rediit, madidis deinde veſtimentis detractis, in lectum calidum delatus.

In

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 333.

** *The Gentleman's Magazine, for September - December 1752, and for the year 1753. By* SYLVANVS VRBAN. *London. 8. mai. printed by Edward Cave.*

*** vid. Comment. noſtr. l. c.

In faſciculo, qui praecedente menſe *iulio* editus p. 318. fuerat, ab anonymo datum legebatur conſilium, aegros, hydrophobia correptos, ita curandi, ut iis, in libero aere ſtantibus, ſanguis mitteretur e vena brachii, donec a virium defectu conciderent; utque ii deinde, brachio deligato, deportarentur in balneum calidum, ex aqua ſimplici et herbis aromaticis paratum, dum vires paulo recuperauerint, liquido poſtea nutrimento ſuſtentandas; tumque poſt balnei uſum panni lanei ex vino calido, cum aromatibus cocto, expreſſi, applicarentur extremitatibus, caput autem atque tempora fricarentur aceto cum vino mixto; ac ut denique haec medendi methodus repeteretur, quoties rediret hydrophobiae inſultus. Hanc tum temporis, in coniectura quadam et veri ſimilitudine ſaltem fundatam, curandi rationem exemplo nunc alicuius aegri hydrophobi confirmatam legimus in allegato menſe *ſeptembri*, quippe qui ſola tantum p. 423. venae ſectione, eaque ſemper ad animi uſque deliquium inſtituta, ſubque ſingulo morbi inſultu repetita, diro iſto malo liberatus, ac integrae ſanitati reſtitutus fuiſſe dicitur.

Tempeſtatum, qualis per ſingulos menſes fuerit Londini, morborumque ſimul occurrentium rationem inſerere ſolet Cl. Auctor ſuis ephemeridibus. Menſe *octobri* igitur inteſtinorum inflammationes re- p. 443. liquis morbis fuiſſe frequentiores, notat, quas ab abuſu nucum iuglandium, non degluptis ante membranis inuoluentibus, hoc anno valde copioſarum, ortas fuiſſe obſeruat. Illis quidem ex naturali ſua indole haud aliquam ineſſe vim nociuam, ideo tamen eas nocere poſſe, exiſtimat, quod nimirum, niſi manducationis actione ſatis comminutae, ſed ſi auide potius deuoratae fuerint, poſt aliquot dies ab aegris non mutatae aut digeſtae excerni viſae fuerint, indicio ſatis probabili, quam difficulter in ventriculo digerantur,

 tur,

tur, quamque facile ex remora, quam ibi patiantur, corrumpi et acrem rancidamque acquirere poſſint indolem. An quoque, uti Cl. Auctor putat, grauiſſimum damnum inde debet metui, quod eae, non ſatis manducatae, anguloſam induant figuram, ſuisque ideo factis cuſpidibus inteſtina laedant, in iisque diarrhoeas, dolores atque ſpaſticas contractiones, ſummamque alui adſtrictionem excitent?

p. 452. Notum illud Cl. FRANKLINI experimentum, quo fulmen ex coelo deriuare docuit, graui nobis viſae, ab anonymo quodam motae, quaeſtioni dedit occaſionem: Nonne ſimili nimirum ratione iſti nocui ac flammiferi vapores, qui ex fodinis lithanthracum, plumbi, ſtanni, aliorumque metallorum, aſcendere ſolent in auram, auferri queant? Vtilitas eius generis inuenti, ſi dari poſſit, induſtriae ac ingenii vis adhibitae, neminem ſine dubio poenitere ſinet.

p. 457. In epiſtola, ad b. MEAD olim data, quatuor obſeruationes medicae continentur, notatu haud indignae, quarum prima concernit puellam duodeuiginti annorum, ſanguineae, quam vocant, temperiei, huc uſque perfecte ſanam, quae ſubito correpta fuerat ſtrangulatu faucium, omni temporis momento vehementer ingraueſcente, qui tamen emplaſtro, ex theriaca veneta ſpirituque ſalis ammoniaci volatili, ad illam colli regionem applicato, intra dimidium horae, ab omni iſto malo liberata penitus fuerat.

Alia porro femina, cui aqua muſculos inter abdominis atque peritonaeum erat contracta, variis iam incaſſum adhibitis remediis, ſanitatem recuperauerat, abdomine ſatis profunde ſcarifato, eique cataplaſmatibus e fimo bubulo recenti in lacte cocto applicatis.

Poſt haec de ſe ipſo narrat Auctor, quod poſt diuturnam atque grauem febrem intermittentem vehementiſſimis doloribus iſchiadicis per tres annos excruciatus, ab iis autem deinde liber factus fuerit,

dum,

dum, more Indorum, in anguſto conclaui ſuper lapides candentes, et aqua aſperſa extinctos, copioſum ſudorem per pauca temporis momenta prolice-ret, poſtque illico in propinquum riuum ſe proiiciens, protinus autem ex eo in locum ſudatorium ſe recipiens, corpus probe abſtergeret. Contra pertinaciſſimos dolores rheumaticos fixos idem poſt ea aliis ſuaſit Auctor, nec umquam exoptati euentus ſpe ſe fruſtratum fuiſſe aſſerit.

Vltima obſeruatio priori quidem ſimilis, ſed magis adhuc eſſe videtur ſingularis: Vir quidam corpore infirmo, tuſſi per aliquot annos laborans pulmonali, in haemoptyſin incidit. Poſtquam varia tentauerant medici, aeger autem inde peius ſeſe habere ſentiens, ex conſilio aethiopis cuiusdam empirici, balneum calidum per ſingulos dies bis ingreſſus, in eo ad mentum uſque per tria circiter horae minuta ſedens, tumque, ex illo egreſſus, frigidam pectori ſudanti adſpergens, poſt breue tempus inde longe melius ſeſe habuit. Nec umquam poſt rediit haemoptyſis, ipſa quoque tuſſi valde imminuta.

Recentioribus anglis medicis ſaponem cum aqua p. 465. calcis ex oſtrearum teſtis praeparatae, contra calculum aliosque ſimiles morbos in uſu eſſe, ſatis iam conſtat. Vtramque hanc medicinam ſibi iungere, eiusque ideo uſum, uti et breuiorem, ſic etiam gratiorem reddere docuit Cl. HARTLEY, medicus Bathoniae degens. Immitte nimirum, ex eius praeſcripto, ſaponis hiſpanici raſi quinque libras unamque oſtrearum calcis in vas aliquod ſtanneum, et ſuperfunde quinque menſuras, (*quarts*), aquae. Coquantur ad omnis uſque ſaponis ſolutionem, et in aliud vas terreum, encauſto ſiue cruſta vitrea obductum, effundantur; quae *maſſa* deinde, *lithontriptica* Auctori vocata, per ſingulos agitata dies, libero aeri exponatur, uſque dum quoad ſaporem acquiſiuerit lenem indolem et conſiſtentiam, formandis inde

pilulis

pilulis aptam; id, quod intra duos treſue menſes fieri ſolet. Quodſi lenis quidem ſit, nondum tamen ſufficientis conſiſtentiae, ad hanc in vaſe ſtanneo ſuper igne poteſt redigi; et contra, ſi nimis cito facta fuerit iuſto durior, nondum tamen ſat lenis ſit, tum aqua debet dilui. Altera, remedium hoc breuiori quidem tempore praeparandi, methodus, illa priore tamen minoris omnino facienda, haec eſt: Calcis, ex oſtrearum teſtis paratae, uni librae affunde octo libras, (*two gallons*), aquae, quae aliquoties agitata, deinde vero iterum limpida facta effundatur, ſimul atque calx fundum vaſis petierit. Repetatur haec operatio quindecies aut vicies, uſque dum effuſa aqua pura et nullius fere ſit ſaporis; ultima deinde vice duae circiter cum ſemiſſe menſurae aquae, (*five pints*), relinquantur ſuper calcem, quae tum miſceatur utraque cum ſaponis hiſpanici raſi quinque libris, modoque coctionis iam deſcripto, in iuſtam remedii formam redigatur, quod, *electuarii lithontriptici* nomine a Cl. Auctore, propter formae ſimilitudinem, inſignitum, vel immediate poſt ipſius praeparationem, vel poſt paucos ſaltem dies in uſum vocari poterit, ita nimirum, ut, ſiue maſſam illam pilularum, ſiue electuarium adhibueris, tantum eius, quantum unam vel quoque duas continet ſaponis uncias, pro maiore aut minore dolorum, a renum aut veſicae calculis ortorum, vehementia, aeger quotidie aſſumat. Quo vehementior eſſe ſolet dolor, eo minor ab initio remedii doſis, eoque magis illud lene debet eſſe redditum. Incipientem modo calculum prorſus illud diſſoluere, uti et eximii uſus eſſe fertur in primarum viarum vitiis, ab acrimonia acida ortis, uti et in affectibus arthriticis. Qui aegri hanc medicinam aſſumere velint diſſolutam, iis dari poſſe dicitur electuarium in lacte, aut aqua; cum melle vel ſaccharo, vel pauca vini quantitate, vel ſpiritu vini, gratiore facta; aut tenui quoque cereuiſia.

Menſe

Menſe *decembri* refertur ab anonymo (P. C.) de corpore quodam, in inſulis Portlandicis inuento, quod petrae adhaeſerit, cuius etiam icon additur. Corpus globoſum, baſin praebens, nigricantis coloris eſt, magnae duritiei, fungi caput imitans, ex cuius ſuperiori parte acuminata egrediuntur varia cornua, quae vero, ſiue tangantur, ſiue ex aquis corpus extrahatur, mox ſe ſe contrahunt et collabaſcunt: tranſparent autem, vel luteolo ſtraminis colore tincta conſpiciuntur. Quum vero haec ex uno loco egrediantur, ex centro nimirum, nos lapideae marinae plantae inhaerentem polypum eſſe autumamus. p. 548.

Menſe *ianuario* anni 1753. piſcis deſcribitur, oui figuram habens, hinc *Eggfiſh* dictus, cuius verum nomen inueniri non potuit. Habet tamen haec adnotatio ſingularia quaedam, quae nos monet, ut eius iam mentionem faciamus, quippe cum fieri poſſit, ut quidam ſint futuri, qui, quae deficiunt, aliquando poſſint addere. Oualem nempe ille figuram habet, ab utraque extremitate leuiter acuminatam, per dorſum eius ad longitudinem decurrunt eminentes, coſtarum inſtar, lineae. Fuſci coloris eſt et pene nigricantis, in lateribus vero dilutioris. Omnibus deſtituitur, piſcibus alias datis ad ſe ſe mouendum, inſtrumentis, branchiis ſcilicet, pedibus, aut ſimilibus. Ex aquis extractus nullum patiebatur latitudinis decrementum, et anguſtum eminebat caput, quod vero, hamulo dum extractus fuerat, introrſum reducebat. Quo facto cauitas eo in loco fiebat, quae apicem digiti admittebat. In diſſecto porro eadem magna inteſtinorum, aquae et vaſorum, luteolo liquore plenorum, inuenta eſt quantitas; nullum vero cordis vel viſcerum aliorum veſtigium. Cutis ad internam ſuperficiem fibrae rubicundae carnis decurrebant tertiae pollicis parti craſſitie aequales; ipſa vero cutis ſatis craſſa, iis etiam remotis, in p. 17.

quaſdam

quasdam ſe ſe conſtringebat plicas, difficulter iterum explanandas. Extus omnis ſuperficies muco obducebatur, qui poſt longum tempus exire non ceſſabat, quo mediante itaque petris adfigi putandum forte eſſe cenſet Cl. Auctor.

p. 34. Breuis deſcriptio, addita tamen delineatione, datur piſcis ex cetorum genere, quem *cachelot* vulgo vocant, cuiusque hiſtoriam penes naturalis hiſtoriae, piſcium in primis, ſcriptores plures proſtant. Hic autem per maris motum per fluxum eiusdem ad oras prope *Weymouth* propulſus, in refluxu ibidem ſubſiſtere coactus fuit.

p. 39. Alia occurrit obſeruatio Cl. R. BROOKE de viro quodam honeſto, grauiſſima diu laborante lepra, contra quam, reliquis omnibus huc uſque incaſſum adhibitis remediis, aſinini lactis uſum eo modo ſuaſerat aegro medicus, ut eo ſolo, omnis alius alimenti loco, ſe nutriret, cuius uſu etiam breui prorſus conualuit. Tam ſubitaneus effectus, ſuperans ſpem medici, ipſum mouit, ut in pabulum aſinae inquireret, num in eo forte adeo mirae efficaciae cauſa lateret? Sed fruſtra; donec aluueum ex quo aquam hauſerat aſina, inueſtigaret, in eoque fruſtum reperiret croci metallorum, cuius viribus in aquam et cum ea in aſinae corpus eiusque lac tranſeuntibus, praecipuam iſtius curationis vim Cl. Auctor tribuit. En intima, inquit, natiui vegetabilis acidi cum antimonii particulis combinatio, et unica forte methodus acida tuto iungendi antimonio, ipſumque lac reddendi medicatum! Eam in primis ob cauſam id notamus, quum medicos dari nouerimus, qui phthiſicos, venerea ſimul labe inquinatos, ita curare velint, ut capris, quarum lacte illos aegros uti iubent, mercurium cum ipſo pabulo porrigant.

p. 69. Menſe *februario*. Agriculturae et eius emendationi nunc plures ſolent operam dare, hinc obſeruationis

iam

iam adducendae Auctor, per experientiam cum deprehenderit, in emendandis agris, potiſſimum, quibus ſemina raparum committuntur, magnum a fuligine expectandum eſſe adiumentum, aliquando etiam ſtercorationi praeferendum, de modo iam differit, quo eadem ſit utendum. Licet autem pleraque ad Anglorum agros pertinere videantur et illis, ut ipſe ſcribit, terris accommodata inuenerit, in quibus iam degit, noluimus tamen plane intactam praetermittere obſeruationem, quod experientia teſte comprobatum fuerit, minori etiam fuliginis quantitate inſecta atque oua eorum interfici, et laetius poſtmodum raparum ſubſequi incrementum, immo ſic praeparatam etiam terram, condendis ſeminibus hordei, adhuc poſt ſatas rapas ſufficere.

In menſe *martio* literae, a Cl. RICHARD BROOKE, ad promtuarii huius auctorem datae, in iisque, reperiuntur quaedam monita, commentarium illum de variolis, per contactum ſaltem excitandis, ſpectantia, quem olim diario huic inſerendum curauerat *. Loco enim emplaſtri, cuti adhaerentis, quo linamenta, varioloſo pure infecta, arcte contegi debere ibi dixerat, nunc ſic dictis modo puluillis atque faſcia locum inficiendum cooperire iubet, ne illa nimis arcta adhaeſione reſorptio puris cohibeatur. Porro ſe defendit contra Cl. CONYERS relationem, ad Londinenſem ſcientiarum ſocietatem ab eo datam **, de tentaminum, ideo, ut rem experiretur, ab ipſo in orphanotropheo ſuſceptorum, fruſtra exoptato ſucceſſu, cuius cauſam in larga camphorae quantitate quaerit, quae linimento iſti ſaponaceo dicto, cum quo varioloſam materiem miſcuerat, illudque deinde digitis infricuerat foueae, ſub axilla ſitae, addita fuerit, quippe quam mercurii eſſe correctorem conſtiterit, indeque p. 113.

* v. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 339.
** ibid. Vol. III. P. I. p. 52.

que inferre liceat, illam quoque variolarum contaminandi vim deſtruere poſſe; quam etiam coniecturam experimenta, a Cl. PRINGLE capta *, confirment, per quae clarum fiat, camphoram inter fortiſſima antiſeptica habere locum, adeo, ut iure quodam hariolari poſſemus, ipſi huic medicinae locum dari in ea variolarum periodo, quando nimia humorum ad putredinem diſpoſitio periculum aegris minetur. Subiungit denique quandam huc pertinentem variolarum hiſtoriam. Formoſae admodum puellae decem annorum varioloſi puris, ſicci iam a vetuſtate facti, aliquam copiam pater ipſius miſcet cum unguento pomato dicto, eiusque aliquam deinde partem illis chirothecarum, quibus ſua utitur filia, infricat locis, quae inter digitos pollicem ac indicem, et hunc inter atque medium, reperiuntur. Octauo illa die poſt varioloſa quidem, ſed valde miti, corripitur febre, quam tertio die excipiunt variolae benignae, per totum morbi decurſum nec ullum graue ſymptoma ſecum ducentes, neque ullam fere relinquentes maculam aut cicatricem. A contactu autem ſolo, nec ab inſpirato forſan miaſmate, has proueniſſe variolas ideo Cl. Auctor iudicat, quod per totum morbum omnes abfuerint capitis dolores, quos vero iis in caſibus, ubi per inſpirationem facta fuerit infectio, conſtantes ac fere intolerabiles eſſe, notum ſit. **

Ex

* ib. Vol. I. P. IV. p. 702.

** Data hac occaſione, lectoribus noſtris narrare liceat, hanc, a Cl. BROOKE commendatam, methodum in noſtro Lipſienſi publico noſocomio ante breue tempus una alteraque vice tentatam fuiſſe, euentumque ſatis felicem ſuperaſſe noſtram ſpem. Ne quid tamen reticere videamur, monendum ſimul a nobis erit, locum, inciſioni alias ut plurimum dicatum, antea frictum, deinque emplaſtro aliquo digeſtiuo per unum diem coopertum, tum vero varioloſam materiem frictionis ope applicatam, denuoque eum locum emplaſtro illo tectum, fuiſſe.

Ex iis, quae ſub nomine Agricolae II. latitans p. 120.
oeconomus, de agrorum emendatione recenſet, et quae eo potiſſimum redeunt, ut natura ſoli, ſi mala fuerit inuenta, in meliorem conuertatur, admixtione argillae, calcis, arenae &c. nunc tantum notamus, eundem ſalis etiam communis uſum ſuaſiſſe, quo inſecta perire debeant. Alius ſimul in perficiendis terris, quibus arbores deſtinantur, earumque feliciori incremento ſalem iam dictum, ſummi fuiſſe uſus memorat.

Cum DIOSCORIDES Lib. I. cap. 104. iuniperi p. 127.
baccas aliquas nucis iuglandis magnitudinem conſequi ſcripſerit, id vero, de quanam arbore intelligendum ſit, et an naturae conuenienter hoc a DIOSCORIDE memoriae fuerit proditum, dubitetur, Cl. TRELAWNEY data ad PETR. COLLINSON epiſtola confirmat, ſe ex Turcia aliquam recepiſſe baccam, huic pene deſcriptioni quoad magnitudinem conformem, quarum quaedam, terrae commiſſae, nouas plantas quidem non dederunt, docent tamen, ex antiquorum etiam deſcriptionibus nihil facile in dubitationem debere adduci, quod antea rite peruestigatum non fuerit.

Menſe *aprili* obſeruationes in D. IO. GOTTL. p. 171.
GLEDITSCH methodum botanicam proponuntur*. Quem in ſcientia botanica admodum verſatum eſſe Cl. GLEDITSCH, per varias in commentariis academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis reperiundas commentationes, nec non per nuper editum de fungis libellum, orbis literatus cognouit, inficeta admo-

* Abſque omni dubitatione hoc titulo ſignificatur Cl. GLEDITSCHII diſſ. inauguralis de methodo botanica, dubio et fallaci virtutum in plantis indice Francf. ad Viadr. 1742. 4.

modum dictione argumentisque leuis momenti aggreditur anonymus aduerſarius. Siquidem et illa vix refutatione indigent, cum honeſti viri non ſit rixationibus iniuriiſque, ſi quam cognouerit, defendere veritatem. Perlegenti autem adductam diſſertationem patebit, eum ſibi praeſcriptam habuiſſe legem Cl. Auctorem, ut monſtret, characterem botanicum, ex methodo artificiali deſumtum, ad vires cuiusdam indiuidui declarandas non ſufficere, certe conuenientia una in nota corpora in ſe, reliqua ſibi etiam eſſe ſimilia, non poſſe concludi. Et quod in climate, ſolo natali, cultura aliisque ſimilibus conditionibus eſt diuerſitas, mutationisque accedentis multiplex ratio, id, quod eum, qui experientiam conſulere et vegetabilia curatius diſquirere non detrectauerit, non poteſt latere; qua propter itaque Cl. GLEDITSCH, iudicante Auctore harum animaduerſionum, botanici nomen non mereatur, nos ſane non perſpicere poſſe fatemur.

p. 184. Eos, qui in variis rebus inaurandis victum quaerunt, male ſe ut plurimum habere conſtat a mercurii vaporibus, quos, dum ſpiritum ducunt, in pulmones ſimul trahant, neceſſe eſt. Vt igitur ii mala inde metuenda praecaueant, hoc iis datur conſilium, quo duas in officina ſua habeant fores ſibi oppoſitas, quae, ad conſeruandum aeris perflatum apertae ſemper ſeruari debent; deinde quo per totum illud operationis tempus in ore contineant aureum nummum, cui iſti inſpirati vapores nociui adhaereant. Iis vero, qui ab hauſtis iam eius ſemimetalli particulis damnum ſibi imminere putent, conſulitur, ut auri folia, in crucibulo liquefacta, et frigida iterum facta, deglutiant, quippe quae mercurium in corpore reperiundum attrahere, et per naturalem ſuam viam ex corpore ſecum ducere, dicuntur; quae facile deinde iterum colligi, ſuoque uſui repurgata adhiberi

hiberi poterunt, Sit fides omnino penes experientiam *!

E chirurgi cuiusdam, BEN. PVGH, commentario, faſciculo menſis *maii* inſerto, de variolis per inſitionem proliciendis, annotare liceat, per annum 1752 prorſus inſolitum in variolis, arte factis, obſeruatum fuiſſe ſymptoma. Ad diem enim poſt eruptionem decimum in non nullis, uno nimirum circiter ex ſeptem aegris, tumor oedematoſus cum inſigni pruritu et puſtulis miliaribus, non numquam veſicularibus et limpidum humorem continentibus, totum occupauit brachium, in quo facta fuerat inciſio, qui ad faciem et alterum quoque brachium in quibusdam aegris tranſiit. In aliis puſtulae per totum corpus diſperſae fuerunt. Oedema atque puſtulae ut plurimum euanuerunt die quarto aut ſexto, rarius ad octauum, et ſemel tantum ad decimum uſque perdurarunt; dolores raro attulere, itemque lenem febriculam. Fotus, ex aqua, lacte et ſapone cum aliqua parte ſpiritus frumenti, mane et veſperi adhibiti, et cataplaſma ex pane ſimilagineo, lacte, puluere baccarum lauri, iuniperi, ſeminum cumi- p. 216.

* Mercurium in corpore latitantem attrahi poſſe ab auro, iam olim quidem exiſtimauit LAZ. RIVERIVS. Vid. eius *Obſeruat. Centur.* II. *obſ.* 91. Ipſam quoque rem magis confirmare videtur obſeruatio SIM. IACOBI, qui pertinacem cephalaeam, a mercurio olim infricto, nec ſatis dein ex corpore expulſo, hincque caput petente, oriri viſam, ſuſtulit, nummum aureum conuolutum in nares intrudere, aliumque in ore per aliquot horas tenere iubens. Auro tum albo facto adhaeſerat mercurius, facile poſtea ſuper carbonibus auolans. Vid. ibid. *Obſeru. communicat. a* S. IACOBO *obſ.* XIII. Eidem quoque ſententiae ſubſcripſiſſe MICH. ETTMVLLERVM, medicum ſemper magni habendum, videre licet in eius *Opp. Med. Tom. I.* p. 391. et 467. Edit. Francof. ad Moen. 1696. fol.

cumini et foenu graeci, paratum, brachioque calide applicatum, profuere, inſignem profluentis ichoris copiam efficientes. Iis, quos ſexto iam die deſeruerat illud ſymptoma, medicamentum modo aluum ducens; iis vero, quos illud diutius tenebat, decoctum corticis peruuiani et radicis ſerpentariae cum fructu datum fuit. Praeter hanc obſeruationem adhuc notamus, Cl. Auctorem, dum inſitionis variolarum operationem ſuſcepturus eſt, inciſionis loco, quam ſcalpelli ope plurimi facere ſolent in brachio, aliquam cuticulae partem digitis ſaltem decerpere, eamque ad tritici grani latitudinem acuto forfice tollere, tumque linimentum paulo latius et inferiore parte varioloſo pure tinctum, imponere vulnuſculo ſolere, applicatis ſub finem operationis emplaſtro atque faſcia, aegrique naribus ac ore per illud operationis tempus ſudario quodam munitis, ne inſpiratione corpus inficiatur, quippe qua via variolas naturales forte dicendas ortum ſuum capere videri dicit. Eam ergo methodum, qua decerpitur cuticula, illi, qua lene tantum cuti infligitur vulnuſculum, ideo praeferendam eſſe exiſtimat, quod linamentum ad vulneris latus facile repat, ideoque inutilem reddat operationem. Contra Cl. BROOKE enim variolas ſolo contactu excitandi rationem, cuius paulo ante fecimus mentionem, dubia mouet, et in hiſtoria, quam ille de puella quadam ibi adduxerat, ex abſentia dolorum capitis ad variolas arte tantum factas concludi non poſſe monet, quum earum longe certius teſtimonium ex maiore variolarum copia ad inſitionis factae regionem prorumpentium deſumi poſſit atque debeat.

p. 227. Quo ſibi huc uſque minus medica reſponderunt experimenta electrica variis in regionibus inſtituta, eo magis, ut ad aliquem certitudinis gradum perueniamus, ea colligenda interque ſe comparanda eſſe

p. 379. exiſtimamus. In eodem igitur menſe *maio* incepta, et menſe *auguſto* eiusdem anni continuata, legitur hiſtoria

ſtoria de viro iuuene, intra triceſimum aetatis annum conſtituto, procceri corporis habitus ſatisque inſignis roboris, qui ex longo iam inde tempore epilepticis motibus, pectus, fauces atque linguam in primis affligentibus, obnoxius, electricitatis experimento tribus vicibus, iisque ſingulis intra unius hebdomadis ſpatium repetitis, ita ſe ſubiecit, ut, filis aliquot ferreis circa collum et pectus, ad electricam vim potiorem huc dirigendam ductis, mediante illa iam ſatis nota ampulla, ſuccuſſiones electricas experiretur. Singulis inde ſubſequentibus noctibus melius dormiuit, copioſum fundens ſudorem, tandemque poſt tentamen tertia vice repetitum, faciliorem linguae uſum recuperauit, diriſſimo ſuo morbo ſimul liberatus.

Similis alia notatuque ſatis digna hiſtoria proſtat in menſe *iunio*. Femina quinque et triginta annorum paralyſi totius lateris ſiniſtri atque linguae grauiſſima corripitur, quibus hyſterici inſultus, numquam in hac aegra ante illum morbum obuii, accedunt. Poſt duodecim hebdomades electricis adhibetur tentaminibus, quorum primum in iſto latere huc uſque frigido calorem, alterum et tertium ſequenti die eundem cum largo per noctem ſubſecuto ſudore efficiunt. Tertio die iam domeſticas aegra ſuſcipit operas, et ſexto integrae ſanitati reſtituitur, excepta aliqua membrorum, quae olim laeſa fuerant, infirmitate. Notemus adhuc, eam humi proſtratam et ſemper violentiores hyſterici mali inſultus expertam fuiſſe, quoties ſuccuſſiones electricae nimis validae, tribus praeſertim adhibitis ampullis, fuerant. p. 268.

Menſe *auguſto*. Animalia ſibi inuicem inimica eſſe, copioſa extant exempla; item inter inſecta fieri, docet hiſtoria naturalis, nec formicarum inter ſe conflictus certo tempore inſtituti, latent naturalium re- p. 265.

rum perſcrutatores, de quibus Cl. LINNAEVS in Act. Stockholm. 1741. p. 240. iam retulit. Hic autem notando confirmatur exemplo, formicas luteas atque nigras, in acie ſtantes per plures dies dimicaſſe ſtrenue. Adduxit nimirum Auctor obſeruationis in hortum, in quo aceruus nigrarum formicarum iam olim continebatur, alium, lutearum, cui prope illam nigrarum conceſſit ſtationem. Plures utrinque occiſae ſunt, tandem tamen cedere coactae luteae, locum remotiorem, in quo delitescebant, quaeſiuerunt, ſed hic etiam detectae, ex horto ſenſim fugatae fuerunt omnes, ut locus refugii detegi nequiuerit.

p. 178. Chemici proceſſus, ſal conficiendi tartari in eodem deſcribuntur faſciculo, qui vero non cum ipſo, qualis ex parietibus vaſorum, in quibus vinum reconditum fuit, excutitur tartaro, ſed cum cryſtallis inde paratis, inſtituti fuerint. Optimi nimirum tartari, in puluerem non redacti, facta ſolutione et conuenienti inſpiſſatione, inuenit Auctor cryſtallos variae magnitudinis atque coloris, pro differentia nimirum operae, quae in exſiccatione adhibetur, produci. Has decenti ratione ſiccas redditas, pondere duarum librarum, leni ab initio igne, poſt vehementiſſimo urgere ſuſcepit: qua ratione ex iis ſpiritus volatilis, vapores nubium inſtar, vas implentes, oleumque obtinetur. Sal oleumque parietibus firmiter adhaeret, niſi quod partes grauiores attinet, quarum quaedam in fundum recipientis ſubſident, quaedam vero cryſtallorum ſub forma praecipitantur. Quum vero ſumma horum principiorum ſit volatilitas, praeter id, ne auolent, curandum etiam eſt, ut lenta fiat deſtillatio. Oleum non foetidum, nec ſpiritus odore ingratus percipitur, cryſtalli etiam dictae ad ignem admotae, gratum et balſamicum ſpirant odorem. Salem porro in aqua pluuia Cl. Auctor ſoluit, oleumque in filtro relinquitur, quum vero aliqua etiam

iam pars aquae admiſceatur, rectificatione depurandus eſt. Volatilem vero ſalem in retorta ſublimatum, niuis albedinem conſequi monet.

In diſſolutione tartari opus eſt, ut commoueatur, ipſaque in calido loco ſuſcipiatur, in reſiduo tamen arenulae ſuperſunt, non reſoluendae, in cryſtallina corpora quae abeunt, acicularum capitum magnitudine. Tranſit autem et penetrat liquor ſolutus lapidea vaſa, et per eorundem poros tranſſudans perditur. Ex reſiduo in filtro relicto, ſpiritus ſatis bonus, parum olei, vix aliquid ſalis volatilis habetur. In aeneo vaſe ſi deſtillatio inſtituitur, producta immaniem, qui perferri non poteſt, acquirunt foetorem; vitrea pariter afficiuntur, lapidea conueniunt melius. Inter cryſtallos aqua pluuia diſſolutas et optime albas haeret ſpecies cremoris, cuius naturam alio tempore exploraturus eſt Auctor. Quum deinde ante fuerit notatum, diſſolutum ſalinum humorem admodum facile per vaſa, in quibus continetur, permeare, vaſis, ad hoc opus exſequendum, ſe uti porcellanis in China paratis, monet Auctor, in his ſi exſiccatur maſſa, nec perpetuo mouetur, ea quoque vaſa afficiuntur ſic, ut, deſtructa vitrea cruſta, erodantur. In exſiccationis tempore tamen perpetuo cerae inſtar, fluit, nec niſi maiori caloris gradu ſiccus euadit, et tunc refrigeratus indureſcit. Dum calcinatur, crepitat, impuras moleculas expellit, ſaepe etiam crucibulum perrumpit: dum vero in aqua fluuia reſoluitur, poſtquam calcinatus eſt, tantum caloris gradum conſequitur, ut manu teneri amplius nequeat. Aere diſſolutus et filtratus coeruleo colore ſplendet, idque eo magis, ſi ſaepius calcinatio et ſubſequens reiterata diſſolutio acceſſerit. Si ſali tartari rectificato, ſpiritus tartari optimus admiſcetur, efferueſcentia cum inſigni caloris gradu fit; a rectificato autem vino ſuperinfuſo ſali tartari et abſtracto, corroſum reſtitit vas

recipiens vitreum, et ſecunda deſtillatione plane diſruptum.

p. 404. Medicinam ex camphorae quinque, moſchi quatuor, et aſae foetidae tribus, granis cum conſerua quadam in formam boli redactam, quam alii contra hydrophobiam commendarunt, in femina triginta annorum contra vehementiſſimos motus epilepticos felici cum ſucceſſu adhibuiſſe Cl. HALLET, ex epiſtola eius, ad Cl. HOADLY data, in menſe *ſeptembri* relatum legimus. Originem ſuam duxerat iſtud malum ex terrore, poſt febrem intermittentem, diu iam perduratam, commoto, pertinax ſine dubio inde factum, quod centies circiter ad illud fugandum, ultimoque tantum anno ſexies et triceſies vena fuerit ſecata. Ad ſingulas ab initio huius curationis noctes eoque tempore, quo recurrerat paroxyſmus, aegra illum bolum adhibuit. Poſt ea quidem Cl. Auctor accepit, interdum redire paroxyſmum, ſed illico et ſemper boli eius uſui cedere,

p. 415. Ad naturae curioſos etiam ſpectat florum, qui coloris amoenitate ſenſus commouent, ea conſeruatio, qua hyemis etiam tempore poſſint incorrupti ſeruari. Suadet hinc anonymus Auctor, gemmas, iam expanſioni proximas futuras, cum aliqua parte caulis, ſeu trunci, cui innaſcuntur, relicta praeſcindendas, et extremitatem reſciſſam cera obturandam eſſe, deinde easdem, poſtquam aliquantum marceſcere coeperint, papyro tenui aſt ſicco inuolui debere, et omnem arceri humiditatem, corruptionem introducturam. Hinc etiam easdem in receptaculo bene ſicco debere reponi. Quodſi nunc hyemali tempore effloreſcentes easdem cupiueris, remota cera et reſecta particula inferiore, cauliculos aquae, cum portiuncula nitri vel ſalis ſaturatae, immittendos eſſe, quo facto, tempore unius diei omnes

eas-

easdem gemmas laete expanſas et florentes es deprehenſurus.

Maiorem curam fructuum maturorum conſeruationem expoſcere idem notat, quas ex arbore eligere iubet incorrupta. Nec manu contrectari eosdem deberi ſcribit, ſed filo circumducto, forcipe reſcindi, itidemque cera extremitatem ſeparatam obſignari, inque ex charta confectum conum immitti, orificia deinde huius coni pariter cera obturari. Si porro in temperato hi fructus, praeſcripta, iam ratione libere ſuſpendantur loco, quin alia eosdem tangant corpora, per annos eosdem ſine noxa conſeruari.

De viro, amiſſum loquelae uſum electricitate ſola recuperante, olim retulimus *, De eodem iam relatum legimus, quod optime adhuc ſe habere ſuaque lingua uti pergat; porro, quod poſt ea idem chirurgus dexterrimus, DICKSON, qui illam perfecerat curationem, duos viros unamque puellam, ut eodem morbo, ſic et eodem remedio, curauerit. p. 432.

Facere quoque non poſſumus, quin remedium, cuius vires per experientiam confirmatae eſſe dicuntur, contra bruti quidem tantum, ſed domeſtici utilisque animalium generis, ſuum quippe, aliquem morbum leproſum adducamus. Quando enim ex raucitate animalis. aut ipſis puſtulis leproſis in lingua apparentibus, praeſentiam eius mali intelligimus, tum antimonii crudi puluerem, cum farina hordei mixtum, linguae eius inſpergere, idque pro curandi fine aliquoties, ſemel vero tantum per ſingulam hebdomadem, ſi modo praeuenire velimus infectionem, repetere praeſcribitur.

Menſe *octobri* emendationes quarundam obſeruationum in Cl. BAKERI librum de microſcopiis exponuntur, cuius praecipua momenta alibi dedimus **. p. 454.

 Notatur

* Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 349.
** l. c. Vol. III. P. II. p. 218.

Notatur itaque, male brachia *pulicis aquatici arboreſcentis* SWAMMERDAMII, cornua vocari, cum ipſa experientia doceat, eſſe haec motus huius animalis inſtrumenta, quibus ad fundum aquae ſe dimittere poſſit. In uſum vero, ſi non adhibentur, recta exporriguntur, articulata ſunt, fibris emiſſis ramoſa, his pilis undique ornatis. Horum pilorum etiam radices cauas ſe inueniſſe Auctor notat. Hi pulices porro cutem exuere ſolent. Deinde in Cl. BAKERI obſeruationibus, de ſalium formatione inſtitutis, deſideratur ea microſcopii diſpoſitio, qua accedente leui calore in foco eorum fit concretio, de qua tamen methodo et foci poſitu iconem, prout brachiorum pulicis, antea adducti, adfert Cl. Auctor.

p. 461. In non nullis locis opiliones ouibus, foetum iam iam edituris, porrigere ſolent aliquot lauri baccas, membranis inuoluentibus prius degluptis. Inde factum eſſe videtur, ut non nulli, ſimiles effectus in hominibus tentaturi, linimentum ex foliis lauri ſiccis quidem, ſed vetuſtate tamen nondum corruptis, vel eius quoque baccis, in puluerem tritis, et oleo oliuarum, aut, niſi illud praeſto ſit, aqua reginae Hungariae dicta, paratum, mulieris, difficulter parturientis, umbilicali regioni, mediante linamento, applicarent; id, quod in mulieribus non aegre ſolum, ſed per aliquot iam dies fruſtra parturientibus, optimi perſaepe euentus fuiſſe, quin et ipſum embryonis ſitum, ſit ille vel quam maxime praeternaturalis, illico corrigere dicitur. Quae glorioſa nimis harum virium depraedicatio totam quidem rem artis perito reddere poſſet ſuſpectam, niſi oleum laurinum, quod in officinis proſtat, ad curanda ventris tormina, irregulares ſpaſmos compeſcendos, ſimileſque morbos utiliter adhiberi poſſe conſtaret. En forte caſus, in quo illi medicinae locus eſſe videtur!

p. 574. Amyli, ex ſolani tuberoſi eſculenti radicibus parandi methodus, quod ad lintea purganda, illo,

quod

quod ex tritico ut plurimum ſolet confici, longe aptius adhiberi poteſt, ut res inter oeconomos noua, menſe *decembri* docetur. Inter noſtrates illa vero ut ſit incognita, tantum abeſt, ut non nullos potius nouerimus, qui et farinam inde tam ſubtilem atque candidam praeparare ſciunt, ut cupedinarii ad bellaria ſua conficienda uti eo malint, quam vel optima farina, ex tritico molita. Artificii ſumma eo redit, ut, integumentis radicum illarum, quam fieri poteſt ſolertiſſime, degluptis, illae ipſae radantur, deinque, ſaepius affuſa aqua, abluantur, et, uti apud nos fieri ſolet, multo ſtudio contrita cribro ſubcernantur, donec aqua, crebro defundenda, clara ſit atque limpida, ipſa vero raſura non candidiſſima ſolum, ſed et tam tenera fiat, ut ne amplius abeat in viſcidas glebas ad ſe inuicem cohaerentes, ſed nunc, dum ſiccatur, puluis fiat tenerrimus, ex noſtrorum more iterum per ſubcerniculum transmittendus.

Remedium porro ibi legitur topicum, cuius auctor eſſe fertur Cl. POTT, celebris ille Berolinenſis chemicus, et quod arthritidem fixam, uti et alios morbos, v. c. paralyſin, ſaepe curaſſe, omnesque tumores duros, et calcarea materie refertos, reſoluere dicitur. Linamenta nimirum ex mixtura quadam, quam ſpiritus ſalis cum oleo terebinthinae conſtituit, expreſſa, parti affectae calide applicanda ſunt. Ita vero praeparari debet iſta mixtura, ut duae unciae ſalis cum una olei vitrioli miſtae, immittantur vaſi deſtillatorio, ſuperfuſis duabus unciis olei terebinthinae. In deſtillatione tum prodibit ſub vaporum forma ſpiritus ſalis cum oleo terebinthinae coniunctus rubri coloris, qui ab aqua, cui innatat, ſeparari uſuique ſuo ſeruari debet. Simpliciore quidem via ſpiritus ſalis cum oleo terebinthinae commiſceri tantum poterit: ſed notetur, quod ille phlegmate ſuo prorſus orbatus, et hoc etiam optimae notae eſſe debeat; et quod nihilo minus hoc modo praeparatum p. 579.

medica-

medicamentum quoad efficaciam illi priori poſtponendum ſit. Quum ſpiritus ſalis inter fortiſſima quidem ſoluentia locum occupet, oleumque terebinthinae, quod eius nunc ſit vehiculum, alte penetrare valeat; ſatis efficax quin illud eſſe queat remedium, dubitare quidem non poſſumus: num illud autem ſine metu, ut, a retropulſa forſan materie arthritica, alia ſubſequantur mala, iſto priori adhuc grauiora, adhiberi poſſit, uſui atque experientiae relictum eſto.

p. 604. In *appendice* tandem ſupra allegati *promtuarii* ad volumen eius viceſimum tertium, ſiue ad annum 1753 referenda, notatu ſane dignus legitur commentarius anonymi cuiusdam, varias animaduerſiones, quae hiſtoriam et uſum remedii illius nunc ſatis noti, vitri antimonii cerati dicti, ſpectant, continens. Antea iam in uſu illud fuit, quam Cl. YOVNG de illo ſcripſit. Quidam enim vir in Hibernia natus, regnante olim CAROLO ſecundo, miſericordia ſuorum ciuium, inter quos, uti colli ſtrumae, ſic et dyſenteriae, frequentiſſimi et endemici erant morbi, commotus, in diſſitas regiones iter ſuſceperat eum in finem, ut remedium contra dyſenteriam inueniret. Quum igitur in Germaniam quoque ſuperiorem diſceſſiſſet, de viro quodam, propter illum morbum, cito atque tuto curatum, famoſo, audiens, illum adiit, eiusque felicibus, certo quodam puluere praeſtitis, ſaepe interfuit curationibus. Hoc igitur arcanum, quo modo nimirum ille puluis praeparari poſſet, omni, quae ipſi adhuc ſupererat, pecunia redimens domumque reuerſus, magnam ideo famam conſecutus fuit. Poſt eius obitum arcanum illud in manus alicuius ſcoti, cui STEEL nomen fuit, peruenit, viri, poſt mortem adhuc et propter morum caſtitatem et amplam ſcientiarum cognitionem valde laudati, qui ſacris quidem literis operam dederat, propter turbas tamen in patria obuias, in Hiberniam

ſeceſſe-

ſeceſſerat, in artem ibi medicam incumbens eamque exercens, paulo poſt vero, publica tranquillitate patriae ſuae reddita, in eam quoque fuerat reuerſus, ſuam aegris non nullis medicinam, licet ipſe ſacro tunc muneri praefectus eſſet, cum fructu atque laude porrigens. Amicis ille ſuis arcanum reuelauit, indeque factum fuit, ut illud poſt eius obitum in variorum eſſet manibus, donec tandem Cl. YOVNG, ceu inuentoris, nomine pateſieret. Haec de huius inuenti remedii hiſtoria!

Varia deinde leguntur monita, quae uſum eius attinent, magnam tamen partem iam ſatis cognita; eorum igitur aliqua tantum a nobis recenſenda ſunt. Illud antimonium, quod compactum, rubrum * et tranſparens eſt, reliquis ipſius generibus, illi in primis, quod vel tenue et pallidum, vel compactum quidem, ſed ſimul opacum atque nigrum eſt, ad praeparationem illius vitri praeferri debet. Quo vitrum in ſubtiliorem puluerem tritum ſit, eo fortiorem eius eſſe vim cum Cl. GEOFFROI ** aſſerit Cl. Auctor. Ante eius uſum probe diſcernendi ſunt morbi, contra quos illud detur. In diarrhoea enim ſymptomatica aut colliquatiua adhiberi non debet; nec tam bene in diarrhoea, quam in dyſenteria; nec in

* Sine dubio de antimonio fuſo, quale in officinis proſtare ſolet, Cl. Auctor loquitur; in quo rubrae tamen ſtriae numquam inueniuntur, quas in quibusdam tamen antimonii mineris reperiri et a multis magni ideo haberi ſcimus. Num forte ſtriae illae, ſplendentes valde, ſubintelligi debent?

** Num inuentum eius, quo remedium illud cerae loco praeparare olim iuſſerat ſpiritu vini, approbari poſſit? Cl. Auctor dubitat. Sed ſuam ipſum Cl. GEOFFROI praeparationis methodum alteri, cum cera factae, poſtpoſuiſſe, apparet ex eius commentario, tranſactionum philoſophicarum dictarum volumini XLVII. inſerto; de quo vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 32.

in hac recenti, quam chronica potius, vires ſuas exſerit. Porro in alui fluxu, ab inflammatione thoracis, aut abdominis alicuius viſceris orto; in aegris haemoptyſi vomituique cruento obnoxiis; aut quibus deſcenderunt inteſtina, nec dum fuere repoſita; aut plethoricis ante, quam vena fuerit ſecata; aut in febribus ardentibus aliisque morbis, quorum exitus eſſe ſolet in phthiſin; aut in dyſenteria, quam reſolutio ſanguinis, vel tunicarum tantum, quae inteſtina conſtituunt, glandularumue inteſtinalium earumque ductuum excretoriorum relaxatio, exceperunt; ubi deiectiones fieri ſolent praeter voluntatem, aquoſae ſunt et inodorae; in omnibus illis caſibus vitrum illud in uſum vocari non debet. Conuenit autem quam maxime in illis alui fluxibus, qui ex victu crudo atque minus ſalutari, fructibus horaeis, immodice comeſtis, aere nimis humido ſimilibusque cauſis, originem ſuam traxerunt. Iis quoque, qui robuſto corpore nati ſunt, durum variumque vitae genus habent, magis prodeſt, quam hominibus urbanis, delicatioribus; maior illis quoque doſis dari poterit, quam aliis. Haec etiam minor ſit in tempeſtate humida, quam ſicca atque frigida. Aegro, ſi debilis ſomnique expers ſit, atque de ventris doloribus queratur, ad noctem ſine vitro, alteroque mane poſt cum illo, detur parua doſis opii. Per vomitum, aluum et ſudorem, ſimul ut plurimum operari ſolet illud vitrum, quorum tamen effectuum unus alterque interdum deficit, et, pro re nata, aut ipecacuanhae portione quadam alteri doſi addita, aut ſale quodam cum iuſculo, a meridie hauſto, iuuari poterit. Vomitus nimis feroces aceto *, et ad noctem opiati parca

* Aceti uſum cur commendet Cl. Auctor, miramur, quum alia hunc in finem adſint remedia longe tutiora. Acida enim ipſe paulo poſt aegros vitare iubet; et Cl. GEOFFROI quoque eorum uſum interdicit, quum

parca doſi, compeſcere licet. Quo vehementior tamen, ſi in genere de eo ſermo ſit, eſt operatio, eo citius aeger quoque curabitur, quem, ſi virium inde ſenſerit imminutionem, hauſtus vini generoſi calidi reficiet. Duae vel tres doſes plerumque ad aegrum quemlibet curandum ſufficere obſeruatae ſunt, nec ultra ſex doſes uni aegro dandi ullam Cl. Auctor habuit occaſionem. Hinc priores doſes binis quoque diebus immediate porrigi poterunt; idque eo erit utilius, quo validiores primae ex illis fuerunt effectus, quo in caſu altera quoque doſis duplo maior eſſe poteſt. Fuerunt, quibus aluus una quaſi vice tota fuit depoſita, ita, ut iuſcula tandem pullorum cohortalium, quae illi aſſumſerant, ſine ulla coloris aut odoris immutatione, quaſi aqua per infundibulum, per illam profluxerint. Hi vero aegri poſt analepticum hauſtum reliquis quoque citius conualuere. Neceſſe porro eſt, ut aegri non ſub ipſa ſolum curatione, ſed ad perfectam uſque virium refectionem, aerem frigidum aeque ac humidum, victum flatibus gignendis aptum et acidum, ſedulo euitent. Accidit aliquando, ut vir iuuenis, epilepſia correptus, indeque iam ſtupidus fere factus, poſt alia multa prorſus incaſſum adhibita remedia, hoc tandem ſolo curaretur, cuius tres doſes ab initio, et deinde duas, per ſingulas hebdomades tamdiu aſſumſerat, donec earum quinquaginta adhibuiſſet. Vir ille etiam ſupra nominatus, STEEL, propter maniacos feliciter curatos, magnam famam conſecutus fuerat, in quibus ille ſemper curationis initium eo puluere feciſſe fertur.

quum emeticam vitri vim ea nimis augere aſſerat. Vid. Comment. noſtr. l. c.

VII. De

VII.

De facili Luem Veneream curandi methodo, ad D. M. MATY, Med. et Phil. Doct. cui S. D. IOANNES GRASHVIS *.

Quoniam mediante diario tuo, V. C. multa utilia, quae caeteroquin tecta laterent, nota et perſpecta redduntur, haſce ad te Literas dare decreui; ea cum

* Vide *Journal britannique par* M. MATY, *Docteur en Philoſophie et en Médecine, et Membre de la Société Royale de Londres. Pour les Mois de Juillet et d'Août 1754. à la Haye de l'Imprimerie de H. Scheurleer.* 12. in eoque diario pag. 388. Pro fine, quem habemus nobis praefixum, obſeruationes phyſico-medicas prae aliis notatu dignas ex aliorum diariis noſtro non numquam inſeruimus. Veniam itaque et a Cl. MATY et a Cl. GRASHVIS nos facile impetraturos eſſe confidimus, ſi et praeſentem, ab hoc ad illum datam, epiſtolam hic loci nunc repetamus; eoque maiori iure a nobis id fieri poſſe atque debere exiſtimamus, quum argumentum illius quam maxime ſit medicum, ac ipſe Cl. Auctor, ut publici fiat illud iuris, pro ſuo omnibus inſeruiendi ſtudio, exoptat. Ipſam quidem rem prorſus eſſe nouam, is ipſe, vel nobis id non monentibus, negat: attamen varia ſimul continentur, quae vel noua dici poſſunt, vel certe talia, quorum ulteriori inueſtigationi ſtudere, omnes omnino medici tenentur. Praeter illam enim methodum, qua multi, et inter omnium recentiſſimos in primis Itali, et inter hos potiſſimum ex Florentinis plurimi, medici ſolo lignorum decocto veneream luem debellare anniſi ſunt, et quos, iis ultimis ſaltem exceptis, maximam partem ceu in compendio a Cl. ASTRVC in conſummatiſſimo ſuo *de morbis venereis* libro allegatos, legere licet; paulo aliam quoque alii elegerunt eamque in primis, ut ſatis inſignem quantitatem et antimonii crudi et mercurii viui, cum illis lignis coquere iuberent, leuius tamen tantum malum decocto iſto ſuperaturi; e quibus omnibus nunc ſaltem MICH. ETTMVLLERVM nominaſſe ſufficiat. Vide illius *Opp. med. Tom.* II. p. 523.

cum intentione, ſi quid in iis, cuius Reipublicae literariae intereſſe tibi videtur, inueneris, cum publico eas communices, niſi forte Bibliothecae Britanniae limites, quod ex Hollandia ſcriptum eſt, divulgare prohibeant.

Quam multa et haud raro funeſta mala, excitata mercurialibus medicamentis ſaliuatio, ad curandam veneream luem, poſt ſe trahat, unicuique notiſſimum eſt. Id ſaepius expertus in Medicina faciunda aegris turpi foedoque hoc morbo infectis, anxius deſideravi, aliam inire poſſe viam, qua et praedicta mala evitarentur, et ſanatio, nihilo minus integra impetraretur. Quae a circulatoribus iactantur, nihili feci. Erat autem Medicus quidam Groninganus, ante paucos iam annos fato functus, cui nomen YVO GAVKES, ſcriptis quibusdam notus, qui faciliori methodo, hanc Luem eradicare noverat, ſine ullo excitato vel ſequente ptyaliſmo, vel alia quacumque ſenſibili evacuatione, quod innumeris fere teſtimoniis et exemplis, per totam Hollandiam innotuit. Aegrotis ſuis nil niſi decoctum quoddam largiter bibendum dabat. Interim externe, ſi quae aderant ulcera ingentia, vel tophi ſive gummata, illa *aqua divina* Fernelii ablui, haec emplaſtro mercuriali tegi iuſſit. Decoctum vero omnem internorum remediorum locum implebat. Pulchra erat haec et ab omnibus laudata curandi methodus, ſed proh dolor! ab ipſo claro Viro, ut arcanum, ſibi ſervata; ſcriptis tamen eius, ut amicis aliquando indicavit, inſerta. Scripta laudati Viri, eam ob cauſam pervolvi, ſpem fovens nec irritam, quidquam forte, hanc rem

p. 523 et 1575. *Edit. Francof. ad Moen.* 1696. *fol.* Neminem vero, quantum nos quidem legere meminimus, praecipuas eius generis decoctorum virtutes ſoli argento viuo, aut antimonio crudo, tribuiſſe ſcimus vel certe recordamur.

rem ſpectans in iis detegi poſſe. Inveni in tractatu eius *Introductio ad Praxin* dicto Cap. X. §. 51. praeſcriptionem Decocti, titulo diaphoretici, nullis, ad Luem veneream eradicandam, encomiis ſtipati: quo cum decocto, quod aegrotis propinare ſolebat, comparato, maxima mihi orta fuit ſuſpicio, idem illud eſſe, quo mediante Lue infectorum cura perficiebatur. Nec immerito. Statim aegris, morbo venereo laborantibus, id decoctum, eadem quantitate, ut Cl. Vir ſolitus erat, bibendum dedi. Speratum vidi effectum non ſemel, ſed repetitis vicibus, nec fefellit unquam, niſi cauſa quaedam obſtiterit omnem medelam, quibuscunque adhibitis remediis, renuens. Decocti praeſcriptio talis eſt:

℞. *Raſur. lign. Guai.* uncias tres - - *Saſſafr.* uncias duas, *rad. Chinae* unciam unam, *Argenti vivi* in ſacculo lin. lig. *Antimon. crud.* in ſacculo lig. ana Libram unam. Poſt iuſtam cum *Aqua communi* infuſionem, coquantur ad Libras ſex, ſub finem addendo *rad. Glycyrrh.* uncias duas. Colatura detur. "At noſſe „oportet, addit Auctor, quod Argentum vivum et „Antimonium crudum in ulteriorem uſum recipien„dum eſt.„

Huius Decocti, quolibet die, ab aegro, unciae triginta vel et quadraginta, in teſta leviter calefactae, partitis vicibus adſumi debent, ad dies triginta, vel, ſi malum valde inveteratum fuerit, quinquaginta. Poſt ſex vel octo dies, citius tamen in his, tardius in aliis, ab adſumto medicamento, ut plurimum ſymptomata imminui incipiunt, ut Dolores articulorum nocturni et capitis; Maculae vel Puſtulae, ſi quae adfuerint, exſiccari, Cancri membri virilis, Vlcera impura emundari, et ad conſolidationem prona evadere, et quae reliqua ſunt, adeo mutari, ut ſpem ſanationis futurae praenuncient, quae re ipſa ſequitur, uſu medicamenti ad determinatum tempus continuato. Inter ea temporis, aegros ab eſu carnis

ſuillae,

ſuillae, pinguium, rancidorum, et facileranceſcentium, potionibus ſpirituoſis, aliisque ſobrietati contrariis, abſtinere oportet.

Si Tophi vel Gummata oſſium adfuerint, Emplaſtra mercurialia iis cum fructu applicantur; immo et Vlcera profunda ſolutione Mercurii ſublimati elui, aliisque medicamentis appropriatis, externe applicandis, percurari debent. Corporis autem infectione ablata, et miaſmate virulento ſubacto, reliqua vel ſponte, vel facile cedunt. Eae vero Luis reliquiae excipiendae ſunt, quae non a veneno, ſed a mutatis, morbo antegreſſo, partibus organicis, dependent; nec ut Symptomata venerea, ſed ut affectiones ſui generis, et appropriatis remediis pertractari debent, vel ut immedicabiles ſibi relinqui: ut v. g. ex Pudendo ſtillicidium poſt diu toleratam Gonorrhoeam, Tophi indurati et inveterati, et cet.

Experimenta ad confirmationem eorum, quae dixi, adduco nulla. Sufficit mihi, unumquemque, qui hanc, in labe venerea ſananda, methodum ſequi voluerit, propria experientia ſatis ſufficienterque convictum iri, me nihil, niſi quod uſu compertum eſt, adſeruiſſe; quos incredulitas eo uſque tenet, ut ad experimenta confugere nolint, nihil moror.

Id autem notaſſe operae pretium erit, idem Argentum vivum, (quod de Antimonio quoque intelligendum) non nimis ſaepe Decoctioni addi debere. Coctione enim id viribus quibusdam priuari, quicquid alii contra clamitent, certiſſime ſum perſuaſus. Obſervavi nempe, Mercurio eodem, poſt repetitas vices, denuo adhibito, medicamentum inefficax reddi. Imo monuit Pharmacopola, Argentum vivum, ad praeparandumDecoctum adhibitum, poſt ea Linimentis ad enecandos pediculos beſtiarum, boum puta, oviumque admixtum, iteratis experimentis, inutile eſſe repertum. Haec de methodo, quam ego,

 a mul-

a multis retro annis, ſecutus ſui, dicta ſufficiunto *.

Nuperrime in manus meas incidit *Diſſertatio medica de Methodo tuta et facili, citra ſalivationem, curandi Luem veneream, quam experimentis et obſervationibus practicis firmatam et illuſtratam, olim ſibi comparavit* IOH. CONR. a BRVNN *in* HAMMERSTEIN, *Profeſſor quondam Heidelbergenſis*, et cet. *nunc autem publici iuris facere decrevit Ioh. Iacobus Filius M. D. Schaphuſi*, 1739. In hac laudatus Auctor multis adfirmare nititur, Luem veneream, absque excitata ſalivatione, tuto et certe curari poſſe. Magna cum hac et ea, quae hactenus a me propoſita fuit curandi ratio, eſt convenientia: eſt autem clariſſimi Viri methodus magis compoſita. Decoctum proponit,

* Facere non poſſumus, quin animaduerſionem a Cl. MATY in hunc epiſtolae *Grasbuiſianae* locum prolatam, hic quoque loci ſubiungamus. *Bene*, enim inquit, *a Cl. Auctore actum fuiſſe videretur, ſi addere ipſi placuiſſet, quoties et mercurius, et antimonium, poſſint adhiberi?* Porro, *quaenam amiſſarum virium ſigna in utroque appareant?* Tandemque, *num illis ſua virtus forte queat reddi?* Eoque magis hoc nobis monitum videtur eſſe neceſſarium, quo magis illam Cl. Auctoris miramur obſeruationem, qua tum ineſficax fieri ſcribit medicamentum, quando vim ſuam amiſerit mercurius; quum tamen ab ipſis certe lignis quandam adhuc efficaciam expectari poſſe crederemus. Hinc quoque fit, quo optemus, ut Cl. Auctor determinaſſet, num in qualibet luis, tum inueteratae, tum leuioris tantum, periodo id obſeruarit? Leue enim malum ſolo talis decocti uſu ſuperari poſſe, omnes fere auctores conſentiunt. Quodſi itaque in valde rebellibus eius mali gradibus modo inſignem, ſi nimirum mercurius et antimonium tota ſua vi adhuc agere valuerint, modo vero nullam deprehenderit efficaciam, ſi mercurius ſcilicet et antimonium ſuam vim perdiderint, magna ſatis inde utriuſque medicamenti virium oriretur exiſtimationis ſuſpicio.

nit, illi, quod ex YVONE GAVKES adduxi, non multum diſſimile, addito quoque Argento vivo et Antimonio crudo. Cui Decocto, licet ab Auctore maxime valens contra hunc morbum praedicetur, alia tamen medicamenta, laxantia, diaphoretica, mercurialia, dein et balnea, tam ſicca, quam humida, interponuntur; ſpem unicam in Decocto, ut videtur, ponere non auſus. In id autem ſemper intentus perſiſtit, ne, Mercurialium doſi nimium adaucta, Salivatio ſuccedat, quam iure merito, ceu non neceſſariam, inutilem, moleſtam et multis lethalem condemnat.

Eſt et alter modus a celeberrimo FRID. HOFFMANNO propoſitus, in capite de *Lue venerea* *. Hic puluiſculis ex Mercurio diaphoretico Ioviali, vel et Solari, cum interpoſito ſimplici Decocto guaiacino, abſoluitur. Sed et hic, ex praeſcripto Celeb. Auctoris, Pilulas mercuriales purgantes, ſaepe repetendas, imo et Balneorum humidorum uſum quotidianum expoſcit. Adde, quod nimia doſis Mercurii diaphoretici, ptyaliſmum excitare, vel adſumtis ab aegro acidis, vehementes ſurſum vel deorſum purgationes excitare valeat, monente IO. CONR. BARCHVSEN, *Pyrotech. pag.* 191.

* Hanc quidem ſolam lui venereae medendi methodum FRID. HOFFMANNVS numquam commendauit; ſed in eo ſaltem caſu, ubi nec decoctorum, neque mercurialium, uſus ſuffecerit, ac ubi in primis putrida oſſium ſquamoſorum corruptio adhuc ſuperſit, eam quidem habere locum aſſeruit. *Vide Eius Medic. ration. ſyſtem. Tomi IV. P. V. pag. 170. Edit. Francof. ad Moen. 1739 4.* In primo enim diri eius morbi gradu decocta ſaltem ſuadet, quibus et ipſe addere iubet antimonium crudum, ac ab aliis ipſum mercurium viuum cum fructu adiici, iisque ſolis ſe non nullos aegros percuratos vidiſſe, ſcribit. Si malum autem hoc gradu vehementius ſit atque pertinacius, ipſa tum ſaliuatione illud expugnare docet. *Vid. ibid.* p. 157. et ſeq.

Forte non abs re erit experiri, num ſola Mercurii Decoctio in Aqua ad ſubigendam ſaepius iam nominatam Luem ſufficiat*?

Vale, Vir Clariſſime, et in bonum Reipublicae vive diu et feliciter! Dabam Hornae 4. Iunii 1754.

* Illud omnino non absque veri ſimilitudinis ſpecie experiri atque ſperare licebit; praeſertim ſi illa, a Cl. Auctore ſupra iam adducta, obſeruatio penitus certa ſit, quod illud nempe decoctum uſus fuerit nullius, ſi argentum viuum iam aliquoties illi fuerit adhibitum. Aliquod etiam porro, niſi fallimur, huic, de mercurio conceptae, ſpei additur ponderis augmentum ex illo iam ſatis cognito experimento, quo mercurio viuo, cum ſimplici tantum aqua cocto, aliquas vires decedere intelligimus, quum aqua iſta, pueris contra vermes inteſtinales data, eos quoque ex corpore proſcribat, quam poſt HELMONTIVM iam olim quoque commendauit ſupra laudatus MICH. ETTMVLLERVS in *Opp. Tom. I. p.* 858. *Edit. cit.* Quid? Quod ipſius morbi vis in genere longe mitior eſſe ſoleat aeuo noſtro, ac olim de eo obſeruatum fuit, ideoque etiam ad illum ſuperandum mitior adhiberi forte queat medicina. Eius certe generis tentamen, ſi quoque exoptatum ſemper non habeat ſucceſſum, nihil tamen portentoſi aut veri alicuius metuendi mali ſecum ducere poſſe, patet.

VIII. *Me-*

VIII.

Medicinifche und Chirurgiſche Wahrnehmungen. Erſte Sammlung. Herausgegeben von FRIEDRICH HERMANN LVDEWIG MVZELL, *M. D. Profeſſore des Collegii Medico-chirurgici, und Medico bey der Charité zu Berlin. Berlin, bey A. Haude und I. C. Spener, 1754. 8. 9 Bogen.*

hoc eſt:

Obſeruationum medicarum atque chirurgicarum collectio prima, auctore FRID. HERM. LVDOV. MVZELL.

Tredecim elapſi ſunt anni, ex quo Cl. Auctor artem medendi exercet, et nunc per nouem annos officio medici ordinarii noſocomii regii Berolinenſis praeeſt, quod domum charitatis vulgo vocant. Relatum legimus, aegrotorum turbam ſuperare ibi numerum aliquot centenorum. Sine dubio ſaepe inter hos miſeros, maxime notabiles morborum ſtatus occurrunt, quibus auxilio ſuccurrere medenti incumbit. Quos ibidem curauit aegros Cl. Auctor, vel horum ſaltem morbis aliquale attulit leuamen, quique prae reliquis notatu digniores ei viſi ſunt caſus, hac in primis ratione impulſus deſcripſit, ut aliorum medicorum commodis, qui ſingulares eiusmodi morbos tractandi deſtituuntur, vel plane carent, occaſione, hiſce ſuis conatibus ſubueniret, e quibus iam enarrare praecipuos iuuat.

Phthiſin pulmonalem, ab haemoptyſi ortam, in p. 1. iuuene nobili primum venaeſectionibus largis, intra trimeſtre ter et tricies repetitis, tum anodynis, tum temperantibus, mitigauit Cl. Auctor; gliſcente deinde febre hectica et reiecto pure per tuſſim, fuaſit aegro uſum cucumerum recentium decorticatorum una

cum pane bis cocto, et loco potus aquam fontanam
ſimplicem. Dum haec ita adſumuntur, minuitur et
calor hecticus et reiectio materiae purulentae flauae:
quare ulterius in curatione hac perſiſtit, eo cum ſuc-
ceſſu, ut exoptatum inde retulerit aeger leuamen.
p. 5. Perſuadet ſibi, continere cucumeres copiam ſucci
ſubtilis aquoſi et refrigerantis, paucis terreis particu-
lis remixti, qui pus reſorptum et ſanguini adfuſum,
eluere, aeſtumque febrilem reſtinguere valeat: hinc
etiam ulcus pulmonum ſine aliis balſamicis inſimul
adhibitis conſolidari poſſe opinatur.
p. 7. Caſus ſecundus aliam phthiſeos ſpeciem ex prae-
greſſa inflammatione pulmonum profunda et abſceſſu,
factam, ſiſtit, quam attractis ore halitibus medica-
mentoſis curauit Cl. Auctor. Vomicam quandam
purulentam in interiore pulmonum ſubſtantia latita-
re, ex febre antecedente et concomitante recte diiu-
dicauit, quam infuſis pectoralibus et emollientibus,
quantum fieri potuit, calidis adſumtis, poſt ſyrupis
et oxymeli ſcillitico rumpere tentauit, quod etiam,
p. 9. coorta tuſſi, factum fuit. Foetidum pus magna in
copia tum eiecit aeger, cuius teterrimum halitum
nec medicus ferre potuit, multo minus is, qui pro-
iecit: nam ſapor iſte putridus, quem percepit ore,
ſuſtulit etiam omne ciborum deſiderium, hinc etiam,
praeſertim cum febris hectica, et reiectio purulenta,
et ſudores nocturni permanerent immutata, mirum
in modum extenuatus fuit. Si vulgarem medentium
normam ſequi voluiſſet Cl. Auctor, exhibenda nunc
fuiſſent pectoralia balſamica interna, quae calidioris
plerumque ſunt indolis: hinc rectius cogitauit de ſer-
pente putredine per vapores ore hauriendos ſuppri-
p. 11. menda. Vas igitur rotundum ore anguſtiore reple-
uit decocto pectorali, addita olei terebinthinae uncia
ſemis, illudque rite obturatum immiſit in aquam ca-
lidam. Halitus ex iſta machina exſurgentes, com-
preſſis naribus, quantum fieri potuit, ore aperto,
hauriendi

hauriendi erant ab aegroto; quo remedio quater de
die adhibito, poſt duos dies mutatur ſapor foetidus
in ore, pus album exſcreatur, et appetitus ciborum
redit. Elapſis inter ea ſex hebdomadibus, et tuſſis, et
purulentae materiae reiectio, deſiit, aegro conuale-
ſcente, qui per biennium inſequens nullo correptus
denuo fuit morbo *.

Porro hiſtoria tertia deſcribit phthiſin pulmona- p. 13.
lem, in iuuene ortam, ex ictu vehemente, thoraci
inflicto. Grauioribus phthiſeos ſymptomatibus iam
correptus erat aeger tum, cum noſocomium ingre-
deretur. Breui poſt occubuit; ubi, cadauere aperto
et ſterno remoto, prodiit ex pectore fluidum ſpiſ-
ſum pultiforme cinereum et inodorum. Vt pulmo-
nem dextri lateris, ex quo loco profluebat materia,
curatius diſquireret, ſecum quidem conſtituerat medi-
cus; ſed ne particulam huius inuenit ſuperſtitem,
quin potius tantum ramenta arteriae aſperae et bron-
chiorum, in hoc magmate diſſoluta; arteria vero
pulmonalis et vena ibi, ubi utramque attingebat hic
corruptus humor, beneficio naturae coaluerant tu-
berculis, ne ſanguis ibi profluxurus, inopinatam
mortem efficeret. Ex ſiniſtro autem pulmone, pu-
rulentum iſtum humorem, quem eiecerat aeger, pro-
ueniſſe, ſuſpicandum ideo erat, quia ille vomicis, in
aſperam arteriam ſe ſe eructantibus, repletus erat.

Hiſtoria quarta ſiſtit aegrum, qui data opera, ut p. 16.
finiret vitae ſuae moleſtias, ſclopeti ictu traiecit pul-
mones duobus globulis plumbeis, anteriorem tho-

* Cl. ARDEN primus fuiſſe dicitur, qui machinam inuenerit, cuius ope vapores medicamentoſi in pectus duci et faucibus quoque ulceratis applicari queant. Vid. *Gentleman's Magazine* Vol. XVIII. p. 684. ibid. Vol. XXI. p. 497. et Vol. XXII. p. 75. Celeb. MEAD in monitis et praeceptis medicis p. 30. hoc auxilium quoque adhibere ſuadet et inſimul ex antiquioribus adducit CHRISTOPH. BENEDICTI Theatrum tabidorum, Londini, 1656 editum.

racis ſiniſtri lateris partem ingreſſis, in parte poſteriore per ſcapulam prorumpentibus. Concidit aeger, et largam ſanguinis profuſionem paſſus per vulnera, illum quoque ore reiecit. Diſquiſitionem vulneris cum ſuſciperent medentes, coſtas comminutas eſſe intellexerunt. Deligarunt aegrum, prout regulae artis requirunt, et ad ſymptomata futura auertenda, et ſanguis ex vena miſſus, et medicamenta, huius motum acceleratum ſiſtentia, data fuerunt. Breui poſt aeger furibundus, vincula chirurgica diſſoluens, vulnus digitis ſuis dilatare audebat, quo ſanguini et vitae, quam deſpiciebat, liberior exitus foret. Adſtantium autem prouidentia denuo deligata ſunt vulnera et inflammationi futurae crebrioribus venaeſectionibus obuiam itum. Sexto die ſuppuratione facta et tuſſi inſimul aucta, reiiciebat vulneratus et pus, et materiam variegatam, quae, curatius inſpecta, erat charta literis conſignata, ſine dubio ſclopeti globulis ſuperimpoſita, Germani vocant *den Pfropf*, inſimul illuc delata, quae nunc cum reliquis, in pectore collectis, impuritatibus, eiiciebatur per ſex integros dies. Vires vitae aegroti adhuc praeſentes, congruus victus et medicamenta appropriata, effecerunt, ut is poſt bimeſtre ſpatium, et vitae ſuae deſiderium, et cum hoc reſtitutam corporis incolumitatem recuperaret, tam firmam, ut et poenam militarem virgarum perferre valeret.

p. 20. Caſus quintus ex ſectione poſt mortem copioſe exponit abſceſſum in liene calloſo et triplo naturali maiore. Cauſam morbi allegabat aeger lapſum a ſcala. Pus olim effluxerat in regione oſſis ilei ſiniſtri lateris, tumore ibidem antea exorto, quo ulcere dein perſanato, ſimilis humor foetidus etiam vomitu et per aluum reiiciebatur. Cadauer poſt mortem apertum ſequentia conſideranda dabat: Inteſtina fere integra, hepar naturali ſtatu maius et induratum, pancreas ſanum, ventriculum admodum contractum et

lieni

lieni praeternaturaliter accretum in eaque parte etiam calloſum. Vt interiora huius perluſtrare poſſet eo melius, eum aperuit Cl. Auctor, et, compreſſo liene, cognouit, materiam purulentam ex hoc viſcere in ventriculum effluere. Altera via, qua olim exierat ichor purulentus ex abdomine, inuenta quoque eſt in lienis ſuperficie externa. Ex eo enim ſub coſtis ſpuriis intra muſculos abdominales ad locum ſupra indicatum deuenerat. Coalitio autem huius exitus, deinde facta, forte effecit, ut materia in liene collecta, turgens et acris facta, perrumperet ventriculi membranas, ibique collecta, vomitu et alui deiectionibus expelleretur.

Caſus ſextus refert haemorrhagiae immodicae, ab euulſione dentis exortae, exemplum, variis auxiliis quae cohiberi non poterat, nempe ſolutione aluminis, vitrioli, ſpiritu vini rectificatiſſimo, per quinque dies appoſitis, donec ſpongia vulgari exſiccata, cauo maxillae intruſa et a famulo continenter compreſſa, impediretur fluxus ſanguinis. Volumen humidae ſpongiae nunc ita arcte adhaerebat omni cauitati alueoli, ut, ſuperato etiam futurae effuſionis metu, non eximi poſſet, donec ſua ſponte, aliquot elapſis diebus poſt, excideret, occluſo penitus ſanguinis riuulo. p. 31.

Vrethrae adfectiones quam dolorificae ſint, praeſertim ſi urinae effluxum impediant, ii prae reliquis ſentiunt, qui morbis venereis contaminati, carunculis et exulcerationibus in ea exortis, laborem et difficultatem propellendae urinae diu ſatis perferunt. Huic morbo, ubique non infrequenti, ut ſuccurreret Cl. Auctor in viro, qui per ſeptennium gonorrhoea virulenta laborauerat, diſquiſiuit antea cathetere locum exacte, ubi tuberculum illud eſſet. Poſtea in catheterem, inferiore parte truncatum, immiſit virgám ſeu ſpecillum ex oſſe balaenae confectum, filis carptis in extremitate altera, qua locum affectum p. 34.

con-

contingere volebat, obuolutum. Huius ſpecilli extimum, unguento ex melle roſato et mercurio dulci compoſito illinitum, immiſit in catheterem, quem per urethram ad adfectum locum adigebat; quo facto protrudebat abſconditum penicillum et rotationibus crebrioribus iſtud, quod adhaerebat inſtrumento, linimentum ulceri adfricabat. Cognouit poſt aliquot dies, neque augeri dolorem, dum apponebatur medicamentum, neque iſtud, quod urethrae inerat obſtaculum, minui; hinc aliud acrius remedium elegit, nempe unguentum aegyptiacum cum puluere aloes remixtum. Poſt aliquot dies leuamen ſenſit aeger, et via nunc apertior facta, permiſit aegroto ipſi, ut ad locum adfectum quater de die, ratione ſupra ſcripta, medicamenta adferre poſſet. Vltimo tandem aceto lithargyrii, aqua diluto, ulcus exſiccatum eſt, et aeger ſine ullo dolore illud adhibuit. Simili medendi modo in eodem aegroto alteram caruncularn, in profundiore urethrae parte ſitam, iam adductis auxiliis eroſit Auctor.

p. 40. A caſu octauo ad decimum uſque quartum enarrantur morbi melancholici non nullae hiſtoriae, una cum eorum cauſis et curationibus. Nimis longum foret, de illis copioſe hic loci referre; quare has ultimas tantum commemorare conſtituimus. In morbis diuturnis, ex triſtitia et defectu motus corporis genitis, tartari tartariſati uſum, vel cum extractis amaris, vel in aegris, amara reſpuentibus, cum melle deſpumato, ſingulare auxilium praebere, Auctor noſter probat. Caſu itaque octauo, in iuuene viginti annorum, neque incidentia neque laxantia mitiora et vomitoria quoque, diuerſis temporibus exhibita, efficere potuerunt, ut humor iſte ſic dictus atrabilarius ſolueretur et expelleretur ex corpore. Quare ad diſſoluendos humores illos viſcidos, oeconomiam animalem perturbantes, exhibuit drachmas duas tartari tartariſati cum aequali doſi extracti centaurii minoris, ſolutas

ſolutas in unciis octo aquae fontanae. Poſt dies aliquot cum nulla conſpicua mutatio morbi appareret, quotidie unciam ſemiſſem tartari tartariſati et drachmas duas extracti ſupra nominati dedit. Tunc octo diebus elapſis, melior viſus eſt aegri ſtatus; hinc etiam, dum potionem laxantem adſumſit, copioſius nunc depoſuit aluum, ac antea factum erat, cum idem medicamentum ingereret. Per alios octo dies idem auxilium, eadem doſi, ut antea diximus, aegroto ſuo propinauit medicus. Subducta denuo aluo, rediit nunc celeritas pulſus, excretione aluina quotidie bis ſua ſponte facta, animus inſimul creuit et aeger praecepta medica, quae ei dabantur, accurate obſeruauit. Menſis ſpatium effluxit, antequam hac medicatione morbus iſto medicamento tolli potuit, qui tamen, teſtante ſic Cl. Auctore noſtro, plane ſublatus fuit.

Similis morbus triſtis corripuerat capillamento- p. 48.
rum ſtructorem, poſt febrem continuam metaſtatice ſolutam. In hoc prae reliquis aliis conſuetis melancholicorum ſymptomatibus inuentus fuit pulſus admodum tardus. Dabantur ei clyſteres emollientes, potiones laxantes, mittebatur ſanguis, imponebatur veſicatorium: morbus vero his omnibus, nullo modo mutatus, perdurabat. Ad excitandos ſpiritus elaeoſaccharum cum oleo deſtillato menthae ad ſcrupulum unum aegro porrigebatur, et quidem ea doſi, ut quotidie ſcrupulum unum dicti olei adſumeret per octo continuos dies. Nec hoc auxilio ulla acceleratio pulſus ſentiebatur. Tranſiit medicus ad camphoram, quam cum abſorbente medicamento ad ſcrupuli unius pondus primum obtulit. Auxit poſtea huius medicamenti doſin quotidie, ita quidem, ut nunc a ſummo mane ad veſperam, quater de die, ſingulis vicibus, drachmam unam camphorae daret, in cuius uſu quatuordecim dies ſine ullo ſubſecuto effectu p. 50.
transacti ſunt. Temerarium forte, non dicimus

ſumme

ſumme periculoſum, videbitur non nullis, olea ſic
dicta aetherea, et camphoram, calidiſſimum puta-
tum medicamentum, tanto pondere, unum poſt al-
terum, obtuliſſe: praeſentes tamen hiſtoriae morbo-
p. 65. rum pro exemplis valebunt, poſſe ſine metu cam-
phoram largiori doſi, ac ut plurimum fit, exhiberi.
Haec dum agebantur, conſultum eſſe credidit Noſter
ita, ut et huic aegroto tartarum tartariſatum, eodem
ordine illaque doſi, interpoſitis laxantibus, porrige-
ret, adiecto melle deſpumato loco extractorum ama-
rorum. Sic et hic a morbo pertinaci liberatus hoc
remedio, et priſtinam recuperauit corporis integrita-
tem mentisque hilaritatem. Similis effectus ſalutaris
in femina, ſimili morbo laborante, a iam laudato
medicamine obſeruatus fuit, prout hiſtoria decima
p. 53. docet. Non ſolum autem in morbis atrabilariis, ſed
in ipſa mania opem ferre eximiam tartarum tartariſa-
tum, cum melle datum, cognouimus ex hiſtoria un-
p. 55. decima. In aegrota iſta primum quidem excretiones
ſuppreſſas reſtituere tentauit medicus, neque frustra-
nea fuere eius conamina: morbus tamen inducias
tantum agens, vehementiore impetu paullo poſt re-
diit. Oppugnata itaque fuit dira haec mania ſaepius
adducto medicamento, et inſimul, quae ex inteſtinis
abſterſae erant, impuritates, interpoſita potione man-
nata, eductae fuerunt, quibus omnibus, compoſito
animi furore, hactenus labefactatam ſanitatem ex in-
p. 74. tegro aegra recuperauit. Decem adhuc alios, prae-
ter hic deſcriptos, ſimiles aegrotos, eadem methodo a
ſe curatos fuiſſe, Cl. Auctor ſcribit.

Febres intermittentes, ſi intempeſtiue ſuppri-
muntur, non numquam degenerare in continuas,
certum eſt. Curationem harum, ſi caetera ſympto-
mata id ferunt, durante etiam aeſtu febrili continua-
rum, vel et delirio febrili, infuſis ex cortice chinae
factis, ſuſcipiendam eſſe, vel et aliis auxiliis, febri-
bus intermittentibus opponendis, Auctor duabus
hiſto-

hiſtoriis, caſu decimo quarto et quinto, comprobatum dedit.

Nunc ordine ſequuntur obſeruationes aliquot chirurgicae. Prima harum exponit cariem pedis infimi in iuuene cachectico et febre lenta laborante, quem iam ante decennium malum iſtius loci comprehenderat. Dum curatius explorat locum adfectum chirurgus, inueniuntur varii ſinus, ipſum calcaneum transuerſim pertranſeuntes, oſſibus inſimul adpoſitis carioſis et ab ichore profluente arroſis. Vt aegroto auxilium ferrent medentes, externe iniectionibus adhibitis balſamicis, interne mercurialia minoribus doſibus et decocta lignorum ei dederunt: ſed iſtis omnibus nihil mutatum fuit malum iſtud pertinax et inueteratum. Cum itaque auxiliatores cognoſcant tali curatione ſe nihil emendare humores, neque ullam ſpem ſeceſſuri oſſis corrupti affulgere, conſilium capiunt de abſcindendo pede infra genu, loco alias conſueto. Tres effluxerant dies, ex quo reciſum erat os corruptum, cum in extremitate oſſis mutilati color liuidus conſpiceretur, ſignum certiſſimum oſſis morbidi et altiore loco denuo truncandi. Status vero aegri, viribus iam fracti, illud non permittebat, quia inſimul gliſcebat febris, et dolor totius femoris ad abdomen uſque excurrens excruciabat eum, neque tamen externe ullus rubor apparebat. Vulnus ſectione factum erat ſordidum, foetidum, neque pus laudabile fundebat: e contrario muſculi diſciſſi retrahebantur, neque inflammatio alias oboriens et glutinationem vulneris adiuuans, praeſto erat. Occubuit itaque aeger decimo die, poſtquam ſectione ablatum fuerat os tabificum. Diſquiſiuit Noſter cadauer et in interioribus corporis partibus nihil inuenit ſingularis, curationem forte impedientis, hinc tantum omne ſuum ſtudium ad locum adfectum rite diiudicandum direxit. Diſſecuit integumenta ad articulum genu, ex quo facile excidebat tibia relicta. Ad alte-

p. 80.

ram

ram oſſis femoris articulationem cum oſſe innominato progrediens, poſtquam omnes muſculos, femur obtegentes, diſciderat, cognouit ſtatim, materiam putridam haerere in articuli cauitate, quae etiam, diſſecta ligamenti capſula, prorupit. Praeter ea femur ipſum ſic conſtitutum perluſtrauit. Collum eius, prout adpellant Anatomici, ubi ligamentum adhaeret, erat carioſum, mutata cartilago capitis, ſignis corruptionis et hic conſpiciendis, perioſtium, os naturaliter arcte complectens, facili negotio detrahebatur et tandem totum os ipſum liuidum inueniebatur. Haec conditio oſſis admodum mira impulit diſſecantem, ut alia oſſa corporis diſquireret quae, uti reliqua oſſa, colore naturali priuata erant, et in omnibus aeque facili negotio, ac hic, perioſtium ſecedebat, cuius contagii et corruptionis cauſam Cl. Auctor in reſorptione materiei oleoſae corruptae, ex oſſibus morbidis nunc ſanguini admixtae, tantum oſſibus, nec caeteris corporis humani viſceribus, inhaerente, quaerendam eſſe ſtatuit.

p. 87. Quam ordine nunc tangimus, obſeruationem decimam ſeptimam, ea idem malum, iisdem poſt mortem inuentis in perioſtio conditionibus, et alia hiſtoria decima octaua nempe, collatis iis cum decima nona et viceſima oſſium morboſorum, occaſionem ſuppeditant Cl. Auctori diſſerendi non nulla, quibus ſub conditionibus amputatio membrorum inſtitui debeat, et porro, ſi os quoddam a vitiatis humoribus corruptum ſit, quali cura aegroto ſubueniendum ſit? Amputatio membrorum, quando ſuſcipitur, dubii ſemper eſſe euentus nemo ignorat: ſeruantur tamen plures, licet vi externa quadam, quae varia eſſe poteſt, corpori eiusque oſſibus noxa illata ſit, ſi modo ſine cunctatione deſtructum tollitur membrum. Vbi vero a cauſis violentis corrumpuntur oſſa, putredine praeſertim in illis diu ſerpente una cum ulcere partium mollium: tunc contaminatur ichore iſto

anguis,

ſanguis, et exitus operationis dubius euadit. Medicamenta, quae corruptis humoribus et in oſſibus haerentibus, ad corrigendos eos, adſunduntur, non ſemper pertingunt ad cuniculos latentes, ſed exteriori tantum ſuperficiei illiniuntur, ubi os in propatulo eſt. Concedamus, mutari etiam particulam oſſis morboſam, quae medicamentis attingitur; non tamen eo ipſo putredo, profundius ſita, quo minus ultro prorepat, ſiſtitur. Quid? quod in articulationibus, ubi oſſa molliora ſunt, difficile admodum cohibetur progrediens ſemper corruptio. Nemo autem negabit, quotidie aliquid ab humore iſto corrupto reſorberi venis, et uniuerſae humorum maſſae admiſceri, qui non poſſit non eſſe admodum nociuus, et quin ſanguinem ac contagium peſtilens coinquinet. Quam grauis vero labor ſit ſanguinem, eius modi impuris humoribus infectum, purificare, ii optime cognoſcunt, qui illud conantur. Mercurio illud nociuum mutare et expellere tentauit quidem Cl. Auctor; verum energiam eius ac ſingularem efficaciam, quam laudant alii, non deprehendit. Plus effici forte poterit decocto ligni guaiaci rite praeparato, niſi febris lenta, utplurimum ſimul corpus depaſcens, largiorem et ſpiſſiorem potum prohibeat. Optandum eſt cum Auctore, quo reperiatur eius modi auxilium, huic impuritati humorum opponendum, tam certo euentu, ac mercurius adhibetur in contagio venereo. In antimonio forte, cuius uſus in non nullis impuritatibus ſanguinis iam conſpicuus eſt, latitare eius modi remedium non ſine magna probabilitate is coniicit, aliisque, ut ſedulo inquirant, commendat. Hactenus in uſu fuit Noſtro dare aegrotis, qui ſpina ſic dicta ventoſa laborant, decoctum ligni guaiaci et ſerum lactis cum cremore tartari, ſed ſingulari artificio, prout ſcribit, confectum, ideo, quia acida potiſſimum reſiſtunt putredini. Et ſuccum herbarum conuenientium adfundere ſuadet ſero la- p. 101.

ctis, praeſertim, ſi aliquid ſcorbuticae luis admixtum ſit ſanguini, carie oſſium adfectorum.

Fiſtularum perinaei tres notatu dignas enarrationes caſu viceſimo primo ad tertium uſque nunc tradit, quarum prior prae reliquis copioſe deſcripta eſt: Altera orta eſt poſt ſectionem calculi, ubi materia terreſtris urethram obducebat intra illud temporis ſpatium, quo aegrotum a lue venerea, qua infectus erat, purgare neceſſarium eſſe credebant medentes. Diſſecuere tum urethram, exemtoque concreto tartareo et oris vulneris et urethrae ſcarifatis, conſolidarunt vulnus. Tandem tertia fiſtulae perinaei curatio comprobat uſum ſingularem ſcarifationis in partibus mollibus, calloſis ſaepius factis, quae numquam glutinantur, niſi antea ſauciantur et inflammantur, prout etiam in velo palatino et naſo illud tentauit Cl. Auctor.

p. 119. Exſectionem humeri ex articulo in puero quindecim annorum, quam caſu viceſimo quarto deſcribere coepit, olim forte enarrabimus, ſi ea, quae ul-
p. 130. tro acciderunt aegroto, perceperimus. Finem his obſeruationibus facit relatio herniae incarceratae ſuppuratae et ex intemperantia aegrae in victu, funeſtae factae.

IX. Prin-

IX.

Principia phyſico-medica, in tironum medicinae gratiam conſcripta a IOANNE CLAVDIO ADRIANO HELVETIVS, Regi a ſanctioribus conſiliis, Reginae Archiatro, noſocomiorum regiorum militarium Praefecto, Doctore Medico Pariſienſi, e Regia Scientiarum Academia et Regii Nanceianorum Medicorum Collegii Socio. Tomus I et II, iuxta exemplar Pariſinum recuſi. Praefatus eſt D. IO. PHIL. BVRGGRAVIVS, Conſiliarius et Archiater Elect. Mogunt. Medicus Ordin. Francofurti ad Moenum, Acad. Imp. Nat. Curioſ. Soc. Francofurti ad Moenum. Sumtibus haeredum B. Stockii, Schilling et Weber. 1754. 4. Tom. I. alph. 1. pl. 13. praefat. pl. 2. Tom. II. alph. 1. pl. 8.

Quod legem, hucuſque ſtudioſe a nobis obſeruatam, ne de libris, niſi originalibus eorum editionibus ante oculos poſitis, dicamus, hoc quidem in opere violemus, in cauſa eſt, tum quia haec editio, ab eruditiſſimo medico profecta, tuto omnino videtur originali ſubſtitui poſſe, tum quia, praecipuum quod ei acceſſit ornamentum, praefationem editoris ſilere nolebamus. Phyſicam et medicinam diſterminantes fines in hac praefatione delineantur. Phyſicam eſſe ſcientiam corporum naturalium, quatenus talia; medicinam ſcientiam corporis animalis, praecipue humani, quatenus ſanitatis particeps ſit, in confeſſo eſt. Phyſicus corpus animale et, quae ei contingunt, ſaltim quatenus phaenomena naturalia ſunt, examinat; quatenus vero haec ipſa cognitio eo dirigitur, ut medicina inde principia hauriat, medicina theoretica vocatur, et anatomiam, phyſiologi-

am, pathologiam cum ſemiotice complectitur. Practica medicina corpus animale, in primis humanum, rimatur, non tam ut naturale, aut mixtum, aut ſtructum aut automaton, ſed quatenus ſecundum has omnes adfectiones dirigendum eſt, ut ſit vel fiat ſanitatis particeps. Per ſanitatem vero intelligi ſummam integritatis functionum ſingularum partium corporis animalis ex phyſica colligimus. Res non naturales, quibus corpori ſanitas conſeruatur, medicamenta, quibus illi reſtituitur, eligere et inuenire phyſica docet, determinare medicina. Phyſica explorat, quid varia corpora naturalia, imo uniuerſa, ex tribus naturae regnis ditiſſimis, ex ipſa terrifica fulminis materia, electriſmo tam per ſe, quam inuicem compoſita, et ad corpus animale, praecipue humanum applicata, efficiant. Medicina ex his diiudicat, an, quando et quo modo ſanitatem conſeruare, laedere aut reſtituere poſſint. Hinc hygieine, prophylactice, therapeutice cum chirurgia naſcuntur. Hinc eluceſcit veritas prouerbii: medicum incipere, ubi deſinit phyſicus, quod tamen non ita accipiendum eſt, ac ſi medicus ita rem ſuam ſeorſim habeat, ut ex phyſica principia petere amplius non debeat. Non enim poterit ſanitatem corporis ſani ſeruare, niſi aeris et alimentorum ſufficientem cognitionem phyſicam habeat, non medicamenta efficere, aut illis uti, niſi et horum phyſicam cognitionem ſibi acquiſiuerit. Hinc hiſtoriam naturalem colere debet medicus, praecipue quod ea corpora, quae inter medicamenta uſus iam retulit, aut quorum medicae vires praedicantur, quod felicius praeſtabit, ſi ſeparare partes, et denuo coniungere ex chemia didicerit. Igitur meteorologia, minerologia, botanica, zoologia, chemia, pharmacia, partes phyſicae et ſubſidiariae medicinae, non ipſius medicinae eſſentiales ſunt, quibus tamen rationalis medicus carere numquam poteſt. Corporis vero animalis notitia accurata haberi

beri non poteſt, niſi generales corporum adfectiones cognoſcantur, unde motuum leges, principia corporum, aeris conditiones, terrae ipſius ad totum mundi ſyſtema habitus, quatenus ex eo tempeſtatum viciſſitudines pendent, ignorari non debent, primaria itidem, quibus natura ad mutationes producendas utitur, inſtrumenta, quae fermentationem et putrefactionem appellat Noſter, quae nota eſſe debent.

Libri ipſius pars, quam in manibus habemus, mere phyſica eſt, doctrinae naturalis aliquod ſyſtema. Vnde multi in illo recenſendo non erimus, in partibus, medicinam propius attingentibus, quibus haec veluti fundamentum ſubſternitur, magis adhuc egregia, a celebritate auctoris exſpectantes. Quoniam p. 1. conſtat, corpus humanum machinam eſſe hydraulicam, e ſolidis fluidisque conflatam, plurimi intereſſe monet argumentum operis, ut medicinae ſtudioſi notas habeant naturae leges, ſecundum quas in ſe agunt corpora, naturam etiam corpuſculorum primigeniorum ſeu elementorum chymicorum, ex quibus conflantur mixta. Igitur in opere haec diſquirenda proponuntur: I) *An omnes corporum motus, ſeu* p. 3. *translationes e loco in locum abſoluantur impulſu, ſeu immediato corporum conflictu, vel attractione, i. e. viribus ſemper inhaerentibus ſingulis materiae partibus a primordiis.* II) *An detur fluidum tenuiſſimum iugiter migrans (ſub vaporum inconſpicuorum forma) e terrae praecordiis in atmoſphaeram, quod valeat expedite transmeare corporum obuiorum compagem et atmoſphaeram circa eorum ſuperficies procreare.* III) *An multae partes igneae deliteſcant et hoſpitentur in intimis omnium corporum receſſibus, dum aliae peruadunt eorumdem corporum tramites?* IV) *An dentur partes materiae natura ſua flexiles et elaſticae, et diuerſae ab aliis partibus, quibus coaleſcunt corpora, i. e. an dentur partes aereae propriae dictae?* V) *An dentur*

tur corpuſcula peculiaria et ſimpliciſſima, quae valeant ſua natura frigoris ſenſationem ſuſcitare et liquores denſare ac conglaciare? His abſolutis promittit Ill. Auctor, inquiſiturum ſe in mechanicam, qua peraguntur functiones corporis in ſtatu ſano, et expoſiturum methodum functiones laeſas reſtituendi, ſeu morbos curandi, quo labore videmus non ſaltim artis ſalutaris tironibus inſeruiturum, ſed ad ipſum eius incrementum plurima collaturum, ſi ut ſpem facit, quaecumque vel legit, vel aliena aut propria experientia didicit, publici iuris faciat.

p. 5. Iam ad ipſa principia phyſica, duobus tomis contenta, progredimur. Primus tomus capitibus quinque agit *de primigeniis materiae qualitatibus, de legibus, ſecundum quas vires corporum diſpertiuntur aliis corporibus, nec non de legibus, ſecundum quas transferuntur corpora, de quantitate virium, quam prementia vel percutientia corpora impertire debent corporibus preſſis ſeu percuſſis, de directionibus et velocitatibus, quibus feruntur poſt conflictum corpora dura et mollia, quae nullo pollent elaterio, denique quaeſtiones et coniectationes phyſicas exponit.* Nobis pau-

p. 25. ca ſpecimina dediſſe ſuffecerit. In primo capite attractionem negans, hoc utitur experimento: duo plana laeuigata, madefacta, magna vi in vacuo ſibi adhaerere, cum contra, ſi ſumantur duo hemiſphaeria, qualia Magdeburgica vulgo vocantur, quorum margines planis illis ſuperficies aequales habent, in vacuo ſeparentur: ſi vero ab attractione proficiſceretur cohaeſio, infert eandem in utroque caſu eſſe debere. Ipſe vero phaenomenon ſic explicat, ut ponat fluidum eſſe tenuiſſimum, quod loca aere vacua repleat; hoc igitur cum ſit in hemiſphaeriis euacuatis aere, ſub campana (*excipulum* vocat) euacuata poſitis, ita quidem ad illa disiungenda agit, ut aer hemiſphaeriis non euacuatis incluſus, ſi in aere libero ponantur. Illis vero fluidi tenuis vis a circumfuſo

hemiſphae-

hemiſphaeriis ſimili fluido, campanam replente, coer-cetur aeque, ut vis aeris, qui vas datum aere libero circumfuſum replet, ab hoc externo aere: igitur hemiſphaeria tunc demum ſecedunt a ſe inuicem, ubi pondus illorum ad ſegreganda ea agit. Illud vero p. 28. argumentum, quod exinde, quia vitrum, cuius poſtica pars adiacet ſpatio, ab aere vacuo, radios fortius reflectit, quam ſi haec pars adiaceat ſpatio, aere pleno, inferunt retrogredi radios lucis, non quia a corporibus reflectantur, ſed quia a vitro attrahantur; opponit eſſe ex ſua ſententia poſt vitrum, ſpatio ibi ab aere euacuato, materiam tenuiorem aere, cuius interſtitia cum minora, ut conuenit, ſint partibus ipſis, ſit haec materia leui multo minus peruia, quam aer, hincque lux maiori copia reflectatur ab hac materia, quam ab aere ipſo. Ita alias rationes, quibus attractionem oſtendere laborarunt phyſici, refellit, NEWTONVM ipſum ea ſaltim tamquam nomine, non tamquam cauſa uſum eſſe monet, et argumenta in contrarium profert, inter quae hoc unum eſt: Maſſae maiori mercurii v. g. circumpo- p. 44. nantur in aequalibus diſtantiis, guttulae mercurii, v. c. viginti, hae ſingulae eadem velocitate ad maſſam maiorem accedent, qua unica ſolitaria ad eam acceſſiſſent. Iam ſi accedunt ob vires, mercurii partibus inſitas, accedere debent multo lentius, cum eadem vis attrahens maioris maſſae, primo caſu in viginti guttulas, altero in unicam agat, ſicque hoc caſu actio viginti vicibus fortior eſſe debeat. Videt attractionis fautores reſponſuros, guttam quamuis non attrahi a tota mercurii maſſa, ſed a partibus ipſi directe obuerſis; tunc vero ait attractiones fore non in ratione maſſae corporis trahentis, ſed in ratione ſuperficiei, quae corpori, quod attrahitur, opponitur. His aliisque multa pro attractione regeri poſſe, videbunt harum rerum periti, ſed noſtrum eſt cogitatorum Ill. Viri ſpecimina quaedam adducere, non

 cum

eum illo contendere. Acceſſus autem et receſſus corporum a fluidis, quae ipſa circumdant, proficiſci adſerit, et ſingulis corporibus propriam atmoſphaeram eſſe, quod inde probat, quia ſi acus, pingui corpore illita, aquae imponatur, aqua circumfuſa paululum diſtet ab acus ſuperficie, et idem etiam cum pluribus corporibus heterogeneis ſibi admotis experiamur, reflexionem lucis etiam fieri a fluidis, ex corporum intima compage dimanantibus.

p. 1. Haec credimus ſpeciminum loco ex tomo primo
ſufficere poſſe. Secundi unicum caput eſt *de primi-*
geniis corporibus cognitis, ſeu elementis chymicis, ſed
in plures articulos et paragraphos diuiſum, ubi de
lumine, aqua, aere, terra, ſalibus, ſulphure, fer-
mentatione, uberrime tractatur. Referamus quae-
dam auctoris de ſalibus ſeu ſubſtantiis iis, quae ſapo-
p. 140. res procreant. Has pro triplici ſapore, acido, acri
et ſalis culinaris, in acida, alcalina, neutra diſperti-
tur. Alcalinorum ſalium ſuperficies plurimis *extan-*
tiis ſeu aculeis eſſe praeditas, et illas *extantias* eſſe
rigidas, cum chemicis ex acritudinis ſapore infert.
p. 147. Lapidibus ineſſe poſſe ſalinas ſubſtantias, licet igne
educi non poſſint, colligit ex experimento Cl. DU
CLOSS *, ubi ex ſale tartari cum ſabulo caementum
factum fuit: Plantis et animalibus ineſſe, ex odore
et ſapore infert, et ad ſalia, ex illis producta prouo-
cat, ubi monet ex animalibus maiorem copiam ſalis
fixi et minus volatilis educi, quam ex vegetabilibus.
p. 149. Sanguini acidum ineſſe adſerit perſuaſus experimento
Cl. HOMBERGII **, qui acidum ex eo, mediante
capite mortuo ſanguinis deſtillati, obtinuit. In ſu-
ſpenſo ſcilicet tenuerat chymicos, quod aliter, quam
intermedio adhibito, obtineri acidum ex ſanguine
nequeat. HOMBERGII vero intermedio adhibito
idem

* vid. Memoires de l'Acad. Roy. des Scienc. à Paris, l'année 1667. p. 26.

** ibid. l'année 1712. p. 47.

idem eſt, ſiue acidum ex hoc, ſiue ex ſanguine ipſo natum ſit. Alcalina ſalia ſimplices ſubſtantias non eſſe, ſed in acidum et terream ſubſtantiam reſolui poſſe, rurſus Cl. HOMBERGII experimentis firmat. Cur p. 179. acida cum alcalinis non ſemper efferueſcant, quae aberratio a regula in ſpiritibus urinae et aceti obſeruatur, rationem reddit hanc: alcalina, ſulphureis partibus inuoluta, non congredi poſſe cum acidis aquae mixtis, quia ſulphur et oleum reſpuat aquam, et ſic alcalina veluti tueatur; ubi vero magna aquae copia adfunditur, recedit oleoſum ab alcalico, aquae ſupernataturum, hincque inter alcalica denudata et acida naſcitur conflictus. Sed plura ex hoc libro adducere opus non erit, cum ſatis ex iis, quae protulimus pateat, copia variae lectionis docere illum poſſe non tirones ſaltim, ſed etiam ſaepe eruditos; deinde in propriis Ill. Auctoris meditationibus et phaenomenorum explicationibus, ingenium certe et perſpicaciam admiraturos eos etiam, qui de principiis ipſis adhibitis aliter forte ſentiunt. Egregio denique opus hoc inſignis medici exemplo eſſe poteſt artis ſalutaris ſtudioſis, ut generales corporum adfectiones, motuum leges, eorum, ex quibus uniuerſum hoc ſenſibus obuium conſtat, proprietates, uno verbo phyſicam non negligi debere, ſed diligenter excoli intelligant, licet optemus, ut Cl. Auctor ſua cogitata, linguae latinae genio magis accommodata, propoſuerit.

X.

Hamburgiſches Magazin, oder geſammlete Schriften, aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Zwœlfter Band. Hamburg, bey G. C. Grund, und Leipzig, bey A. H. Holle, 1753. 8. 1 Alph. 20 Bogen und 2 Kupfertafeln.

Hoc eſt:

Promtuarium hamburgenſe, ſiue collectio ſcriptorum, ex phyſica et humanioribus literis collectorum, Tom. XII.

p. 3. *Pars I. Num. 1. Tentamina inuentorum, ope microſcopii in hiſtoria naturali et philoſophia factorum,* a IOH. HILL, M. D. quorum verſionem ex anglico in germanicum ſermonem hic legimus, alio vero loco iam expoſitionem tradidimus *.

p. 46. *Num. 2.* Cl. HALESII *nociuam aeris conditionem in locis clauſis ope candelarum diſquirendi methodus,* ex ipſo eius MSto anglico translata ab A. G. K. Res eo redit, ut candelae unius eiusdemque craſſitiei et ponderis in diuerſis locis accendantur, atque, quantum ſingula uno eodemque tempore perdiderit pondere, adnotetur. Per inſtituta in carceribus publicis, nec non in fodinis carbonariis et metallicis tentamina inuenit ipſe Cl. HALESIVS, candela in libero bonoque aere plus perdidiſſe de pondere ſuo, minus in inquinato clauſorum locorum; atque quo corruptior aer ſit, eo minus ponderi candelarum detrahi inde colligit.

p. 50. *Num. 3.* IOH. CONR. FVESSLINI *relatio de corporibus a putredine non corruptis.* Fuſe enarrat deſcribitque Cl. Auctor, quae Koenigsfeldae, in pago Bernenſi Heluetiae ſitae, in ſepulcro principum domus Auſtriae, nec non in prouincia Saxia tigurina, in ſepulcro

* Vid. Comment. noſtr. Vol. II Pars IV p. 664 ſeqq.

pulcro liberi Baronis de Sax, notatu digna vidit. Atque quum modo veſtimenta, modo tumulos integros, modo deſtructos, ſtramina integra, corpora alia in puluerem conuerſa, aliud vero corpus adhuc integrum ſeruatum viderit, rationes autem phyſicas phaenomenorum eiuſmodi inuenire nequiuerit, quaeſtiones aliis ſoluendas ſe propoſuiſſe naturae indagatoribus, ſatius ſibi eſſe duxit.

Num. 4. *Electrica tentamina, tonitrua et pluuias ſpectantia, ex litteris* P. ANDR. BINA, Ordinis Benedictinorum, ad Cl. KAESTNERVM. FRANKLINI tentamina repetiit Cl. BINA, ope filorum ferreorum, tenuiorum, quae a cacumine turris cuiusdam in ſuum cubile deduxit, ſcintillasque electricas, orta tempeſtate, repetitis vicibus inde exſiliiſſe vidit. p. 57.

Num. 5. IOH. CONR. FVESSLINI *de notabili igne tonitruum relatio.* In prouincia Egliſouienſi, anno 1731 tempore ſementis refert Cl. FVESSLIN accidiſſe, quod, quum femina LX annorum cum ſocero aliisque meſſoribus, ſecalis metendi gratia, in agros ſeſe contuliſſet, orta a meridie tempeſtate, reliquisque in ſyluas confugientibus vicinas, ipſa anus cum ſocero remaneret inter ſegetes. Subito vero ambos hos, fulmine tactos, et pro mortuis habitos domum portabant ex ſyluis accurrentes meſſores. Vetula ad ſe rediit; ſocer manſit demortuus, in dextro femore leuem modo paſſus contuſionem. Vetulae corpus vero valde laeſerat fulminis ictus. Eius veſtis non niſi foraminulo quodam perforata erat ſub laeua thoracis parte, per quod penetrans fulgur, atque per omnem abdominis ſeſe diſpergens ambitum, pilos cutemque urendo conſumſerat, pluraque in reliquis partibus violentiae ſuae impreſſerat veſtigia. Multos quidem perpeſſa dolores, vetula tamen conualuit. Ex his deinde elicit varia Cl. FVESSLIN de cauſſa effectibusque fulminis corollaria, quae huc transferre diffuſum nimis eſſet opus. p. 59.

Num. 6.

p. 63. *Num. 6. Succincta experimentorum, de modo et ratione digerendi cibos in diuerſi generis auibus, a* Cl. DE REAVMVR *inſtitutorum, expoſitio,* quam ex variis Cl. Auctoris ſcriptis tranſtulit & excerpſit I. A. V. *.

p. 90. *Num.* 7. De forficula, verme, ventrem ſuum, qui deuorauit, exponit I. A. VNZER. Diſciderat transuerſim ſub pectore illum, quem viderat in menſa tranſcurrere, ita, vt ventrem a pectore ſepararet; ventrem vero ita ſeparatum forficula mutilata ſubito adgrediens, magna cum auiditate coepit deuorare, totumque ventrem, motibus huius variis nihil obſtantibus, deuorauit, exuuiis non niſi relictis. Miram animalculi famem!

p. 93. *Num. 8.* Non nulla noua, ſcientiam naturalem illuſtrantia, ex diuerſis ſcriptis excerpta adducuntur.

p. 115. *Pars II. Num. 1.* Continuatio tentaminum Cl. HILL ſupra memoratorum legitur.

p. 174. *Num. 3.* Phyſicam de thermis et medicatis fontibus, in Comitatu Zipſenſi inueniendis, relationem tradidit Cl. C. G. SCHOBER. Inter plures, quibus Hungaria et in primis Comitatus Zipſenſis abundat fontibus medicatis, primum deſcribit Cl. Auctor illum, quem Neo-Lublouiae vidit. Scaturigo fontis in profundo valle deprehenditur inter altiſſimos montes, atque ſi ſerenum coelum fuerit, multa validaque pollet virtute medica, quae, ſi pluuioſa fuerit tempeſtas, aut ſi quibuscumque in vaſis tranſportetur aqua, valde perit. Sapor acidum vitriolicum indicat; Recens ex fonte ſi bibatur aqua, aer, quo ſcatet, per ructus vehementi cum impetu redditur ex ventriculo. Proſiliens ex ſcaturigine ſua multas magnasque format aqua bullulas, quae

* Deſumta haec eſt ex commentario, a Cl. Auctore in conuentu. Acad. reg. Scient. Pariſ. praelecto, de ipſis vero experimentis, ſuo tempore, dum ea in commentariis dictae Academiae typis exſcribentur, plura ſumus dicturi.

quae ſi aqua vitro hauſta ſit, lateribus vitri ſeſe adplicant. In et prope fontem, nec non ad omnem eius tractum, non niſi ochra lutea reperitur, vicinis vero in terris humus nigreſcentis coloris. Circa hunc pluresque alios fontes ſe praeter ea vix quidquam, quod notari mereatur; circa thermas vero plura reperiiſſe perhibet Cl. SCHOBER.

Primum inter has thermas locum occupant illae, p. 176.
quae Truſchbachii vel Rauſchenbachii, haud procul ab arce Lüblouienſi ſcatent, et a plurimis frequentatae quotannis, laudantur ex Hungaria, Poloniaque aduenientibus. Sed deſiderantur, quae conſeruent easdem, aegrosque alliciant, et aedificia, et bene ordinata adminiſtratio. Hyeme dicitur haec aqua ita calere, vt balneo apta ſit; aeſtate vero frigeſcit eadem, et ante quam adhibeatur ad balnea, in cupreo vaſe calefiat, opus eſt. Aeſtiuum in primis uſui thermarum conuenire viſum eſt tempus. Adhibent vero has ad balnea modo ſolas ebullientes, modo dimidiam partem ebullientem, alteram frigidam, fuſamque in vas amplum, cui ſuperimponunt pannum et ad refrigerium conueniens relinquunt. Bis de die utitur aeger balneo, et prout morbi poſtulat conditio, uſum eius continuat modo duas, modo tres hebdomadas, immo per menſem integrum. Pro potu ordinario inter thermarum uſum inſeruit fons medicatus, qui in vicinia proſilit, et vinum hungaricum.

Fons, ex quo aquae hae proueniunt, in valle quodam et quidem in altiori loco poſitus eſt. Locum illum ex lapide, quem thermae ſecum ferunt, aeque ac circum ipſum fontem exſtruxit natura mirifico modo formatum catini figura, receptaculum. Catinus hic lapideus, circulari fere ambitu inſtructus, cono truncato ſimilis eſt, ita tamen, vt baſin verſus ſe praecipitem nimis det, atque ſenſim ſenſimque in vicinis terris euaneſcat. Diameter eius ad oſtium ſuperius eſt quindecim circiter ulnarum dreſdenſium, altitudo fere trium ulnarum,

narum, craſſities ipſius lapidis nondum ulnae dimidiam partem adaequat; catinus ipſe, qui aquam continet, unam et quadrantem ulnae profundus, tribus in locis perforatur, oſtiumque quodlibet circiter octo pollices latum, et tres pollices longum eſt. In vicinia fontis huius varii montes conſpiciuntur, variis ſimilibusque catinis inſtructi, qui vero exſiccati, aquas non vehunt. Lapis, exteriorem montium, qui format cruſtam, ex quarzo albo, maximam tamen partem ex ſchiſto rubro componitur; albus procul hinc in valle obſeruatur calcareus lapis; et in ipſo valle paullo poſterius marmor gryſeum minus bonum, calci viuae parandae inde aptum modo conſpicitur. Lapidis huius gryſei magna pars multis ſcatet, veluti piſolithes, lapillis, piſum, vel pruni nucem aequantibus. Aqua ipſa clara ſatis eſt, ſine colore; ſaporis fere eiusdem, ac vicinus fons medicatus, vix tamen adeo puri, ſed ſulphurei quid putridique linguae imprimentis. Cocta obſcurior euadit, et multum deponit lapidem; quando refriguit, margam quoque ſubtilem copioſam in fundo relinquit.

Lapis, ex quo catinus ille formatur, calcareus eſt, topho carolinarum thermarum non abſimilis, albus, leuis, multisque perforatus fauorum inſtar foraminulis, continuo ſeſe apponit, creſcitque in diem. Aqua enim ſeſe in nonnullis locis late diffundit ſuper dictos lapides, vaporesque plures ex ampla ſuperficie ſpargens, ſenſim quaſi euaneſcit, lapide relicto copioſo. Vndarum plena ſuperficies aquae, velut alabaſtrum in ſalinis, et tophus in fodinis metallicis, ſuum utique apponit ad latera lapidem, catinumque ipſa ſibi exſtruit. Lapis vero hic cur multis ſcateat foraminibus, cauſſam tribuit Cl. Auctor aeri, qui copioſis in aqua ſe prodit bullulis, ſuper quas ex aqua deponitur lapis. Praeter has deſcriptas thermas fontesque medicatos plures alii adhuc in eodem Zipſenſi comitatu inueniuntur, quorum vero neque adeo frequens eſt uſus,

neque

neque adeo mirabilis fabrica, ut Truſchbacenſis. Hos igitur ſigillatim non deſcribit Cl. SCHOBER, ſed, unius tantum facta mentione, non nullas de ipſo hoc lapide ſ. topho aquarum ſubnectit meditationes.

Pars III. Num. 2. Longitudinem urbis Gedani, calculo facto, definit Cl. FRANC. DE L'ANDE, in epiſtola ad Cl. KAESTNERVM data, quae hic translata legitur. p. 282.

Num. 3. Non nulla, hiſtoriam naturalem illuſtrantia de oppido Saxoniae montano Berggieshübel enarrat I. CH. HELK. Inter varias res, quibus oppidum hoc ſuperbire tradit Cl. HELK ſingularibus, in primis lapidem faſciatum et Schiſtum viridem deſcribit, et depingit, quibus abundant fodinae circa oppidum hoc factae metallicae. p. 286.

Num. 4. Quid circa tranſitum mercurii per ſolem d. 6 Maii 1753 obſeruauerit, breuiter enarrat IO. CHRIST. BAVMANN. p. 294.

Pars IV. Num. 1. Continuatio tentaminum Cl. HILL legitur. p. 355.

Num. 2. Diſſertatio, quae a regia pruſſica Academia Scientiarum praemium, propter ſolutam quaeſtionem de principio actionis muſculorum, accepit, cum aliis, ex gallico ſermone translata exhibetur *. p. 399.

Num. 3. Epiſtola Cl. DE AXIMAY, Pariſ. ad Cl. P. . . Londini degentem, de excellentia vaſorum ex ferro factorum ad cibos medicinasque praeparandas, e gallico verſa ſermone. Exponit hic Cl. AXIMAY hiſtoriam vaſorum ferreorum, in Gallia nuper inuentorum, deinde dubia quaedam circa eorum uſum in culinis remouet ſoluitque egregie. Primum quod attinet momentum, inuentorem huius noui vaſorum generis nominat Cl. de PREMERY, Pariſiis degentem, qui primus ferrum, igni non admotum, malleo tractauit, p. 426.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 403.

tractauit, ſtannoque obduxit, vaſa inde omnis generis parans dexterrime. Cuius quidem inuenti praemium illud obtinuit Cl. de PREMERY, vt ſolus vaſa huius modi per omnem Galliam diuendere poſſet; ad ipſum quoque ſub initium multa acceſſit hominum turba, vaſa ferrea ſibi coemturorum, eosque tum rei nouitas, tum vile vaſorum pretium et inſignis leuitas adlicere viſa eſt. Sed quos habuit Cl. PREMERY monopolii ſui, ſocios, inuidia eo commouit, ut ſeſe ſeparare, atque ſuam quisque diuendere, cuperet vaſorum copiam. Qua facta commercii huius vaſorum ferreorum diuiſione, illisque dein male ſuarum mercium curam habentibus, olim PREMERII ſociis, ſenſim etiam commercii huius vaſorum euanuit celebris ante fama, et quae olim omnes, iam fere nullus ſibi coemere cupit vaſa ferrea, eam forte etiam ob cauſam, quod rubigine exeſa fuerint ex neglectu eorum, qui haec vendunt, plurima. Ab his ad dubia, quae mouent coqui circa vaſorum ferreorum uſum, ſoluenda ſe vertit Cl. de AXIMAY. Haec eo redeunt, quod vaſa ferrea, nimis tenuia, ignem non ferant, cibique in iis facile igne corrumpantur, nigreſcenti ſimul imbuti colore. Verum haec tanta non ſunt, ut uſum vaſorum ferreorum dubium reddant, aut prorſus inanem. Sine multo enim negotio craſſiora, denſiora, firmiora parare poterit vaſa dexterrimus PREMERY, tenuia olim ex coementium voluntate qui fecerat. Tenuis autem vaſorum fabrica, vel ex eo ſeſe commendauerat, quod non modo pondere leuiora facile ferri poſſent, ſed et carbonum tantam non exigerent copiam, ignisque inde pendentem vim, ac craſſa vaſa cuprea. Poſcunt haec modo attentum ad ignis moderamen coquum, et ſi quam cibis adferant, ſane non noxiam indunt facultatem, qualem ab aeris viridi in vaſis cupreis certo ſcimus admiſceri cibis. Comparat hinc Cl. AXIMAY effectus naturamque viridis aeris cum rubigine ferri, monſtratque huius ſalutarem,

illius contra venenatam vim fuſius. Quae tamen argumenta repetere hic vix inſtituti ratio permittit omnia, praecipuis iam expoſitis plenius.

Num. 4. Collectionem quandam ſcriptorum, ab omnibus academiis ſcientiarum editorum, indicari legimus; alio vero loco ipſam iam indicauimus *. p. 457.

Num. 5. De vaſis aeneis, coquinae famulantibus quod agit, Programma Cl. SAM. THEOD. QVELMALZII ** breuiſſimis exponitur. Cupri internum uſum valde nociuum fatetur Cl. QVELMALZ eſſe, admittique inde parata vix poſſe pharmaca. Facile porro quum ſolui ab aqua cuprum, vel ipſa cauda pauonis, ut dicunt, teſtis ſit in aquae ſuperficie enata, cereuiſiam quoque in cupreis vaſis coquere nefas eſſet, niſi fermentatione ſubſecuta, cupreae particulae ob pondus fundum iterum peterent. A recens paratis vaſis cupreis nauſeoſus valde tribuitur cibis ſapor, qui perit continuato uſu ob ochram copioſam ex aquis plurimis ad latera vaſis cuprei depoſitam formatamque inde cruſtam. Si porro ſalia et in primis acida vegetabilia cibis admiſcentur in vaſis cupreis, maior inde imminet noxa, hinc pharmacopolae ne acetum deſtillarent ex cupreis vaſis, monendi eſſent; aliique ſimul homines, nimium ne ſaepe credant colori. Multa enim parantur in cupreis vaſis ciborum genera, ut laetus enaſcatur color; quod docent cucumeres aceto maceratae, piſces elixati in eiusmodi vaſis, alia. Alcalina vel magis ammoniacalia ſalia idem efficiunt incommodum, quod acida. In primis carnes variorum animantium fumo induratae, vel aere ſiccatae, p. 461.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 354.

** Prodiit illud anni 1753. d. 21 decembr. 4. iunctumque eſt diſſ. inaug. quam Praeſide D. ANT. GVIL. PLAZIO, Bot. P. P. O. Reſpond. *Ioh. Gottfr. Sonnenkalb,* publice defendit de ſanitatis publicae obſtaculis conſcriptam.

tae, viuaque maceratae calce, ammoniacali ſcatentes ſale, facile a vaſis cupreis quid abradunt ſoluuntque in corporis perniciem. Idem vero valet de orichalco, quod de cupro valuit, iudicium. Plus nocet adhuc cuprum, cum arſenico album redditum. Sapor, quem cibis tribuit, confirmat idem. Neque ſtanni ſuperinducta multum prodeſt lamina. Si vero quis quaereret, cur ſine multa noxa huc uſque uſus inualuerit cupri, dubium hoc Cl. QVELMALZ ex eo ſoluit, quod forte et ciborum blanda, ſine ſalibus additis, indoles cuprum non ſoluerit, diuque continuata non fuerit coctio. Tandem et arenae ope munda reddi vaſa cuprea non debent ideo, quod facile abradant ſtanni laminam. Quum igitur cuprea vaſa nociua adeo ſint; ferrea etiam, ab acidis facile adroſa, cibis vitriolicum quum tribuant ſaporem, tantamque vix diu ferant ignis vim; praeferri inde ſemper videntur reliquis vaſa terrea, argillacea.

p. 467. *Pars V. Num. 1.* Literae Cl. STARR ad Cl. MORTIMER datae, morbi ſtrangulatorii continentes deſcriptionem, translatae huc leguntur ex Actor. Philoſ. num. 495. art. 6, quas ipſi iam alibi recenſuimus *.

p. 483. *Num. 2.* Epitome literarum GVIL. ARDERON ad HENR. BAKER datarum, pumilionis deſcriptionem continentium, una cum facta menſurae huius cum pueri, infra quatuor annos nati, menſura comparatione, ex iisdem deſumtum ex actis anglicanis, eorumque num. 495. art. 10. **.

p. 487. *Num. 3.* Quae de natura et proprietatibus aquae communis, tamquam menſtrui, expoſuit Cl. ELLER, ex Actis Academiae Scientiarum Berolinenſis anni 1750 deſumta legimus, ipſi vero iam indicauimus ***.

Num.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV p. 693.

** Ibid. p. 695.

*** Ibid. Vol. II. P. III. p. 427.

Num. 4. Nec non ea quae de phaenomenis ex- p. 512.
plicat Cl. ELLER, quae ſe produnt, quando ſalia quaeuis in aqua communi ſeparatim diſſoluuntur, ibidem recenſuimus *.

Num. 5. Examen particularum, ex quibus lapi- p. 535.
des componuntur, qui, carbonum ope calcinati, lucique poſt expoſiti, ſplendeſcunt, cum addita deſcriptione artificialis horum lapidum compoſitionis, a Cl. MARGGRAFIO inſtitutum, iisdem in locis expoſuimus **.

Num. 7. Anonymi ſomnium philoſophicum de p. 574.
cauſis pluuiae, ex italica translatum lingua, quod quum modo ſit ſomnium, facile hic praetermittimus.

Pars VI. Num. 1. Fluminum magneticorum de- p. 579.
ſcriptio, naturaeque ad exemplar facta delineatio, una cum non nullis circa magnetem ipſum adnotationibus, auctore BAZIN, ex gallico ſermone verſa hic exhibetur ***.

Num. 2. Epitome epiſtolae I. F. BAVDERI ad p. 639.
F. C. LESSERVM, qua detecti nuper in agro Noribergenſi lapidis traditur deſcriptio. Inter marmora relatum hunc lapidem, neglectumque fere hactenus attentioribus adſpexit oculis Cl. BAVDER. Eiusdem magnae raro inueniuntur portiones, et, ſi quae inueniantur, fragiles ſaepe dilabuntur. Neque purum eſt marmor, ſed aggregatum ex variis petrificatorum generibus. Nam belemnitem, amonitem, echinitem tubulorumque marinorum magnam ſatis copiam inter ſe iungi hoc in lapide exponit Cl. Auctor, colorumque varietatem et elegantiam, in primis eum ſi políueris, praedicat.

* Ibid. p. 429.
** ibid. Vol. II. P. III. p. 433.
*** Prodiit hic liber ſub titulo: Deſcription des courants magnetiques, &c. à Strasbourg, 1753. 4 mai.

p. 643. *Num. 3.* Epiſtolae, ad Cl KAESTNERVM datae ex Italia, de lumine perpetuo exponentis, epitome *. Princeps de St. SEVERO ipſe, quae materies luminis dicti perpetui ſit, in relationibus publicis Florentinis declarauit, eamque ex cranio humano praeparari, nec non ſui partem aliquam, ſenſim ſenſimque auolantem, perdere profeſſus eſt, parandi vero modum ſibi adhuc ſoli reſeruans.

p. 658. *Num. 5.* De actione magnetis in ferrum nondum uſtulatum agit Cl. A. G. KAESTNER, dubiaque non nulla mouet Cl. IVSTI, qui ferrum in mineris numquam inueniri, ſed inter fundendum demum naſci illud adſeruerat **. Quod adſertum Cl. IVSTI repugnare experientiae monſtrat Noſter tum ex laminis ferri, quibus utuntur docimaſtae loco magnetis, tum ex mineris ferri, non adeo raris, a magnete quae trahuntur, atque ex ipſo quoque magnete, tamquam ferri ſpecie.

p. 661. *Num. 6.* Perrilluſtris Comitis, LVDWIG BARBIERI, Vicentini, de fontium et fluuiorum origine tractationis, ex Italico ſermone verſae recenſio per A. G. K.

p. 666. *Num. 7.* Cl. GVETTARDI obſeruationes de Braſileenſibus Topaſis ex ephemeridibus, quae inſcribuntur, *Iournal Oeconomique*, deſumtis ***.

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 440.

** In diario, quod edit Cl. IVSTI ſub titulo: *Neue Wahrheiten zum Vortheil der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen. Erſtes Stück, Art. 4.* pag. 41.

*** conf. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 194.

XI. Diſ-

XI.

Diſſertatio chemico-medica inauguralis de fonte medicato Niderbronnenſi, quam publico eruditorum examini ſubmittit IOH. LVDOVICVS LEVCHSENRING, *Langencandelo-Alſata.* Argentorati prelo Ioh. Henr. Heitzii, 1753. 4. mai. pl. 9½ cum tab. aen. 2.

Quum egregium uſum, quem aquae minerales in tollendis plurimis habebant morbis, medici quotidie magis animaduerterent, multi in eo fuere occupati, ut, vel nuper detectos fontes medicatos inueſtigarent diligentius, vel diu celebratos accuratiori ſaniorique examini chemico ac phyſico ſubiicerent. Laudem igitur omnino meretur Cl. LEVCHSENRING, qui diligenti diſquiſitione fontis illius medicati *Niderbronnenſis*, in Alſatia proſilientis, cuius vix nomen antea in noſtris oris audiebatur, accuratiorem nobis dedit notitiam, eumque docta ſua diſſertatione celebriorem reddidit. Poſtquam Alſatiae praerogatiuam prae reliquis prouinciis adiacentibus celebrauit, declarat, ſe in fontis *Niderbronnenſis* examine rationem et experientiam fuiſſe ſecutum, ſimulque monet experimenta, ut eo maiorem fidem haberent, ſub auſpiciis Cl. SPIELMANNI, Prof. Publ. Argentorat. capta fuiſſe. Auctores deinde, qui de fonte *Niderbronnenſi* ſcripſerunt, praemittit, inter quos alicuius p. 3. NIETHEIMERI, Archiatri quondam *Hanouienſis*, mentionem facit, cuius tractatum, omni data licet opera, inuenire non potuit, quare nec libri titulum valuit exhibere. Fuere autem illi, praeter GVINTHERIVM ANDERNACVM, TABERNAEMONTANVM, et ROESLINVM, IOHANNES BAVHINVS, BONAVENTVRA REYHINGIVS, et SALOMON REISEL: quos vero omnes, ob ignorantiam che-

miae ſanioris, dum aquae naturam explicare voluerunt, hallucinari affirmat.

p. 5. *Niderbronna* eſt vicus, ſitus in limine orientali illarum *Vogeſi* faucium, quae Alſatis ad Lotharingiae caſtellum *Bidiſcum* (*Bitſch*) aditum permittunt. In huius vici terris adiacentibus, praeſertim vicini montis viſceribus, quae fons ille mineralis alluit, minerae ferri diuites, et pyrites, adeoque ſubſtantiae ad formandum vitriolum peridoneae, reperiuntur. Praeter pyritas copioſum etiam in illis montibus continetur bitumen, ſiue petroleum, quod in *valle Sti Lamperti* ex terra erumpit. Inueniuntur quoque in illa vicinia ſalinae, ex quibus ille fons, qui in vico *Sulz* pullulat, tam diues eſt, ut una libra aquae drachmas ſex ſalis largiatur.

p. 10. Ex roeslino, qui Celſiſſimum *Hanouiae* comitem, philippvm, receptacula exſtruxiſſe affirmat, fontis hiſtoriam affert, mirumque aliud, circa aquam obſeruatum, phaenomenon ex eodem adducit: illam nimirum, poſt grauiores tempeſtates, ad aliquot pedum profunditatem pellucidam reddi; ſed perfectam omnis liquoris ad fundum uſque claritatem, non niſi omni ſeptennio contingere. Vbi tamen dolendum eſt, Cl. Auctorem fateri, ſe ipſum, et omnes, quae illud comitantur, circumſtantias videre, et pro dignitate obſeruare haud potuiſſe.

p. 13. Poſtea de limo rubiginoſo, qui in receptaculis et in omni illo prato, quod aqua alluit, offenditur, agit, illumque exſiccatum ochris eſſe adſcribendum, hanc vero a terra quadam ſiue gypſea, ſiue vitreſcente, cui crocus martis inhaereat, formari credit. Niſi limo huic principium inflammabile addatur, non trahitur a magnete; magnes enim perfectum ferrum, non vero eius conſtituentes partes, appetit. Ferrum, phlogiſto priuatum, puluerulentum, et rubiginoſo colore inſtructum, crocum martis chemici dicunt, limus hicce includit: limus in aqua haerebat, hinc fons

fons iſte, ſub ſuo e terra egreſſu, crocum martis te-net. Sed crocus martis, addit Cl. Auctor, in nulla aqua haerere poteſt, niſi formam ſalinam induerit: crocus martis in formam ſalinam redactus, *vitriolum* audit, certiſſime igitur euincitur, fontem *Niderbronnenſem vitriolum martiale* vehere.

Quod ad gradum caloris attinet, quo fons ille p. 15. gaudet, thermometrum *Fahrenheitianum* ad ſexageſimum tertium gradum ducitur. Quum liquor thermometri in cella obſeruatorii regii *Pariſienſis* ad 54 gradus aſcendat: hinc aquas has thermis eſſe adnumerandas putat. Inter ea aquae calorem inde deducit, quod eadem tales terrae tractus praeterfluxerit, in quibus pyritae et ſubſtantiae bitumen continentes motum inteſtinum ſuſceperunt, qui calorem producit, unde aquam neceſſario incaleſcere debere ſtatuit.

Originem fontium perennium ad HENCKELII et KÜHNII mentem explicat, et ex mari deducit. Aquam nimirum marinam percopioſas voragines, in omni oceano reperiundas, infima terrae loca ſubire, et per eius canales, variaque ſtrata moueri, caloris denique ſubterranei vi in vapores reſolui, aſſerit. Hi vapores, ſuperiora neceſſario petentes, quando ad aliquam cauernam ſubterraneam peruenerunt, tunc eius fornici adhaerent, et ibi colliguntur: collecti et condenſati in guttas confluunt. Aqua ex guttis his orta, lacus ſpeciem format, qui hydrophylacii munere fungitur: ex eo aqua in ductus ipſi inferiores deſcend t, vi eo maiori, quo hydrophylacio ſunt inferiores, ad corticem terrae allidit, et data porta proſilit.

Aquam *Niderbronnenſem* ad inodoras quidem p. 19. non pertinere docet Cl. Auctor, omnis tamen ſulphuris eſſe expertem, quia odor, qui obſeruatur, neutiquam putrida refert oua. Aquae odorem, maxime eum, qui ſentitur, ubi propius ad originem accedimus, cum odore, qui acido ſalis proprius eſt,

comparat, et ſummam ſimilitudinem inter utrumque reperit. Si ſcilicet ſolutiones vitrioli, et ſalis communis commiſcentur, tunc ſtatim ſub commixtione oritur ille odor vinoſus, qui in acidulis martialibus obſeruatur: ſi deinde ſolutiones per aliquod temporis ſpatium ſteterint, et decidens in fundum vaſis crocus ferri oſtendit, vitriolum eſſe diſſolutum, tunc ſurgit odor ſimillimus illi, qui aquae *Niderbronnenſi* proprius eſt. Concludit itaque Cl. Auctor, id, quod odoratam reddidit aquam, eſſe *ſpiritum* liberatum a terra, cui ſub ſalis forma inhaeſerit.

p. 21. Tum aquae huius grauitatem vario modo examinauit, eamque ad grauitatem aquae pluuiae, et aquae fontanae deſtillatae comparauit: Experimenta inſtituens, ſingulas has aquas ad eundem gradum caloris prius redegit, quam in earum pondus inquiſiuit. Solidum, quod in aqua *pluuia* 947 grana, in *deſtillata* 940 amittit, perdit in *Niderbronnenſi* 960 grana. Vitrum anguſtiori collo inſtructum, aqua *pluuia* repletum, ponderauit uncias quatuordecim, drachmas quinque; dum illud *deſtillatam* contineret, aequauit uncias quatuordecim, drachmas quatuor, grana quinquaginta tria; aqua *Niderbronnenſi* repletum, uncias quatuordecim, drachmas quinque, grana decem, ponderauit. Hydrometrum in aqua *deſtillata* et *pluuia* ad octo, in *Niderbronnenſi* ad ſeptem lineas deſcendit. Patet ex his experimentis euidentiſſime, aquam hancce, tam deſtillata, quam pluuia, eſſe grauiorem, quum immortalis HOFFMANNVS omnes aquas ſoterias, aqua ſimplici leuiores eſſe, ſtatuerit.

p. 24. Sapor aquae huius, ſalem in eis contentum, omnium linguis exhibet euidentiſſime; Eſt is enim perfecte ſimilis illi, quem ſentimus, ſi aquam, quae ſalem communem recepit, guſtamus. Non habet iſta aqua illum ſaporem, quem vinoſum dicunt, nec eum habere poteſt: debetur enim ille vitriolo, ſed

aquae noſtrae, ſupra terram erumpentes, pauciſſimum vitriolum vehunt.

Bullas aereas, quae in aqua iſta, per aliquot horas libero aeri expoſita, obſeruantur, ſoli efferueſcentiae tribuit, Cl. Auctor, eiusque in aqua ortum explicat; qua occaſione ſimul oſtendit, id quod vulgo aetheri, ſpiritui rectori, aut cuicunque demum alii enti tribuitur, oriri a motu quodam corporum. Ne quis igitur in fonte hocce doleat abſentiam *ſpiritus elaſtici*, ob quem variae acidulae commendari ſolent, *Niderbronnenſes* aquae eius tantum habent, quantum illae, quae eodem dicuntur refertiſſimae. Docent Phyſici, Confer. MVSCHENBROECK *Eſſai de Phyſique* §. 882, aquam determinatam ſolummodo recipere poſſe aeris quantitatem: hinc aqua, ſiue ex fonte *Niderbronnenſi*, ſiue ex *Pyrmontano*, ſiue ex *Egrano*, ſiue ex quocunque alio hauriatur, eandem aeris quantitatem continebit. Sed id, quod in fontibus ſoteriis ſpiritum aethereum dicunt, nil aliud eſt, quam aer ex aqua liberatus, hinc nullus fons alterum ſuperat ratione quantitatis *ſpiritus rectoris* *, quem continet. p. 26.

Ad experimenta, quae vulgo cum aquis mineralibus inſtituuntur, progreditur Cl. Auctor. Recen- p. 29.

* Simplicem quidem aquam aeris determinatam continere quantitatem, concedimus; idem vero de aquis mineralibus aſſeri non poſſe ea propter exiſtimamus, quum huic aquarum generi alias adhuc particulas, vitriolicas nimirum, elaſticas, volatiles, inhaerere conſtet. Aquae igitur, aere minus diuites, maiorem tamen eius quantitatem recipere potuiſſent. Itaque non ratione quidem quantitatis *ſpiritus rectoris*, quippe quae denominatio nobis non arridet, ſed elaſtici illius atque volatilis principii unum aquarum genus ſuperare alterum putamus. Cur enim alterum altero facilius atque promtius disrumpit lagenas? Nonne id fit ex maiore vel minore iſtius elaſtici copia praeſente?

ſet igitur, quid obſeruauerit, cum aquas has cum aliis iunxerit, vel tentauerit corporibus. Ex his experimentis, *relationes* chemici vocant, quasdam propoſitiones, vel potius concluſiones colligit, quarum praecipuas adducemus. Ex *relatione* aquae *Niderbronnenſis* ad lac concludit, quod *ſalia*, *in ea contenta*, *eximia aquae quantitate ſint diluta*: id quod et confirmat ex mixtione huius aquae cum ſyrupo violarum et ſolutione aluminis. Ex affuſis alcalibus, coagulatione ſaponis, ex ſeparatione ſulphuris, quod ex ſolutione ſcoriarum antimonii auolat, *aquas noſtras acidum vehere*, et ex mutatione tincturae decocti gallarum, *tale quidem*, *quale in vitriolo haerere ſolet*, euincit. Deinde ex praecipitatione mercurii, in acido nitri ſoluti, ſub forma pulueris aurantii; et argenti vel plumbi, in eodem acido ſoluti, ſub forma pulueris albi, *ſalem communem et oleum quoddam in aqua Niderbronnenſi haerere*, colligit. Porro ex difficillima in igne fuſione pulueris, ex argento in iſta aqua praecipitati, etiam *acidum vitriolicum in illa contineri* probat. Tandem ex nigredine decocti gallarum, quia praeter vitriolum martis, nullum in orbe reperiatur corpus, quod cum gallis conſtituat atramentum, aquis *Niderbronnenſibus vitriolum martis ineſſe* cogit.

p. 34. Nunc aquam noſtram deſtillando in vaſe vitreo examinauit, et ex ſeptuaginta quinque libris, omni euaporata aqua, uncias quatuor, cum drachma dimidia materiae ſolidae obtinuit. Eſt igitur aqua ad reliquas partes :: 215 : 1. Materia, ab euaporatione reſidua, ſi exponatur aeri, humiditatem concipit: hanc eius qualitatem deducere a *terra ſalis communis*, ipſi inhaerente, nullus dubitat. Maſſam hanc igne arenae tractauit, et acquiſiuit *liquoris acidi* drachmas duas cum dimidia, quem verum *ſpiritum vitrioli*
p. 39. *volatilem* eſſe cognouit. Materiae ex retorta deſumtae affudit aquam ea quantitate, ut, quicquid ſapidi in

in ea continebatur, exinde extraheretur: remanebant terrae gryſeae drachma una et grana quinquaginta. Eſt igitur terra ad reliquas partes in aqua hacce :: 1 : 3926. Vlterius inueſtigauit hanc terram et illam partim *vitreſcentem*, partim *aluminoſam* eſſe, expertus eſt; qua occaſione etiam in vaſe, in quo cryſtalliſationem aluminis inſtituerat, *nigrum petroleum* detexit: hinc ſibi perſuadet, quod in pluribus aquis ſoteriis, et terram aluminis et bitumen chemici detexiſſent, niſi ipſis in mente haeſiſſet, terram cum acidis efferueſcentem eſſe calcaream, ulteriori examine indignam. Lente denique Cl. Auctor euaporauit aquam, quae ab elixiuatione terrae remanſit, et quae ſalem noſtri fontis continet: obtinuit *ſalis veri communis* uncias tres, drachmas duas cum dimidia; et *ſalis mirabilis* GLAVBERI ſcrupulos duos. Eſt igitur ſal communis in fonte Niderbronnenſi ad reliquas partes :: 1 : 264.

Eluceſcit ex hactenus dictis fontis natura. Vehit p. 43. nimirum praeter aquam etiam crocum martis, acidum vitriolicum, terram vitreſcentem, terram aluminoſam, petroleum, ſalem communem, ſalem mirabilem GLAVBERI, et terram ſalis communis. At enim vero, quum ſalis communis copia abundet, euincitur, eum pertinere ad aquas ſoterias, ſale communi inſtructas, quarum vires, quibus ſimplicem aquam ſuperant, maxime a ſale communi ſunt deriuandae. Poſtquam igitur adhuc explicauit Cl. LEVCHSENRING, quomodo fons noſter modo dicta principia acceperit, conſiderationem huius fontis phyſicam finit, et ad effectus eiusdem ſalutares in corpore humano tranſit. Memorat itaque primo, quid ab illo ſperandum ſit, ſi interne aſſumatur: oſtendit deinde, quid efficiat, ſi ſub balnei forma uſurpetur.

Quum fontis ſoterii effectus medici pendeant a principiis, ex quibus conſtant, ea ſingulatim pertractat, eiusque vires a quolibet repetit, morbosque recen-

recenſet, quibus ſingula conueniant. His collectis, aſſerit fontem *Niderbronnenſem*, interne aſſumtum, inter remedia maxime uniuerſalia eſſe referendum, et proxime ad ſperatam tam diu panacaeam accedere, quum pauciſſimi ſint morbi, quibus profligandis
p. 58. eundem non parem eſſe credat Cl. Auctor. Quo regimine, et qua doſi interne ſit adhibendus, paucis nunc monet. Vſum tandem fontis *Niderbronnenſis* externum adnectit, et omnes effectus, quos ab aquae noſtrae balneo homines experiri poſſunt, ad has quatuor reducit claſſes: 1) fibras eius laxat primum, deinde roborat: 2) calorem naturali maiorem excitat: 3) partes quibus applicatur, premit: 4) vaſa cutanea capillaria ſubit. Haec omnia tam rationibus, quam excellentiſſimorum medicorum Argentoratenſium, vicinorumque locorum, experientiis probare annititur, non nullas obſeruationes, quas ex eorum communicatione accepit, ſubiungens.

p. 72. Verum enim vero, quoniam optima quoque remedia, ſi eis peruerſe utimur, noxia euadere queunt, quum debita remediorum adminiſtratio plurimum ad eorum ſalutares in corpore humano effectus conferat: hinc pauca adhuc addit, quando aquae noſtrae nocere poſſint, quibusque ſub cautelis, etiam ſub balnei forma, ſint adhibendae. Arcet nimirum ab harum aquarum uſu interno illos, qui primarum viarum debilitate laborant, qui ſanguine abundant, et inter hos praeſertim feminas plethorae ſubiectas, niſi corpus remediis, plethoram euacuantibus, bene praeparent ante aquarum uſum: A balneo abſtineri iubentur ophthalmia laborantes, aut ſub apoplexiae periculo verſantes, denique febricitantes; praeſertim tunc ſi ſcirrhus, vel abſceſſus eorum viſcera occupat, aut in veſica maior calculus continetur, quo in caſu internus etiam aquarum uſus interdicitur.

Tabu-

Tabula aenea adiecta receptaculorum conditionem, agri, ſupra quem fons ſalutaris effunditur, ichnographiam, et loci viciniaeque delineationem repraeſentat.

XII.

The Analyſis of Inoculation: comprizing the Hiſtory, Theory, and Practice of it: with an occaſional Conſideration of the moſt Remarkable Appearances in the Small Pox. By I. KIRCKPATRICK, M. D. London, 1754. 8. pl. 21. c. dedic. praef. et indice.

hoc eſt:

Inſitionis variolarum analyſis; complectens earum hiſtoriam, theoriam et praxin, cum praecipuorum phaenomenorum, in variolis occurrentium, conſideratione.

Cum in eo, quem iam indicamus, conſcribendo libro, uti et ipſe monet Cl. Auctor, regiae iu- p. 285.
uentutis medicus, eum ſibi propoſuerit finem, ut omnia, quae de variolarum inſitione huc uſque cognita fuerunt, in unum opus, ſuis tamen opinionibus, iiſque ſaepe ad modum nouis, utilibusque animaduerſionibus practicis, ubique inſperſis, colligeret, ut medici chirurgique, variolarum inſitionem in generis humani ſalutem tentare cupientes haberent, quo, et legendi varias variorum hac de re diſſertationes, et colligendi tempore ſuperſedere poſſint; ideo certe, ob hunc utiliſſimum in ſe ſuſceptum laborem, non paruam meretur laudem. Lectione vero, quae nobis admodum iucunda fuit, cognouimus, Cl. Auctorem non merum ſe praeſtitiſſe huius praxeos commendatorem, ſed potius ſummo veritatis amore ductum ſolertiſſime bonos aeque ac funeſtos inſitionis vario-

variolarum euentus annotaſſe, cauſasque eorum in
ſalutaris artis generisque humani emolumentum eo
cum ſucceſſu et iudicii acumine perſcrutatum eſſe, ut
haud pauci exinde redundare poſſint fructus. Merito igitur in hoc opere recenſendo paulo fuſiores erimus, quo noſtri lectores, qui hunc ipſum librum
perluſtrandi occaſione deſtituuntur, ipſi de eius dignitate iudicare valeant. Totum opus in *undecim*
ſectiones diuiſum eſt, in quarum *prima*, *de contagio*
varioloſo, *ſeu de externa variolarum cauſa*, agitur.
p. 4. Paucis vero de tempore, quo variolae primum in orbe uniuerſo apparuerint, praemiſſis, fatetur, intimiorem externae earum primariae cauſae naturam et
analyſin imperſcrutabilem eſſe, et varioloſum miaſma
aeque ac peſtilentiale, ab inuoluentibus materiis ab-
p. 6. ſtractum, oculis ſubiici non poſſe: Varioloſa forſitan
primordia odoratus ſubiecta eſſe, per quae ſaepe inſici queamus: Quemlibet enim peculiarem quendam
foetorem a ſuppuratis puſtulis exhalantem percipere:
et licet dubium moueri poſſit, utrum haec ſenſatio
immediate a multiplicatis morbi principiis, cum exhalantibus ſuppuratis humoribus mixtis, excitetur?
an merus ab illa humorum corruptione productus
foetor ſit, qui a ſenſibili odoris differentia, quam
perſpirabilis materia in quibusdam hominibus etiam
in ſtatu ſano exhibet, quique in ſtatu morboſo ſeu
putrido diuerſus eſſe debet, dependeat? Attamen
cum idem foetor in omnibus aegrotis varioloſis et in
eodem gradu obſeruetur, probabile hinc videri, hunc
peculiarem humorum ſtatum ab alia quadam cauſa
p. 8. generari non poſſe. Subſtantias odoriferas naribus
attractas, ob odorem, quem ſpargunt, admiſſionem
varioloſae aurae in odoratus organo impedire, cum
impetu repellere, eiusque malignum appulſum in
ipſo limine obtundere poſſe arbitratur; moſchum
vero ad hunc ſcopum aptum odorem non eſſe ex eo
coniicit, quia Chinenſes eundem infectis turundis addunt,

dunt, quas naſo ad impertiendas variolas ingerunt: forſitan vero ex graueolentibus, ut aſam foetidam, rutam, galbanum, camphoram * et ſimilia, quaedam huic ſcopo apta inueniri, ſi eorum effluuia per inſpirationem attrahere poſſemus. Et, ſi quidam vapor p. 9.
ſeu odor contra hanc infectionem conſtanter prophylacticus inueniretur, non ineptum fore iudicat, ſi applicationem maſſae odoriferae ipſius, licet illa non deleteria deprehendatur, tentaremus, ubicunque certitudo quaedam ſeu fortis ſuſpicio cuiusdam accidentis, quod inficiat, adſit: Antidota contra morſum animalium venenatorum inuenta, ſpem nobis facere, eiusmodi antidotum etiam contra variolarum virus inuentum iri. In tranſitu vero monet, nos, ex prae- p. 11.
concepta opinione, quod variolas iam in iuuentute mites habuiſſemus, vel easdem prorſus non experturos eſſe, non improuide aegros in horrido morbi ſtatu viſitare debere, quia horridus eiusmodi adſpectus una cum vaporibus, ab hac putrefactione ortis, vel eandem, vel diuerſam, et non minus fatalem infectionem producere poſſet; id, quod ſui ipſius exemplo, puerique cuiusdam aeſtiuo tempore cadauer ſupplicio affecti propius accedentis, nauſeoſiſſimoque p. 12.
foetore affecti, poſteaque febre cum vehementiſſimis capitis, genuumque doloribus et non exſtinguendo foetore correpti, ſeptimoque vel octauo die mortui, aliuſque hunc comitantis ſimiliterque affecti pueri, incurabilemque hinc claudicationem reportantis, aliisque exemplis confirmat. Repetita quoque exempla ipſi probabile reddere videntur, infectionem a viſis talibus hominibus, ex aliquot ſeptimanis iam ab hoc morbo ſanitati reſtitutis et ſaepe iam purgatis, propaga-

* Camphoram Cl. ROSENII pilulas, quibus is variolas confluentes aut omnino euitari, aut ſaltem benigniores reddi poſſe aſſeuerauit, ingredi, nos indicare meminimus. vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 532.

pagatam fuiſſe. Vtrum vero haec infectio ab effluuiis varioloſis minus actiuis, utpote quae ultimo ex corpore perſpirarent, cum immiſſo lucis radio oculum ipſum penetrantibus atque per neruum opticum ad cerebrum transmiſſis, an ex mera imaginatione fortiore oriatur? in dubio relinquit, hancque quaeſtionem variis exemplis atque ſui etiam ipſius illuſtrat.
p. 19. Addit, terrorem et metum in varioloſa quidem atmoſphaera efficere poſſe, ut populare contagium faciliores atque pernicioſiores impreſſiones in homines faciat; in regionibus vero longe, ab hoc contagio remotis, horrorem ſolum nunquam hunc morbum produxiſſe, variolasque ſemper in Americam britannicam manifeſto introductas, nunquam per ſe ortas eſſe, conſtare.

p. 28. *In ſectione II, de fomite varioloſo, ſiue de interna inhaerente variolarum cauſa*, aſſerit, varioloſa primordia, utut ſubtilia et maligna, per quascunque vias in corpus admiſſa, inefficacia fore, niſi quandam praediſponentem qualitatem ſeu particulas in corpore noſtro inuenirent, quae ipſis commodum *nidum* ad propagationem et incrementum commodarent. Huius vero propoſitionis certitudinem ſatis ſuperque euinci putat, ſi attendamus, quod in inflammatione, infectionem ſubſequente, maior vel minor inflammati humoris quantitas in ſuperficiem expellatur, ſymptomataque inflammatoria poſt plenariam expulſionem admodum remittant, et quod poſt euaporationem eius modi infectorum et inficientium humorum indiuidualis conſtitutio a repetita infectione huius ſpecifici generis exemta maneat. Hanc a repetita infectione immunitatem ſolidarum et praecipue integumentorum per praegreſſum morbum factae immutationi a quibusdam, et inter illos praeci-
p. 29. pue a Cl. DRAKE adſcribi, qui cuticulares ductus poroſque ita extenſos et amplificatos eſſe putabat, ut nunquam poſtea varioloſa miaſmata ſufficienter ad repeten-

petendam ſuam actionem in humores retinere poſſent. Sed exinde Noſtro ſequi videtur 1) ac ſi hi auctores nullam diſtinctam notionem fomitis, ſpecifice huic morbo appropriati, agnoſcerent, et vel denuo illum excitari poſſe, vel nulla adhuc morbi criſi expulſum eſſe putarent, licet amplius ob patulam nimis ſuperficiem cutis impreſſionum non capax ſit; et 2) eum tantum, qui confluentium variolarum genus, ſenſibilemque exinde integumentorum mutationem paſſus ſit, nouam infectionem effugere; eum vero, qui mitiſſimo morbi gradu laborarit, eidem rurſus obnoxium eſſe poſſe *; id, quod tamen unquam factum fuiſſe conſtanter negat, et contrarium patere arbitratur, inhaerentem huius morbi cau- p. 30.
ſam una cum externa in ſeparatis et excretis humoribus ita expelli, ut a ſecunda infectione exemti maneamus. Cum vero BOERHAAVIVS ſecundae, et WILLISIVS tertiae infectionis mentionem iniiciat, atque SAM. DWIGHT in *Tr. de variolis et morbillis Londini 1722.* p. 59. referat, nutricem variolas confluentes bis expertam, tertio iisdem infectam et mortuam eſſe, cuius facies et corpus ante tertiam infectionem *miſerrime dilaniata* fuerit: reſpondet, BOER- p. 33.
HAAVIVM WILLISIVMque non affirmare, ſe eius modi aegros in diuerſis hiſce variolarum inuaſionibus ipſos vidiſſe, et probabile potius eſſe, eosdem antea ſpurio quodam variolarum genere laboraſſe, ultimum vero caſum, cuius veritatem itidem in dubium vocat, ſe lectoris iudicio relinquere. Fatetur tamen, ſi quid

* De huius vero rei veritate, variolis aeſtate 1753 per Seelandiam, Geldriam atque Hollandiam valde graſſantibus, medicis ſuſpicionem motam, vel eam potius apud eorum multos iam in confeſſo eſſe, narrauimus Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 722, eiusque confirmationem ulteriorem auide exſpectamus.

quid eum, ut nouam fieri poſſe credat infectionem, moueat, id certe eſſe ſecundam tempore ſecundariae febris variolarum eruptionem in interſtitiis priorum
p. 34. enatam, quam plus ſimplici vice viderit. Has ſecundarias ternariasque puſtularum eruptiones nos facile inducere poſſe, ut ſecundariam febrim potius a varioloſa materia adhuc in circulatione conſtituta, quam ab intercepta perſpirabili materia ab integumentis, cruſta obductis, dependere ſtatuamus; id, quod inoculatio cum pure ex eius modi eruptionibus inſtituta plenarie demonſtrare poſſit. Poſſibilitate tamen ſecundae, imo tertiae infectionis et veritate *Dwightiae* relationis conceſſa, neceſſe foret, ut aut ſupponeremus, prima infectione dimidiam vel tertiam tantum fomitis partem conſumtam fuiſſe, ut nouum contagium in eius reſiduum eodem modo agere poſſet, ut prima vice egerat; aut, hac hypotheſi aegrius conceſſa, nouam huius pabuli generationem, poſt prius nobis connatum et expulſum ſtatuere debere-
p. 36. mus. Refutatis dein WILLISII opinionibus, variolas aliquando a crapula aut violentiori corporis motu absque ullo praegreſſo contagio productas fuiſſe, unionem internae praediſponentis cauſae cum externa procatarctica immediatam morbi cauſam conſti-
p. 40. tuere aſſerit, et, diſcuſſis variorum ſententiis, de ſede internae cauſae, illorum opinioni ſubſcribit, qui eam in circulante ſanguine ſpeciatim haerere ſupponunt, licet, cum ſolida ex fluidis compoſita deprehendantur, etiam quandam eius partem in ſolidis haerere poſſe, concedat. Refellit dein eorum opinionem, qui internam variolarum cauſam ab impuritate ſanguinis menſtrui dependere crediderunt, nec improbabile eſſe putat, ab eius modi forſitan idea Chinenſium prophylaxin originem ducere potuiſſe, quae in eo conſiſtit, ut ſanguinem e funiculo umbilicali ante ligaturam extrorſum exprimant, craſſam
p. 42. vero hanc methodum arguere ignorantiam. Pone

igitur,

igitur, hunc congenitum fomitem aequaliter per ſanguinem diffuſum eſſe, ſimiliter quoque ponendum eſſe arbitratur, illum a diuerſo quodam contagio, et rariſſime, ſi unquam, a cauſis aut operatione aliorum morborum impreſſionum capacem eſſe, aut excitari poſſe; ſiquidem nunquam conſtiterit, ullum acutum aut chronicum morbum in hunc terminatum fuiſſe, ſi modo aeger a varioloſo contagio ſecurus fuerit. Neque, in ſe ſpectatum, morbificum exſtitiſſe, cum experientia ſatis ſuperque euictum ſit, lethiferam adeo quantitatem in multis egregie ſanis hominibus per multos annos ante coniunctionem cum primaria cauſa vere indolenter latitaſſe. Ceterum eundem fomitem cum BOERHAAVIO ſalino-oleoſae naturae eſſe autumat, illudque variis illuſtrationibus quodam modo probabile reddere annititur. Oſtendit porro, pabulum hocce in quibusdam magis p. 49. abundare, quam in aliis, et probabile videri, quantitatem et energiam huius inhaerentis principii conſtituere gradum et characterem morbi.

In ſectione III, de progreſſu et operatione contagii p. 53. agit. Primo contagii progreſſum per habitum corporis in maxime conſuetis modis, *accidentalis* et *voluntariae admiſſionis*, deſcribit, et dein eius promtiſſimas in ſanguinem impreſſiones, ante quam ad manifeſtandum morbum ſufficiant, hariolando exponit. Diſtinguit vero infectionem in *humoralem* et *neruoſam*. De *humorali* priori loco agens, ſupponit 1) p. 54. varioloſa effluuia, maxime conſueta via cuiuscunque accidentalis infectionis, cum ſaliua in ventriculum duci; ex immediatis effectibus non conſtare perhibet, illa venenum eſſe *per ſe* membranas afficiens; nullam enim excitare irritationem, nec illum, qui hauſerit, guſtu illud ſentire: hauſtam utut incertam quantitatem, comparatiue tamen paruam, eſſe: Ex ventricu- p. 55. lo in duodenum detruſa et cum chylo mixta, quandam in eius textura mutationem probabiliter produ-

cere; hinc per ductum thoracicum et venam ſubclauiam ad cor deduci, et cum ſanguine miſceri, ſaepius vero non ſtatim magnas turbas et ipſum morbum feſtinanter excitare. 2) Poſito, miaſma iſtud cum aere penitus in tracheam duci veſiculisque pulmonalibus applicari: cum aere in ſanguinem admittetur, et hinc ad ſiniſtrum cordis ventriculum longe breuiori via ducetur, unde etiam citior aſſimilatio exſpectanda
p. 56. erit. Nos temporis momentum, quo contagium inſpiramus, raro animaduertentes, dicere non poſſe putat, utrum ab eius immediato contactu membranarum tracheae aut veſicularum pulmonalium minus, quam ventriculus aut inteſtina, muco defenſarum, tuſſis excitetur, nec ne? improbabile vero eſſe, illud in interna, non vulnerata pulmonum ſuperficie, tantam, quantam in inciſa cute, producere poſſe inflammationem *. Si 3) infectionem adeo plenarie per odorem recipi ſupponamus, ut nulla eius pars nec in oeſophagum, nec in tracheam, deſcendere queat; nos, licet particularem foetorem habeat, illam tamen non irritabilem ſatis ad excitandam ſternutationem, nec adeo pungentem, ac inuiſibilia ſpirituum volatilium ſeu ſalium effluuia, deprehendimus. Nihilo minus fibrillae neruorum olfactoriorum euidenter afficiuntur. Cum vero nobis mente concipere queamus, inſorbentia vaſa in membrana *Schneideriana* contagium ad ſanguinem ducere poſſe, ſupponamus, inquit, hoc ita fieri, ad diſtinguendam
p. 57. infectionem humoralem a neruoſa. Hinc illud ſenſim per iugulares et ſubclauias ad cauam et cor diffundetur, factaque in hac ad modum ſenſibili membrana

prima

* Varioloſum vero venenum cutem non inciſam, et per conſequens etiam membranas non vulneratas, inflammare poſſe, ex Cl. R. BROOKE obſeruationibus euidens eſſe videtur. Vid. *The Gentleman's Magazine.* Menſ. Mai. 1752. p. 217. et Comment. noſtr. Vol. II. Part. *II.* p. 339. 340; et Vol. IV. P. I. p. 64.

prima impreſſio, forſitan in progreſſu morbi conſueto maiorem puſtularum numerum in eadem producere poterit, id, quod in reſpiratione et deglutitione moleſtum eſſe poteſt. Pergit dein, et inſitionem variolarum tanquam maxime immediatam et ſimpliciſſimam ſanguinis contaminationem contemplatur. In hunc finem ad modum leue et ſuperficiale vulnus, vel duo fieri debent. Virus immediate diuiſa capillaria vaſa illorumque contenta contingere ait; haec primo affici, hinc magis irritari et exulcerari, quam in alio ſimplici vulnere: itaque naturaliter humores in hanc infectam partem magis allici, et paruum quoque obſeruari calorem et pruritum circa illam prius, quam alia accedant ſymptomata. Veneni poſt ea per corpus diffuſionem, quo ea modo fiat, exponit, et comparatione inſtituta, inſitionis proceſſum et euentum fermentationis proceſſui ſimillimum eſſe, hincque forte SYDENHAMI ſanguinis deſpumationem explicari poſſe iudicat. Refutatis dein BELLINI et WILLISII opinionibus de extraordinario lentore et coagulatione ſeu congelatione ſanguinis in variolis, credit potius ſanguinem attenuari, globuloſque nimis diuidi, eosque perfectam ſphaericam figuram polituramque amittere. Hanc ſuam opinionem non ſolum variis exemplis teſtimoniisque confirmat, ſed etiam ex ſaepius obſeruata, in quibusdam frigidis corporum conſtitutionibus, ante ipſum morbi acceſſum, maiore alacritate, ex profuſis interdum narium haemorrhagiis, et irregularibus catameniorum eruptionibus, nec non ex intenſe rubris et purpureis eruptionibus, et phaenomenis variolarum ſanguinem fundentium (*the bleeding Pox*) periculi plenis ſatis patere arbitratur. Pergit porro, ſi quis variolosum virus inuiſibile ſal eſſe volatile alcalinum dicat, quod in hominibus temperiei maxime alcaleſcentis tanquam vehemens cauſticum ſe exhibeat, diſcuſſionem forte huius opinionis non facilem fore credit,

p. 61. p. 67.

variasque exinde practicas deducit animaduerſiones. Saliuationem quoque in variolis confluentibus contingentem, vel tanquam effectum varioloſae reſolutionis rubrorum globulorum in ſeroſos ſeu lymphaticos, ut in mercuriali ſaliuatione, vel tanquam vitioſam ſeu varioloſam lympham conſiderat, licet meram faucium irritationem eius deriuationem maiorem, cuiuscunque qualitatis ſit, in glandulas ſaliuales au-
p. 70. gere poſſe concedat. Dignum quoque experimentum fore cenſet, ſi tentaretur, utrum minor vel maior eiusdem quantitas morbum per inciſiones eodem modo communicaret, uti ſaliua canis rabidi, rabiem. Ex copioſiore vero ſaliuatione magnam quoque humorum fuſionem manifeſtam eſſe. Inſitionem e contra variolarum cum longe minori ſanguinis fuſione coniunctam eſſe, erratici tamen ſanguinis ad faciem motus ante actualem ex inſitione aegritudinem quandam ſanguinis rubri attenuationem arguere.
p. 72. Hanc *attenuantem*, in maiori gradu *fundentem* facultatem appellari. Licet vero de fundente huius contagii in ſanguinem influxu ſatis ſuperque conuictus ſit Noſter, arbitratur tamen per *infectionem neruoſam* ab eius abſorptione a neruis olfactoriis et ad cerebrum admiſſione vere oppoſitam inſequi poſſe
p. 73. dyſcraſiam. Haec enim varioloſi contagii in cerebro retentio valde incommoda eſſe debet, et probabiliter neruoſas functiones imminuere aut quodam modo peruertere poterit, ex quo cordis motus debilior, circulatio languidior atque hinc ſanguinis ad magis ſtagnantem et viſcidum ſtatum diſpoſitio orietur. Licet vero Cl. Auctor infectionem per inſitionem maxime immediatam et ſimpliciſſimam contagii ad ſanguinem eſſe ſuppoſuerit applicationem, ubicunque tamen prima ſymptomata magis neruoſa, quam inflammatoria, ſunt, tunc illam infectionem *per infuſionem* appellat, ad diſtinguendam illam ab infectione *per foetorem* et reſorptionem a neruis olfactoriis factam.

ſactam. Cum vero per inciſionem, inſitionis gratia p. 75.
inſtitutam, quaedam nerueae fibrillullae aeque ac
capillaria vaſa ſanguiſera ledantur, nos antea, quam
ſymptomata hoc manifeſtarint, certos eſſe non poſſe
monet, utrum priores quasdam purulentas particu-
las, ſeu earum volatile venenum, imbiberint nec
ne? Tenera debiliaque ſubiecta, et quae paucum *fo-* p. 80.
mitem in ſanguine contineant, huic euentui maxime
obnoxia eſſe, et hinc quoque venae ſectionem et opia-
ta iisdem valde noxia deprehendi. Vtramque inſe- p. 82.
ctionem, humoralem et neruoſam, rurſus diſtinguit
in *primariam* et *tranſlatoriam*, et tranſlationem va-
rioloſi contagii a neruis in ſanguinem rarius funeſtum,
quam tranſlationem aucti et calore exaltati contagii a
ſanguine in neruos, inueniri aſſerit. Memorat ca- p. 84.
ſum, quo vir quidam ſeptimo poſt perceptum vario-
loſum foetorem die aegrotare coepit, et poſt largam
narium haemorrhagiam ex miti morbo euaſit. Mo-
net dein, hunc caſum nos docere poſſe, quod etiam
per odorem ſanguis *primario* infici queat, cum hic
vir nec capitis dolorem, nec delirium, nec conuul-
ſiones, nec torporem ſeu neruoſa ſymptomata, ex-
cepta *lumbagine*, habuerit, quae vero narium hae-
morrhagia diſſipata fuerit. Et licet, praeſertim in
naturali infectione, determinatu difficile ſit, quam-
diu contagium ante eius ſenſibilem operationem in
corpore deliteſcere poſſit, et quidam hoc per men-
ſem integrum imo duos fieri poſſe aſſeruerint, atta-
men ex iam memorato caſu et aliis ad ſeptimanae cir-
citer ſpatium illud tempus reducit. Hanc vero per
ſeptimanam apparentem infectionis quietem in natu-
rali via varias pati exceptiones, quae, licet rarius,
etiam in inſitione locum habeant. Quodſi enim an- p. 86.
te ſeptimum vel octauum artificialis infectionis diem
ſymptomata ſe manifeſtent, grauiorem plerumque
morbum metuendum eſſe, ſi vero tardius, mitio-
rem a tardiore et benigniore aſſimilatione eſſe exſpe-

ctandum. Proſtare tamen exempla, ubi eruptio decimo quarto, decimo ſeptimo, imo viceſimo tertio demum die, et in ultimo caſu ſeuera admodum contigerit. In caſu prorſus extraordinario eruptionem poſt undecimam demum ab inſitione ſeptimanam accidiſſe narrat.

p. 89. Ex *ſectione IV, in qua de ortu et tempore, quo inoculatio in Europam introducta fuit*, agitur, maxima cum laude legati anglici MOVNTAGVE uxoris meminit, utpote quae cum marito Conſtantinopoli degens inſitionis proceſſum curioſe percontata, eum in filio ſex annorum iſtic anno 1717 applicari curauerit, et hoc feliciter euadente, poſt modum Londinum redux facta Aprili 1722 * in filia eiusdem fere aetatis idem tentamen repetere iuſſerit, hancque eius generis operationem primam omnium in Anglia fuiſſe.

p. 99. In *ſectione V* conſiderat Cl. Auctor, *utrum inoculatio genuinas variolas inducat? An cum minori periculo et difficultate quam naturalis morbus? Et an ſemel infecti per inoculationem a ſecunda varioloſa infectione tuti ſint?* Cum Cl. WAGSTAFFE inſitionem genuinas variolas non inducere confidentius affirmaſſet, Noſter variis exemplis teſtimoniisque contrarium euincit, oſtenditque inſitionis aduerſarios hoc ipſum ſatis conceſſiſſe, dum inoculatores naturalem morbum diffundere conqueſti fuerint. Porrro variis comprobat argumentis, inſitionem veras dare variolas, neminemque nunc amplius hac de re dubitare. Ex relationibus deinde de inoculatorum et inde mortuorum numero in variis Angliae Americaeque prouinciis, comparatione cum iis inſtituta, qui ex naturali morbo

* Procul dubio hic ex typographi errore annus 1722 loco anni 1721 poſitus eſt, ſequentes enim tabulae oſtendunt anno 1721 in anglia iam plures inoculatos fuiſſe, et conſequenter haec, ceu prima omnium, omnino etiam anno 1721 inoculari debuit.

morbo mortui ſunt, ſecundam huius ſectionis quaeſtionem ſoluit, euincitque, inoculationem omnino longe minori cum periculo quam naturalem morbum coniunctam eſſe, multorumque hominum vitam hac operatione praeſeruari poſſe. Nos, qui eum in tanto relationum et calculorum numero ſequi non poſſumus, ſpeciminis tantum loco adiectas tabulas inſeremus.

Tabula diuerſas hominum in magna britannia ab anno 1721 uſque ad finem anni 1728 inoculatorum aetates, una cum ſucceſſu operationis continens. p. 106.

Aetas.	Inoculat. Numerus.	Variolas ex inſit. experieb.	Variolas imperfect. experieb.	Nullus effectus.	Ex inſitione mortui crediti.
Infra 1 annum	24	24	00	00	2
Ab 1 anno ad 2	34	33	00	01	4
2 — 3	65	65	00	00	1
3 — 4	91	88	00	03	1
4 — 5	65	63	00	02	1
5 — 10	257	249	03	05	3
10 — 15	140	131	01	08	1
15 — 20	104	95	03	06	2
20 &c.	110	91	06	13	2
aetatis incognitae	7	6	00	01	0
Summa	897	845	13	39	17

p. 108. Tabula numerum in et prope Boſton in noua Anglia anno 1721 a Cl. BOYLSTON inoculatorum continens.

Aetas.	Inoculat. Numerus.	Variolas ex inſit. experieb.	Variolas imperfect. experieb.	Nullus effectus.	Ex inſitione mortui crediti.
a 9 menſ. ad 2 ann.	06	06	00	00	00
a 2 ann. ad 5 ann.	14	14	00	00	00
5 — 10	16	16	00	00	00
10 — 15	29	29	00	00	00
15 — 20	51	51	00	00	01
20 — 30	62	60	00	02	01
30 — 40	44	42	00	02	01
40 — 50	08	07	00	01	00
50 — 60	07	06	00	01	02
60 — 67	07	07	00	00	01
Summa	244	238	00	06	06
Inoculati a Cl. ROBY et THOMPSON in Roxbury et Cantabrigia.	36	36	00	00	00
Summa	280	274	00	06	06
Duo a BOYLSTON poſt huius tabulæ impreſſionem inoculati.	2				
	282				

p. 117. Ex imminuta vero morbi letalitate eiusdem quoque imminutio difficultatis et turpitudinis in anteceſſum

ſum inferri poteſt. Repetita quoque experientia No- p. 118.
ſtro clarum factum eſt, quod in aequali gradu eruptionis naturalis et artificialis, ſymptomata cum poſteriore coniuncta longe leuiora fuerint, et ſi eo tempore, quo alias ſecundaria febris accedere ſolet, inciſa loca pus copioſius effuderint, iſtam febrem ad modum raro percipi potuiſſe, quantacunque liberalis eruptio fuerit. Modeſte hac occaſione a b. MEAD diſſentit, quippe qui hanc in locis inciſis puris excretionem et puſtularum ſaepe circa illas coaceruatarum ſuppurationem nimis parui fecerit. Apparuit enim hanc excretionem maturationis tempore ſaepe adeo contagioſam fuiſſe, ut alios inficere et variolas inducere potuerit, eandemque a multis medicis et chirurgis in iis ad modum largam obſeruatam fuiſſe, qui minimam eruptionem et mitiſſima ſymptomata experti ſunt. Excretio igitur eius modi varioloſi puris, critico tempore, neutiquam flocci pendendam eſſe Noſtro videtur. Ad tertiam vero huius ſectionis quae- p. 119.
ſtionem enodandam non ſolum varia teſtimonia, ſed et eius modi caſus refert, ubi inoculati poſt ea pluribus, naturali morbo infectis, adſtiterunt et cum iisdem in eodem lecto per totum morbi decurſum decubuerunt absque infectione noua. Quin imo aſſerit, puellam quandam, antea inoculatam, poſtea de nouo ſibi in vulnus per tres continuos dies pus ex varioloſo naturali morbo infecto adplicuiſſe, et octauo die leuem quidem capitis dolorem breui tranſientem, ſed nec febrem nec variolas ſibi contraxiſſe. Diſcuſſa igitur hac obiectione, inſitionis, inquit, ad- p. 124.
verſarios conſultius agere, ſi opponerent, inoculationem non ſemper variolas inducere, et varios eius modi ipſe adducit caſus, ubi inoculati nullas variolas, poſt ea vero neque ullam infectionem a contagio quomodocunque admiſſo experti fuerunt.

Diſquirit porro *in ſectione VI.* Clar. Auctor, *utrum* p. 129.
varioloſam materiam in diuerſis morbi gradibus ſumtam

tam vera differentia intercedat? an inter ſumtam a naturali et ab artificiali? et annon alterutra alium quendam morbum ſeu malum communicare poſſit? Graecam, quidem illam, operatricem, in electione puris admodum ſolicitam, materiam ex maturis et benignis diſtincti generis puſtulis teneri infantis alias ſani, duodecimo vel decimo tertio ab inuaſione die, deſumſiſſe, pusque inoculatorum ceu inefficax reieciſſe, conſtat, experientia vero oſtendit, illud ſimul ac materia bene cocta, laeuis et aequalis eſt, ſumi poſſe, illudque tamdiu efficax eſſe, quamdiu commode ex puſtulis extrahi poteſt, id quod in quibusdam per ſeptimanam et in aliis per quatuordecim dies poſt primam euidentem ſuppurationem fieri poſſe vidit Cl. Auctor. Quidam ſibi imaginantes varioloſam materiem benigniorem, licet efficacem, morbum impertiri poſſe, ſi diſſipatis ſubtiliſſimis et volatiliſſimis partibus capiatur, illam procul dubio ex eius modi puſtulis, quae ultimo exſiccantur et plerumque in extremitatibus deprehenduntur, quaeque cum minimo aegri incommodo aperiri poſſunt, eligent. Et
p. 131. hoc quoque aliquam ſaltim veritatis ſpeciem prae ſe ferre, ex radicis Caſſada ſucco recens expreſſo venenato, poſt aliquot dies vero innocuo facto illuſtrat Noſter, Cl. FREWIN vero aſſerere, ſe aliquid liquidi ex erumpentibus puſtulis, quando adhuc in limpido ſtatu eſt, ſumſiſſe et adplicuiſſe, neque aliam ſe differentiam percipere potuiſſe, quam quod quodam mo-
p. 132. do lentius operatio ſucceſſerit. De efficacia purulentae materiae ex inoculatis deſumtae nullum in praeſenti dubium ſupereſſe ſtatuit. Simulque factis, tum a Cl. RAMBY, tum a ſe ipſo tentaminibus, confirmat, materiem purulentam, ex uno deſumtam, alterique applicatam per plures ſucceſſiones efficacem adhuc reſtitiſſe. De purulenta in inciſis locis excretione antea quidem dubitatum fuit, utrum varioloſae indolis ſit nec ne? Cl. FREWIN vero affirmat, ſe ob de-

defectum purulentae materiae ſaepius purulentam inciſorum locorum in morbi vigore excretionem optimo cum euentu applicaſſe; idem vero experimentum decem vel duodecim dies poſt variolarum diſceſſum non ſucceſſiſſe. Quin imo Chirurgum WALL in noſodochio *inoculatorio* infantem ſeptem annorum ita inoculaſſe, ut notabilem diſtinctarum variolarum eruptionem experiretur, materia ex ſuppuratis inciſionibus feminae deſumta, quae poſt inſitionem ne puſtulam quidem experta erat, quod experimentum illius materiae variolarum naturam, iſtorumque non infectorum hominum ab infectione noua ſecuritatem ſatis ſuperque euincat. Negat vero per inſitionem morbos eorum, e quibus pus deſumtum eſt, communicari poſſe, Cl. enim FREWIN affirmare, ſe multos pure, ex admodum malignis et confluentibus variolis deſumto, inoculaſſe absque ullo malo euentu, quod alii etiam confirmarunt. Cl. Auctor vero eius modi experimenta abhorret, et inoculationem tali cum pure tunc tantum concedit, ſi malignae epidemice graſſantur, et melius nullo modo obtineri poteſt, attamen illud neutiquam e morho, cum gangraena coniuncto, deſumi debere monet, quippe cuius foetorem variolas experiundis ſubiectis iam antea interdixerit. De reliquo, omni, quo pollet Noſter, candore, ex ſua ipſius quindecim annorum experientia ſe conuictum eſſe, inſitionem nunquam alium morbum praeter ſpecificum, ſcil. variolas, produxiſſe affirmat, id quod non ſolum variis rationibus, ſed et exemplo feminae iuuenis a pharmacopola inoculatae confirmat, pure ex ſeruo variolis et inſimul etiam bubone venereo laborante deſumto. Iſtam enim non ſolum eo tempore, ſed etiam nunc poſt multos annos ab omni venerea labe immunem vixiſſe. Maxime tamen laudabile variolarum pus ad transmittendum morbum ſeligendum eſſe ſuadet. Et e contra monet, abſceſſus in axilla, licet infrequentes ſint,

p. 133. p. 136. p. 137. p. 140. p. 142.

inocu-

inoculatis tamen ſaepius, quam naturali morbo affectis, accidere, eosque probabiliter ab inhaerente humoribus corruptione prouenire, quae interdum per aliquot ſeptimanas perduraſſe ſine ulteriori noxa obſeruauerit.

p. 145. In *ſectione VII. varias artificialis infectionis me-*
thodos proponit, et graecam dicit illam inoculatricem
in vulnuſcula, acu in media et ſumma faciei parte, in
qualibet gena et in mento, ut et in quolibet metacar-
po et metatarſo oblique facta, pauculum puris, quod
calidum, ab aegro iuuene, naturalibus atque be-
nignis variolis laborante apportare curauerat, in-
p. 147. ſtillaſſe: Chirurgum MAITLAND in quolibet bra-
chio et uno crure inciſiones feciſſe; et ad notabile
tempus unius brachii et in oppoſito latere cruris in-
oculationem uſitatam fuiſſe: legatum Tripolitanum
affirmaſſe in Africa, acum cum filo per puſtulam be-
ne maturatam ducto per integumenta inter pollicem
et indicem abſque muſculi vulneratione traiici et ſic
morbum communicari, Chinenſes ex longo tempore
praeterlapſo turundam ex goſſypio paratam et vario-
loſo pure tinctam, addito pauco moſcho, in nares
inficiendi hominis indidiſſe et in producendo morbo
efficacem inueniſſe: Hanc vero methodum, naturali
infectioni haud abſimilem, utilem eſſe non poſſe atque
b. MEAD hanc methodum in captiua octodecim an-
norum aetatis femina repetentem, inueniſſe, mate-
riam, eo modo in corpus introductam maxime ex-
cruciantes capitis dolores, febremque immediate ex-
citaſſe prius, quam eruptio apparuerit, non remit-
tentem: In *Pembrokeſhire* et Cambria meridionali
ex longo inde tempore et ante 150 annos aliam in-
fectionis methodum in vulgus notam adhibitam fuiſ-
p. 149. ſe, quae variolarum infrictio appellari poſſet. Quae-
dam enim aridae puſtulae, nudo brachio ſeu pedi
fortiter affricantur, euentusque aeque efficax et bene
ſuccedens ac per inoculationem eſſe dicitur. Hanc

vero

vero methodum, niſi varioloſa effluuia ſeu odorem per os vel nares durante infrictione ingredi aſſumamus, illi naturli, rarius vero, quam per reſpirationem ſeu odorem contingenti, ſimilem eſſe, eandemque inoculationi, ob deficientem per ulcera artificialia excretionem, neutiquam comparandam eſſe cenſet. Qua occaſione quaerit, annon fonticuli, cum p. 150.
in peſte tam utiles tamque prophylactici deprehenſi fuerint, adultis, variolas extimeſcentibus et tamen in infectionis ſphaera manere coactis, ad praeſeruationem magni uſus eſſe poſſint? Et annon contagium varioloſum per fonticulos inoculari poſſit? Ab amico ſe certiorem factum eſſe dicit, in *Blandfort*, *Dorſetſhire* hanc communem eſſe methodum, et ex 400 ita inoculatis vix unum perire. Inciſiones crurales, licet difficilius ſaneſcant, et vehementer inflammentur, attamen in eo caſu, ubi aegri aetas et habitus, conſtitutio et integumenta abundantis pabuli metum iniiciunt, ad copioſam excretionem et deriuationem varioloſae materiae a capite efficiendam, et auertendam ſecundam febrem utiles, iisdem vero raro opus eſſe arbitratur. Addit deinde, in iis ſubiectis, ubi p. 157.
moderata aſſimilatio probabiliter exſpectari poſſit, unicam inciſionem ſufficere, in aliis vero duas praeferendas eſſe. Si loco inciſionis cuticula mediante veſicatorio auferatur, operationem maiores quam inciſionem excitare dolores, cantharides vero infectioni neutiquam contrariari. Inciſio, inquit, ad pollicis longitudinem extendi, cutisque uſque ad membranam adipoſam diſcindi poteſt; euitetur vero tunica muſcularis, quia hinc ſinuoſa et moleſtiſſima ulcera oriri poſſunt: In brachio locum ſupra viciniam bicipitis et brachiaei interni, et in pede pro fonticulis conſuetum eligere ſuadet. Non eſt, cur pus p. 190.
cum multo ſanguine miſceatur: quando enim minima ſanguinis particula in cute apparet, commixtio efficax deprehenditur. Fila, inciſo loco imponenda, eidem

eidem longitudine aequalia eſſe debent, eademque linea, quae plerumque uſurpantur, vel ſericea, apte imbui poſſunt, ſi rotunda vel triquetra acus cum eius modi filo non nimis tenui duplicato, per duas vel tres bene digeſtas puſtulas ducitur. His paruum plumaceolum cum digeſtiuo quodam munitum ſuperimponitur, et huic paruum emplaſtrum ſatis adhaerens, quod per unum vel duos dies vel per quadraginta horas relinquitur; et ex ſuperflua forte cautione, ne ſcilicet aeger loco artificialis naturalem infectionem capiat, muccinio, durante applicatione, os
p.161. naſusque obtegantur *. Refert dein Cl. WAGSTAFFE oppoſuiſſe, doſin varioloſi puris diuerſis hominum aetatibus et temperamentis neceſſariam incertam eſſe, et reſpondet, neque naturalis contagii doſin ſciri, nec determinari poſſe; certum vero eſſe, quantitatem puris, in vaſa recepti, non aequare
p.164. centeſimam grani unius partem: Quantitatem vero Conſtantinopoli adhibitam ad aliquot centenos inficiendos ſufficere potuiſſe; hinc facile concludi poſſe, nos de nimis ſuperficiaria cutis vulneratione, modo muſculus non laedatur, et de nimis magna vel parua puris applicati qnantitate non adeo ſollicitos eſſe debere. Ex eo quoque, quod alii vehiculum infectionis per viginti quatuor vel octo et quadraginta horas impoſitum relinquant, alii vero illud ſemel tantum
p. 166. absque deligatione vulneri affricuerint, exoptatiſſimo cum ſucceſſu, facile perſpici poſſe, breuem inficientis materiae contactum probabiliter ſufficientem, et diuturniorem eius remoram non noxiam eſſe; vidit enim tenerrimo puero duplicem doſin applicatam et diu retentam nullam effectuum accumulationem produxiſſe. Pus quoque quantumcunque ſiccum, et ad modum probabiliter friabile, in filis ſeu linteis efficacem retinere per aliquot ſeptimanas vigorem, virium vero deperditarum certum tempus nos adhuc latere

* Confer. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 68.

lateré; forſitan menſem durare*. Vidit enim Cl. Au- p. 168.
ctor infantem pure inoculatum eſſe, quod menſe completo ante ex alio infante deſumtum erat: Cl. BVTINI affirmat, illud Geneuae poſt quatuor menſes completos efficax inuentum eſſe; et femina poſt phlebotomiam cum lanceola infecta eſt, qua cum ante nouem dies pus varioloſum captum fuerat. Lenis in orificio vulnuſculi ſeu circa illud pruritus prima inuaſionis variolarum nota eſſe videtur; et, ſaepius parum materiae in faſciis poſt unum alterumque diem relaxatis, et ſenſibilem labiorum vulneris receſſum cum paruo eius rubore obſeruamus. Breui poſt apparet alba quaedam linea, ſeu arida lacuna longitudinalis in orificio ſeu potius ſupra illud, quae certiſſimus infectionis character haberi poteſt. Cl. AMYAND et RANBY hanc quinto die apparere exiſtimabant; arbitratur autem Noſter illam interdum citius apparuiſſe.

In ſectione VIII, in qua de eligenda aetate annique p. 171.
tempore, et de maxime aptis et ineptis ad inoculationem ſubiectis, agit, et teneram aetatem, blandam aeris temperiem fauentes huic morbi circumſtantias eſſe cenſet. Et licet innatum pabulum in diuerſis p. 172.
eiusdem familiae ſubiectis et aetatibus adeo diuerſum deprehendatur, ut nulla regula ſtabiliri poſſit; inſigne tamen et infantiae fere peculiare commodum reſpectu variolarum eſſe arbitratur, quod natiuae portioni varioloſi fomitis nulla aduentitia ſuperaddita ſupponi poſſit. Infantes quoque ob ſanguinis rubri p. 174.
paucitatem, eiusdemque maiorem ad acidum procliuitatem, idearum et metus abſentiam, maioremque, antea quam pedibus incedere et currere incipiunt, quietem, et ſomnum prae adultis protractiorem, nec non ob bilis minorem acrimoniam et corporis deficientem calorem ad hunc morbum ipſi aptiſſimi videntur.

* Conf. ibid. Vol. III. P. IV. p. 618.

p. 176. dentur. Ex eadem vero ratione, et quia vis vitae in infantibus admodum languida ſit, neque ſemper ad extricandum fomitem ſufficere videatur, explicat, quare inter illos, qui ante primam criſin ſeu eruptionem moriuntur, plurimi infantes, pauciſſimi adulti deprehendantur. Id quod etiam variis exemplis illuſtrat. Ex eo porro, quod infantes tenelli, ob motus corporis defectum, minus perſpirent, illorum forſitan frequentes cuticulares morbos, ut et ſpuria variolarum genera (*the Swine and Chicken Pox*) de-
p. 181. duci poſſe arbitratur. Et cum acidum in illis praedominans eosdem ad crebras alui deiectiones diſponat, inſitionem in hoc caſu periculoſam inducere poſſe dyſenteriam, id quod ſibi ipſi in infante ſex menſium inoculato ante eruptionem accidiſſe memorat, et monet, illum, qui intra hunc terminum inoculare velit, deiectiones aluinas conſiderare et morboſa eius modi phaenomena ante operationem remouere debere.
p. 182. Rigiditatem quoque et craſſitiem integumentorum, quas Cl. Auctor in ſucci plenis infantibus ex repetita obſeruatione expertus eſt, morbo difficultatem in-
p. 183. ducere. Dentitionis tempore inſitionem itidem periculoſam eſſe. Quamuis vero Cl. RANBY inſitionem in infantibus, infra quartum aetatis annum conſtitutis, non approbet, Cl. Auctor tamen non dubitat, multos paucorum menſium inoculari, bene-
p. 185. que ſe habere poſſe. Et licet ſecundo aetatis anno, quo dentes oculares prorumpunt, non conſultum ſit, infantes inoculare, attamen ubi naturalis morbus valde epidemicus et letalis deprehenditur, et ſubiecta pro ratione aetatis nec morboſa nec infirma ſunt, nec ex infectionis ſphaera commode remoueri poſſunt, operatio ex Noſtri opinione etiam in ſecundo aetatis anno locum habet. Terminum vero a quarto ad ſeptimum aetatis annum admodum aptum inſitioni
p. 187. tempus eſſe cenſet. Tempus dein a ſeptimo anno ad pubertatem ſeu eius appropinquationem uſque ceu

proxime

proxime operationi fauentém periodum alteram conſiderare debemus. Horum vero integumenta non a cruditate, ut in infantibus, ſed a maiore firmitate paulo renitentiora fiunt. Si animali victui et ſpirituoſis indulſerunt, varioloſum pabulum auctum eſſe poteſt, multi quoque, intra hunc terminum conſtituti, morbum reformidant, attamen aeque bene inſitionem perferre poſſunt ac illi in priori termino conſtituti, et forte terminus a quinto ad decimum annum, ex Noſtri opinione, ad operationem optimus cenſendus eſt. Quamuis autem naturalis morbus plurimis, p. 190.
intra pubertatis terminum conſtitutis, exitialis ſit, attamen hic terminus generatim ad inſitionem omnibus ſubſequentibus praeferendus eſt. A viceſimo autem quinto anno et ultra ſumme probabile eſſe aſſeritur, nunquam ad ſuſcipiendas variolas magis corpus humanum idoneum reddi, paucis forte caſibus exceptis. Aetate prouectiores naturali infectioni minus obnoxios, et magis progreſſos, ſaepiſſime ab inſitione non adfectos eſſe, et hinc quoque Cl. RANBY nulli triceſimum ſecundum ſeu tertium annum transgreſſo variolas inſerere. Quod vero ſecundo ad p. 196.
anni tempeſtates attinet, concedit quidem Cl. Auctor, in omnibus anni tempeſtatibus multos et feliciter quoque inoculatos fuiſſe, illudque variis teſtimoniis confirmat, attamen ver ad hanc operationem commodiſſimum tempus eſſe cenſet, et cum hoc tempore corpus ad cutaneas eruptiones procliue ſit, quaerit, annon vere copioſior et minus ſimplex variolarum eruptio extimeſcenda ſit? Cl. vero RANBY ob leues in facie ſeu corpore prorumpentes puſtulas, inſitionem non intermittere, ſeque inde nunquam ullum inſequentis morbi augmentum expertum eſſe aſſerit: Aeſtatem vero, licet quibusdam humidis phlegmaticisque et ſenilibus ſubiectis, commodior eſſe poſſit, ab omnibus ſcriptoribus, et quidem recte, reiici. Quamuis autem autumnus in quibusdam regionibus p. 200. p. 206.

nibus plurimis morbis obnoxius ſit, ob temperatum tamen a comeſtis fructibus horaeis ſanguinem, ad operationem commoda et bona tempeſtas eſſe Noſtro
p. 208. videtur. Hyemem quidem Conſtantinopoli ob peſtis abſentiam commodiſſimam tempeſtatem eſſe, noſtram vero extreme frigidam hyemem plurimis corporibus et ſpeciatim tenſis rigidisque, et quae difficulter ſudant minus aptam,ublioſis vero et ſucculentis corporibus, in quibus quaedam putrida et colliquatiua ſymptomata ab aeſtiua infectione imminent, commodiorem. Eos tandem qui tenero roſeoque habitus colore et hilari oculorum et faciei vigore gaudent, omnium optime eos vero, qui morbo aliquo, corporis praeſertim humoribus inhaerente, laborant, ab hac operatione liberos eſſe debere, arbitratur ad hunc morbum diſpoſitos eſſe.

p. 224. *In ſectione IX, de praeparatione inſitioni praemittenda*, omnes in eo conuenire aſſerit, ut a victu animali et vino abſtineant et refrigerantem diaetam ſeruent; hac enim methodo noſtros humores illis ſimiles fieri, qui in vegetis infantibus obſeruantur. Euacuationes non indicari, ubi praui humores non adſint; in plethora vero, admitti poſſe; neque iuuenilia ſubiecta a vermibus et cutis impuritatibus libera aliasque ſana, euacuationibus indigere; neque infantes lac adhuc ſugentes praeparatione diaetetica opus habere; in iis vero, qui aluo ſtrictiori laborant, man-
p. 230. nam praemitti poſſe. Infantibus duorum vel trium annorum per quatuordecim dies primas vias a ſaburra et vermibus purgandas eſſe; dentitione vero et febre verminoſa laborantes inoculari non debere: Ad ſextum vel ſeptimum et hinc ad decimum annum peruentos abſtinentia a carnoſo et iurulento victu et a ſpirituoſis praeparari eosque praemiſſis tribus vel quatuor Calomel. granis, cum ſubacidis purgari, totoque praeparationis tempore aut ſaltem ultima ſeptimana aluum humidam et apertam ſeruari debere

A ſe

A ſeptimo ad decimum annum venaeſectione raro apud nos opus, eique potius ex RHAZIS conſilio, ſcarifationem praeferendam eſſe. Tandem et nimium corporis exercitium ante inſitionem vitandum eſſe notabili exemplo illuſtrat. E contra vero monet, p. 236. a nimis tenui diaeta et praecipue in primo morbi ſtadio neruoſa ſymptomata metuenda eſſe, non neceſſarias repetitasque purgationes ſanguinem acrem reddere, tresque ſeptimanas in quibusdam et quatuor in aliis ad praeparationem ſufficere. Largam in ſanguineis venaeſectionem eamque, ſi opus, repetitis vicibus inſtituendam, diaetae vero mutationem, praecipue in guloſis, non ſubito ſed gradatim ſuſcipiendam eſſe ſuadet, et aſparagum ob diureticam qualitatem in primis commendat. Adultis vero bilioſis p. 243. praeſertim in ſicco corporis habitu, poſt unicam venae ſectionem moderatum vomitorium leniter inſimul aluum ſubducens, ſuccos deinde acidos et repetita balnea tepida magni uſus fore promittit: Lenes p. 244. quoque frictiones conducere, et lac ebutyratum eiusque ſerum praecipue hecticis corporibus conuenire, aquam vero pro potu optimam eſſe Noſter iudicat. Feminarum virginumque adultarum praepa- p. 247. rationem ita ſuſcipiendam eſſe ſuadet, ut operatio breui poſt completum catameniorum terminum inſtitui poſſit. Licet vero Cl. Auctor feminae quadragin- p. 348. ta annorum, naturali variolarum morbo in calida aeris tempeſtate decumbenti, ſub earum eruptione catamenia ſpontaneo et debito curſu profluere, moderatamque eruptionem et benignum morbum apparere viderit *; attamen ob defectum plurium experientiarum, nec

* Nos contra feminam 20 annorum tenerae conſtitutionis vidiſſe meminimus, quae medio martio 1753. tertio poſt completum catameniorum terminum die naturali via inficiebatur, cuique tertio morbi die et breui ante eruptionem libram ſemis ſanguinis e talo ſubtrahi

nec inſitionem variolarum in adultis et praecipue iis feminis, ubi maxima eruptio timetur, ita inſtituendam eſſe ſuadet, ut regularis catameniorum fluxus cum apparatu morbi coincidat; nec in ſanguineis ſubiectis cum inueterato capitis dolore in admodum cita eruptione cum valde inflammatoriis ſymptomatis coniuncta, inſtrumenti applicationem, quo cum narium haemorrhagia ad lubitum excitari poſſit, com-
p. 254. mendare audet. Si quis tandem fonticulum habeat, qui ſuo quidem ſcopo ſatisfecerit, nondum tamen exſiccatus ſit, hunc non cicatrice obducendum, ſed varioloſa potius materia leniter tangendum eſſe ſuadet.

p. 256. *In ſectione X, de inuaſione et directione morbi per inſitionem*, aſſerit, ſe violentam *lumbaginem*, frequentem adeo magnae confluentiae anteceſſorem, nunquam in maxima inoculatorum eruptione obſeruaſſe. Horum enim dolores ſaepius circa ſcapulas, pectus etc. haerere, erraticosque potius quam acres et fixos et cum laſſitudinis ſenſu coniunctos eſſe. Febrim rariſſime ad delirium peruenire. Inciſorum locorum ante aegritudinem maior pruritus ſingularem Noſtro vim habere videtur deducendi irritantes particulas in exteriores vaſculoſi ſyſtematis partes.
p. 258. Inoculatos loco ſeueri capitis doloris primo ſaepe de vertigine conqueri; infantesque facile ante eruptionem obſtupeſcere, et calidam in ſuperficie humiditatem habere eruptionem benignam praenunciantem: Adeſſe quoque frequentem nauſeam, quae ab hauſto potu in vomituritionem terminetur. Rubores interdum

ſubtrahi curaueramus, cuique ſexto ſeptimoque morbi die menſtrua irregulariter, modice tamen profluebant, ex maximo vero confluentium variolarum numero et copioſiſſima tenaciſſimaque ſaliuatione, accedente die nono febre ſecundaria, delirio et conuulſionibus per tres dies durantibus, vix emergebat.

dum ante et interdum paulo poſt aegritudinem praeſentes ut plurimum paulo poſt euaneſcere, eosque placidam eruptionem inſequi iisque infuſum pus ante actualem morbi formationem humoralem fomitem imminuere partemque eius expellere. Narium haemorrhagias, quae interdum ante eruptionem, interdum vero durante eadem, et ſpeciatim ſi inoculatus adultus et ſanguineus pubertati proximus ſit, occurrant, quandam in pulſu tenſionem, dolorem capitis, et faciei genarumque rubores, pruritumque in naribus immediate ante eruptionem ſignificare: Et, cum irregulares menſium in hoc ſtadio eruptiones varioloſas eſſe ſuppoſuerit Noſter, tentamine dignum fore experimentum cenſet, num ſanguis ex narium haemorrhagia variolas impertiret? cumque hunc ſanguinem varioloſum eſſe nulloque artificio ceu ſpecificum ſubtrahi poſſe ſupponat Cl. Auctor, nunquam venaeſectioni ad auertendam per reuulſionem hanc narium haemorrhagiam inſtituendae adſentitur. Si nimis ille fluxerat aegerque per aliquod tempus aluum non habuerat apertam, leniens et refrigerans clyſma cum leuamine applicari curauit; ſaepius enim hoc ſymptoma cum adſtricta aluo coniunctum deprehendit. Licet quoque ſe raro venaeſectionis indicationem in apparatu morbi per inſitionem, ubi aeger rite praeparatus fuit, offendiſſe fateatur; attamen in delirio vehementiori, quod a leui et breui tranſeunte bene diſtinguendum eſt, nec non in vehementi capitis dolore, oculis inflammatis, aegro ſanguinei temperamenti, adulto, ſeu pubertati appropinquante, et abſentia pruritus naſi, venaeſectionem in pede locum habere concedit. In nauſea et vomituritione ob metum ſanguinis in cerebrum appulſi non facile vomitorium exhibendum eſſe monet; quodſi vero aeger biliosus ſit, et per vomitum reiecta itidem biliosa et viſcoſa deprehendantur, tunc vomitorium ex ipecacuanha ſeu eius tinctura cum oxymeli ſcillitico exhi-

p. 260. p. 261.

 beri

beri poſſe. In neruoſis ſymptomatibus et praecipue in conuulſionibus venaeſectionem pernicioſam eſſe.
p. 263. Cardiaca quoque et veſicatoria in manifeſto inflammatorio morbi apparatu contraindicari, ea neceſſaria vero eſſe, ubi poſt inſultum morbi eruptio non ſequatur. Vbi vero aeger loco conuulſionum torpidus comatoſus et paralyticus iaceat, efficax vomitorium ad producendas particulares et tranſitorias conuulſiones dari debere. Nihilo minus in alui ſiccitate cum tenſione abdominis et hypochondriorum calidum clyſterem ſtimulantem iniiciendum, acre veſicatorium nuchae ſeu inter ſcapulas applicandum, et generoſum cardiacum exhibendum; et niſi haec aegrum paucarum horarum ſpatio excitauerint, *ſolearia* ex allio et ſale applicanda eſſe ſuadet, quorum bonos effectus
p. 266. crebro vidit. Cl. vero Auctor nunquam inoculatum in apparatu torpidum ſeu comatoſum vidit, paroxyſmos autem epilepticos illis non adeo inconſuetos eſſe aſſerit, illudque notabili exemplo confirmat: Secundariam febrem in inſitione raro occurrere, et ſi tandem occurrat, eam comparatiue breuem leuemque eſſe. His interdum gratum temperatumque cardiacum v. g. parum vini canarienſis puri, ſeu diluti optimo cum ſucceſſu exhibuit Noſter. In longa alui adſtrictione clyſma ad unam alteramque deiectionem procurandam applicandum, hypercatharſin vero, licet puſtulae faciei iam exſiccatae ſint, vitandam, et poſt morbum, quocunque modo contractum, profligatum, reiteratas purgationes nunquam omittendas eſſe aſſerit, niſi paralyſis ſeu alia neruoſa ſymptomata contrarium indicent.

p. 267. *In ſectione XI ultimaque de directione et oeconomia inſitionis*, quae medicinae ſtatum in Anglia potiſſi-
p. 270. mum reſpicit, refert, inſitionem quidem ab omnis generis hominibus et ſaepe quoque admodum feliciter peractam fuiſſe, attamen cum ſelectus et praeparatio inoculandorum in primis medicum, medica-
men-

mentorum praeparationem pharmacopolam, et operationem chirurgum reſpiciat, medicum, pharmacopolam et chirurgum inter ſe conuenire monet, temerariosque pharmacopolas et chirurgos taxat, qui absque medici conſiliis hanc operationem ſuſcipere et ſaepe aegros perdere audeant. Sub finem tandem concedit, per inoculationem omnino naturalem morbum diffundi poſſe, et ideo ſuadet, ut in qualibet metropoli ad infectionem non ulterius diffundendam, Anglorum more, noſocomium inoculatorium publicis ſumtibus erigatur, eaque igitur ratione hominum multitudo conſeruetur.

XIII.

An Account of the Preparation and Management neceſſary to Inoculation. By Mr. IAMES BVRGES. London, 1754. 8. pl. 44. ſine praefat.

hoc eſt:

Relatio de praepatatione et adminiſtratione ad inſitionem neceſſariis, Auctore IACOBO BVRGES.

In hoc paruae molis quidem, ſed utilium practicarum obſeruationum referto libello, Cl. Auctor in praefatione ſtatim monet, methodum ſuam neutiquam theoriae ſed ſoli experientiae ſuperſtructam eſſe. In plerisque cum priori fuſius recenſito Cl. KIRCKPATRICK libro conuenit, et hinc pauca tantum peculiaria nobis viſa ſpeciminis loco cum lectoribus noſtris ſumus communicaturi. *In I* enim *capite*, p. 3. *de inſitionis origine*, illam Circaſſiis adſcribit, et hanc inſitionis praxin variolas tandem ex orbe uniuerſo expulſuram eſſe credit. *In Cap. II. obiectiones contra inſitionem* remoturus, cum variolosa materia nec luem

 vene-

veneream nec alios morbos communicari poſſe notatu digna obſeruatione confirmat. *In Cap. III. de in-*
p. 7. *ſitionis commodis*, aſſerit, ſi durante infectionis progreſſu, cutis temperata, aluus leniter aperta et urina circa periodum mediam limonum colore; et circa eruptionis tempus, ceu lactis ſerum ſiue pallidior cum albo ſedimento appareat, paucas puſtulas; quod ſi cutis vero calida et arida, aluus adſtricta, urina pauca et exaltati coloris ſit, puſtularum numerum periculumque valdopere auctum metuendum eſſe.
p. 8. Exponit dein *in Cap. IV. debitae praeparationis neceſ-*
p. 9. *ſitatem*, et *in Cap. V. obſeruationes de praeparationis methodis quibusdam* ſubiungit, et primo illos, qui aegros in nimis debilem ſtatum reducunt, ex quo aut ſeuerior variolarum gradus, aut chronicus morbus et inuincibiles obſtructiones oriantur, ſecundo vero et illos taxat, qui omnem praeparationem reiiciunt, et hunc neglectum in laxis quidem ſubiectis v. g. infantibus et delicatis feminis iuuenibus, minus periculum portendere, in aliis vero plurimis eundem ophthalmias, eryſipelas, ſcarlatinas quaſi eruptiones (*roſhes*) et abſceſſus inſequi docet, hancque ſuam opinionem duobus notatu dignis caſibus confirmat.
p. 14. *In Cap. VI.* varias *ad praeparationem pertinentes*, ſed lectoribus noſtris cognitas, *conſiderationes* proponit.
p. 19. *In Cap. VII. de praeparationis methodo*, infantum voracitatem paululum reſtringendam, diaetamque animalem cum vegetabili alternandam eſſe, lacticiniaque iis conducere perhibet. Adultis vero, cum timidiores ſint, eorumque vires et animus facile deprimantur, vini parum interdum concedendum eſſe. Tres, inquit, ſeptimanae ad praeparationem ſufficiunt. Sub finem ſecundae lene purgans exhiberi et ter repeti debet, niſi excretiones aegrum debilitent. Tota praeparatio conſiſtit in temperantia, quiete et
p. 23. hilaritate. *In Cap. VIII. de operatione eiusque accidentibus* circumſtantias, eruptionem concomitantes, elegan-

eleganter deſcribens: a tempore operationis, inquit, uſque ad ſeptimum diem aeger nullam ſentiet mutionem; circa hoc vero tempus aut paulo poſt algorem ſentiet cum leuibus horroribus, dorſi artuumque doloribus, grauitate et dolore capitis cum aegritudine et diſpoſitione ad vomitum: teneri infantes ſomnolenti et graues fiunt, os ſpeciatim circa labia frequentibus conuulſiuis motibus corripitur, qui interdum totum corpus occupant et uniuerſales conuulſiones producunt. Si per aliquot tempus lecto addicti ſeruantur iisque calida datur, haec ſymptomata imminuuntur, et totum corpus pedetentim ad ſudores diſponitur, qui ſecundo a primo morbi inſultus die eruptionem pulicum morſibus ſimilem expellunt, qui etiam interdum adeo confertim proueniunt, ut febris ſcarlatinae apparitionem ſimulent; quod ſi aeger vero quietus maneat et tenuibus liquidis moderate calidis impleatur, profuſus ſuccedens ſudor eruptionem iuuat; et circa quartum diem omnia alia ſymptomata decreſcunt, variolaeque in paruis rubris maculis apparent, quae ſub initium quinti diei ſupra cutem attolluntur: hoc tempore capitis dolor, vomituritio, aegritudo, et omnes conuulſiui motus ceſſant, et naturam ab onere liberatam eruptionemque completam eſſe declarant. Ab hoc quoque tempore puſtulae quotidie altius ſupra cutem attolluntur, rubraque baſeos circumferentia decreſcit, et puſtulae ſenſim a rubro in albo flauum colorem mutantur; tandem ſeptimo die ab eruptione puſtulae in facie materia plenae conſpiciuntur; et nono eandem mutationem in artubus admittunt, a quo tempore omnia externa inflammationis ſigna penitus ceſſant, puſtularum cutis corrugatur, materia in iis contenta incraſſata exſiccatur et morbum penitus finitum aegrumque extra periculum eſſe declarat. Hic regularis morbi decurſus eſt. Teneri infantes vero praeter haec ſymptomata in principio diarrhoea, et annis

prouectio-

proueɛtiores narium haemorrhagia afficiuntur, neutra vero harum excretionum, quae plerumque ſalutares ſunt, ruditer cohiberi debent, niſi vires aegri
p. 25. manifeſto iisdem debilitentur. *In Cap. IX, de cura poſt inſitionem* commendat, ut in principio aluus ſemper libera ſeruetur, et ſi caput valde oppreſſum, reſpiratio difficilis, dolores acuti, ſeu calor corporis intenſus ſit, recte debitam ſanguinis quantitatem auferendam eſſe, licet puſtulae iam apparuerint, eruptionem enim euacuatione promoueri. Infantibus in morbi appropinquatione conuulſionibus violentis et diu durantibus correptis, venaeſectionem, quin imo veſicatorium et ex medicamentis radicem Valerianae, ſpiritum fuliginis et chemicas ſuccini praeparationes commendat. In vomituritione vomitorium exhiberi non approbat, ſuamque ſententiam binis hi-
p. 29. ſtoriis illuſtrat. *In Cap. X, de cura poſt eruptionem,* contra inquietudinem ab inflammatione ſuppuratio-
p. 30. nis tempore ortam paregoricum commendat. *In Cap.* vero *XI, particulares inſitionis effectus* proponit, et violentos in principio morbi ſudores, in naturali via mali ominis, hic ideo bonos eſſe aſſerit, quia cutem ab eruptione ſcarlatina (*raſh*) liberant, et variolarum eruptionem promouent, quibus apparentibus imminuuntur, et cum aliis ſymptomatis ceſſant. Poſt eruptionem quoque interdum euenire, ut, transeuntibus in principio libere per cutim humoribus, multae puſtulae in principio a natura expulſae, ſecedant et quaſi emoriantur absque ulla apparente materia in illis, et quasdam tantum paucas regulariter ſuppurare; ſi igitur hoc non a ſubito accidente eueniat, et ſi pulſus praecipue aequalis et debiti roboris ſit, ſecuros eſſe nos poſſe. Et ſi haec eruptio (*raſh*) in principio non appareat, ſeu accidente quodam v. g. aequali perſpiratione non ſeruata, impedita ſit, hanc ſupra nominatam cutis inflammatoriam diſpoſitionem ſe oſtenſuram, et in poſteriore morbi fine

baſes

baſes puſtularum eryſipelatoſam faciem habituras eſſe, quae ſpeciatim in pedibus interdum vehementer inflammari, et in moleſta ulcera degenerari poſſent. Interdum eruptionem ſupra totam cutim apparere; et alio tempore, quod plerumque fieri aſſerit, totum venenum ſe in vulnus coniicere, cuius curatio ſaepius et operatori et aegro taedioſa ſit. Aegrum hinc a frigido aere arcendum eſſe ſuadet, ne materia in membranam cellularem et glandulas retropulſa abſceſſus et inflammationes producat. *In Cap. XII. de operatione* ipſa iniungitur, inciſionem neutiquam ad membranam celluloſam pertingere debere, oriri enim hinc et praecipue in pedibus moleſtiſſima ulcera et tumores, quorum exempla aliquot adducit. *In Cap. XIII. de accidentibus et directione inciſionis*, inciſionem primis ſex vel ſeptem diebus paruam excretionem, et apparentibus variolarum ſymptomatis frequenter prorſus ſiccam videri, aſſerit, variolis ad maturationem tendentibus, ulcera ſenſim dilatari, impura videri, labiis ſerratis cruſtamque in medio in proportione vulneris ſe expandentem, habentibus; et ne hoc quidem tempore magnam ſuppurationem adeſſe, diſcedentibus vero variolis cruſtam digeri incipere, et in ſeptimanae circiter plus vel minus ſpatio ulcera bene digeſta et pura relinquere. Vlcera non in omnibus ſubiectis aequaliter ſe expandere, in quibusdam enim bene ſe habere et moderate excernere, in aliis vero corrodentem inflammationem deorſum ad cubitum extendi, et in hoc caſu pulticulam ex pane candido et lacte cum unguento ſambucino, venae ſectionem et lenem purgationem pro aegri viribus repetitas ſenſim vulnus ad ſanationem diſponere. Effluxus plerumque quatuordecim circiter dies ſeu tres ſeptimanas poſt variolarum diſceſſum imo longius continuat, in aliis alterum brachium cito exſiccatur, cum in altero effluxus ad notabile tempus perduret. Neque feſtinanter effluxum ex ulcere, ſi lar-

p. 35.
p 37.

ſi largus ſit, cohibendum eſſe monet, ſed in quibusdam potius impoſito vulneri piſo, ceu fonticulum, aſſeruandum eſſe. Draſtica et mercurialia non tuto adhiberi, ſatius eſſe humores purificantibus, lignorum decocto et lacte aſinino corrigere. Interdum quoque accidere, ut, poſtea quam omnes externae morbi apparitiones euanuerunt, eruptio (*raſh*) cum calore et pruritu coniuncta, brachiaque, pedes, pectus et dorſum praecipue afficiens, appareat. Hanc paruis puſtulis tectam eſſe, quae ſcalptae aquoſum humorem tantae acrimoniae emittant, ut inde cutis erodi leuisque inflammatio excitari poſſit. Arbitratur Cl. Auctor, hoc ſymptoma probabiliter citioris, quam par erat, tranſitus ad lautiorem diaetam euentum eſſe, et hinc quoque venaeſectionem, et purgationes antiphlogiſticas neceſſarias iudicat, et teſtacea
p. 40. et nitroſa et tandem lac aſininum commendat. *In*
p. 41. *Cap. XIV. de diuerſis inoculationis viis* nihil noui deprehendimus et *Cap. XV. de operatione fruſtranea viſa* aegrum a ſecunda infectione tutum non eſſe aſſerit, ſi, operatione cum pure bono rite peracta, inciſiones absque variolis ſubſequutis paucis diebus ſaneſcant. Quodſi vero ulcera aperta maneant, et conſueto tempore ſymptomata febrilia accedant, licet ne unica quidem puſtula appareat, aegrum a ſecunda infectione omnino tutum eſſe, et hanc ſententiam notando caſu probare annititur.

XIV.

Mémoire ſur l'inoculation de la petite vérole. Lu à l' aſſemblée publique de l'Académie Royale des Sciences, le Mecredi 24 Avril 1754, par Mr. DE LA CONDAMINE, Chevalier de l'Ordre Militaire de Saint Lazare, de l' Académie Royale des Sciences, des Sociétés Royales de Londres et de Berlin. A Paris, Chez Durand, 1754. 12. pl. 3.

Hoc eſt:

Commentarius de variolarum inſitione, in conuentu publico Academiae regiae ſcientiarum die 24 April. 1754 praelectus a Cl. DE LA CONDAMINE.

Omnis Auctoris labor in eo conſiſtit, ut inſitionem p. 2.
variolarum tutum, a ratione ipſa declaratum, per experientiam confirmatum, nec ſacris legibus contrarium remedium prophylacticum contra naturalem infectionem eſſe oſtendat. Totum opuſculum p. 3.
in tres ſectiones ſeu partes diuiſum eſt, in quarum prima inſitionis hiſtoria eiusque fata in diuerſis Europae, Aſiae atque Americae partibus recenſentur, praecipue tamen declaratur, quod, licet variolarum inſitio in Galliae regno multos eximiosque fautores nacta ſit, ob longe plurium tamen aduerſariorum maleuolentiam, communiaque praeiudicia, in hunc uſque diem nec celebrari, nec introduci, potuerit. In ſecunda ſectione varias contra hanc ipſam praxin p. 31.
motas obiectiones remouet, et in ea potiſſimum ingenioſe et ſolide diſcutienda plurimum moratur, anne permiſſum ſit illi crudelem et periculoſum morbum communicare, qui eundem forſitan naturali via nunquam ſit experturus? Porro cum omnes hacte-

hactenus eos, qui intra quadraginta dies poſt inſti-
tutam operationem e vita diſceſſerunt, operationis
culpa mortuos eſſe non nulli putauerint, hoc iniuſte
ab iis factum eſſe oſtendit, et probat, ex incolarum
numero, qui Lutetiae Pariſiorum ad octingenta mil-
lia aeſtimetur, quotannis viginti millia decedere, et
hinc quolibet ſex ſeptimanarum ſpatio bis mille et
quingentos mori, qui ultimus $\frac{1}{320}$ totius numeri ſit;
et cum inſuper admodum probabile ſit ex trecentenis
et viginti hominibus cuiuscunque aetatis intra ſex
ſeptimanas ad minimum unum mori poſſe, hoc iti-
dem ut in trecentenis et viginti inoculatis contingat
neceſſe eſſe, niſi ſupponere velimus, operationem
mortis naturalis probabilitatis gradum imminuere;
ex hoc vero, ſi nimirum inſitio vitam hominis ad
quadraginta dies praeſeruaret, ulterius ſequi, leuiſ-
ſimam ſingulis ſex ſeptimanis repetitam cutis laeſio-
nem mortem naturalem praecauere poſſe, cuius ta-
men propoſitionis abſurditatem nemo non perſpice-
p. 59. ret. In tertia tandem ſectione, poſt ea quam euicit,
variolarum naturali morbo quartam hominum par-
tem vel deſtrui, vel mutilari, vel deformem reddi,
inſitionem vero tantum hominum numerum praeſer-
uare, ut, calculo ducto, in ſola Pariſiorum urbe plus
quam mille et quadringenti, et in toto Galliae regno
plus quam viginti et octo hominum millia quotannis
conſeruari poſſint, ciues ſuos exhortatur, grauiſſimis-
que rationibus eo adducere conatur, ne exercitium
huius utiliſſimae operationis ulterius differant.

XV.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores artem medicam docentes.

1) In Academia Wittenbergenſi:

DANIEL WILHELM TRILLER, Philoſ. ac Med. Doct. Conſiliar. Aul. Reg. Medicinae Profeſſor Publ. Ordinar. Primarius, Facult. Med. Aſſeſſor et Academ. Scientiar. Bononienſis Sodalis.

GEORGIVS AVGVSTVS LANGGVTH, Phil. ac Med. Doct. Pathologiae et Chirurgiae Prof. Publ. Ord. Facult. Med. Senior.

GEORGIVS RVDOLPH. BOEHMER, Phil. ac Med. D. Anatom. et Botan. Prof. Publ. Ord. Facultat. Med. Aſſeſſor.

FRIDER. BOERNER, Med. D. et Prof. Publ. Extraordinarius; Caeſar. Acad. Nat. Curioſ. Sodalis.

His ex Philoſophorum Ordine adiungatur:

GEORGIVS MATTHIAS BOSE, Prof. Phyſices Publ. Ordin. in commercio literario cum Acad. Scient. Reg. Pariſ. Acad. Scient. Bononienſi, Regiis Holmienſi et Humaniorum Literarum Gryphicae, Ducali Societati Helmſtadienſi et Teuton. Ienenſi adſcriptus.

2) In Academia Marburgenſi:

IVSTVS GERHARD DVISING, Med. Doct. et Prof. Publ. Ordin. Primar. et Phyſices Prof. Publ. Ordin.

PHILIPP. IAC. BORELLVS, Med. Doct. et Prof. Publ. Ord.

IO. IACOB. SORBER, Med. Doct. et Prof. Publ. Ordin.

Louanii in locum b. HENR. IOSEPH. REGAE * ſucceſſiſſe legimus Cl. VAN ROSSVM, Med. Doct. anno iam ſuperiore die viceſimo quinto menſis iulii Regium Anatomiae Profeſſorem ibi nominatum.

De Cl. DAVID VAN ROYEN, Med. Doct. Facultati Philoſophicae Adiuncto, nuper iam retulimus **, profeſſionem botanices in academia *Lugduno Batana* eum fuiſſe auſpicatum. Addimus nunc, antea ad diem viceſimum quartum maii, habita oratione ligata, munus hoc publice ac ſponte poſuiſſe illius patruum, Virum Cl. ADRIAN. VAN ROYEN, Med. Doct. et Prof. poſtquam per viginti quinque annos ei praefuerat. Eum tamen ipſum adhuc docere medicinam pergere, una accepimus.

Petropolin adueniſſe Viros Cll. IOANNEM et DAVIDEM DE GORTER, patrem et filium ***, ibidemque illum archiatrorum Sereniſſ. Ruſſorum Imperatricis ſecundum, hunc vero tertium, conſtitutos fuiſſe legimus.

Illorum vero munera, quibus in Academia *Harderouiciana* hactenus functi fuerunt, delata nunc ſunt in Viros Cll. PAVLVM 'S GRAEVWEN, Med. Doct. et HENR. VAN HAASTENBVRG, Med. D., quorum ille Profeſſor Ordinar. Medicinae, Praxeos et Chirurgiae; hic vero Prof. Ord. Medicinae, Anatomes, Botanices et Chemiae, nominati ſunt.

Tubingam abiit Berolino Vir Cl. IO. KIES, Prof. huc uſque Matheſeos et Aſtronomiae Berolinenſis, nunc

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 735.

** ibid. p. 729.

*** ibid.

nunc in locum b. GEORG. WOLFG. KRAFT*, ut Profeſſor Phyſices et Mathematum, ſurrogatus.

In hac noſtra Vniuerſitate *Lipſienſi* nuper die decimo ſeptimo menſis octobris Vir Cl. ANTON. GVILIELM. PLAZ, Phil. et Med. Doct. nouum ſuum munus Profeſſoris Phyſiologiae Ordinar.** ſuſcepit, publice habita oratione *de Profeſſoris officio*, ad quam audiendam edito programmate *de plantarum plethora*, antea inuitauerat.

Wittenbergae die nouembris viceſimo nono prouinciam Profeſſoris Medicinae Extraordinarii cepit FRIDER. BOERNER, Med. D. ſermone publice dicto *de* HIPPOCRATE *tamquam ſummo ac perfectiſſimo boni medici exemplo* et programmate hunc in finem edito *de vera medicinae origine potioribusque eius ad* HIPPOCRATIS *uſque tempora incrementis*.

Vir Cl. CAROLVS PHILIPPVS GESNER, Med. Doct. IOANNIS MATTHIAE, Profeſſoris Gottingenſis, filius, e Polonia, ubi quorundam regni principum per aliquot annos huc uſque fuerat medicus, *Dresdam* euocatus Aulaeque Regiae Medicus et in tribunali rerum metallicarum Conſiliarius, nominatus fuit.

Regia Scientiarum Academia, quae *Lutetiae Pariſiorum* floret, in locum b. MARTINI FOLKES, Londinenſis ſcientiarum Societatis olim Praeſidis, Ill. ALB. DE HALLER, Gottingenſis ſcientiarum Societatis Praeſidem, nuper adſciuit ſibi ſocium.

Ab Academia, quae *Monte Peſſulano* ſcientiarum augmento ſtudet, Vir Cl. HENR. FRIDER. DELIVS,

* ibid. p. 735.

** ibid. p. 730.

LIVS, Med. Doct. et Profeſſ. in Academia Erlangenſi, in ſociorum numerum anno iam praeterito relatus fuit.

A Regia Scientiarum Societate *Gottingenſi* Vir Cl. ELIAS BERTRAND, Bernae * ſacrorum miniſter apud Gallorum coetum ſecundus, inter phyſicos variis ſuis ſcriptis clarus factus, iis annumeratus fuit, quibuscum ipſi ſolet eſſe literarum commercium.

In Academia *Groningo-Omlandica* Medicorum Ordo, qui unius morte, b. CROESERI **, huc usque vacauerat, tribus nunc doctiſſimis viris ſuppletus eſt. Cl. enim TIBERIVS LAMBERGEN ***, Med. Doct. die undecimo menſis iunii ordinariam, quam in ipſum delata eſt, profeſſionem medicinae, botanices, chemiae et praxeos adiit, habita oratione, *encomia botanices eiusque in re medica utilitatem ſingularem* exponente. In lectione poſt inaugurali *ephemeridem perſanati carcinomatis* viresque infuſi belladonnae propoſuit, cuius memoratu ſane dignae rationem cum lectoribus noſtris proxime communicabimus.

Ibidem porro et eodem die Vir Cl. GVALTHERVS VAN DOEVEREN Med. Doct. cuius cum merita laude commemorandi ante aliquod tempus habuimus occaſionem ****, oblatum ſibi munus ordinariae profeſſionis medicinae, anatomiae, chirurgiae et artis obſtetriciae auſpicatus fuit, publice dicto ſermone *de imprudenti ratiocinio ex obſeruationibus et experimentis medicis.*

Inſuper

* ibid. p. 731. ex errore quodam *Geneuae* legitur.

** l. c. Vol. II. P. II. p. 368., ubi ex errore quodam CRORSER appellatur.

*** l. c. Vol. III. P. II. p. 355, ubi ex ſimili errore typographico FIBERIVS inuenitur.

**** ibid. P. III. p. 447.

Inſuper *eiusdem academiae* Illuſtres Curatores Cl. LVDOLPH. STENHVYS, Med. Doct. ibidem medicinae, anatomiae et artis obſtetriciae, Lectorem, uti et Proſectorem Anatomicum, conſtituerunt; quod is igitur munus iniit nuper die decimo nono menſis ſeptembris, lectione publice habita *de auxiliis chirurgo rationali neceſſariis.* Chirurgicam artem eum antea ex aliquo iam tempore excoluiſſe ideoque inter exercitum Belgii foederati in ultimo, contra illius prouincias a Gallis geſto, bello ſtipendia meruiſſe, ex inaugurali eius diſſertatione *de haemorrhagiis in genere* ſub initium anni 1753 Groningae publice defenſa, colligimus.

Ingolſtadii Sereniſſimus Bauariae Princeps Elector artis ſalutaris optime conſuluit incremento, dum varias easque nouas medicorum ordini eiusdem academiae leges praeſcripſit. Sui ipſius nimirum *protomedicum*, Ill. DE WOLLTER, illi appoſuit inſpectorem, rei medicae ſtatum, an legibus conueniat, non numquam ibi cogniturum.

Porro *ibidem* ſequentes nominauit medicinae profeſſores: Cl. BERNHARD OBERMAYR, Archiatrum ſuum, Anatomiae, Chirurgiae et Inſtitutionum medicarum Profeſſorem, Cl. TREVLING, qui cum Cl. HAERTEL, munere quidem ſuo nunc orbato, annuo tamen ſtipendio adhuc gaudente, integrum ordinem huc uſque conſtituerat, Praxeos Profeſſorem; tandemque ANTON. IOSEPH. CARL, Chemiae, Botanices et Materiae medicae Profeſſorem, conſtituit; eo cum iuſſu, ut omnes in b. BOERHAAVII praelegant ſcripta; prior in eius *aphoriſmos* atque SWITENII *commentarios*, auditores quoque ſuos, data oppurtunitate, ad aegrorum lectos deducturus; alter in eius *inſtitutiones;* ultimus tandem in eius *materiam medicam* et *elementa chemiae.* Omnes conſiliariorum electoralium titulo ac honori-

 bus

bus gaudebunt; ſuoque ſingulus munere, cui ſemel admotus fuit, ſemper fungi perget, ut ſcientiam, quam docere iuſſus fuit, magis magisque euehere poſſit atque amplificare. Tempus, per quod ferias agere licebit, determinatum quoque fuit adeo, ut ne propter exteros quidem aegros ultra unum alterumque diem ulli abeſſe liceat profeſſorum.

Quae *Harlemi* nuper fundata fuit Societas Scientiarum *Batava*, ac omnium quidem ſcientiarum, in primis tamen phyſicae, culturam atque augmentum ſibi habet finem; primum actorum ſuorum volumen, patrio ſermone ſcriptorum, Arauſiae et Naſſauiae Principi Belgiique foederati Gubernatori Celſiſſimo nuper exhibendi gauiſa fuit poteſtate, indeque Sereniſſimum illum Principem Protectorem ſuum perpetuum nacta fuit.

Ex iis, quae *Gottingae* a Regia Scientiarum Societate, in conſeſſu ipſius publico, nuper die decimo menſis nouembris celebrato, acta fuerunt et ad noſtrum pertinere videntur inſtitutum, hic loci nunc commemoramus, quaeſtionem illam oeconomicam de perficiendo corio, cuius iam una alteraque vice mentionem fecimus *, ad mentem illius Societatis nondum adhuc fuiſſe ſolutam, qua de cauſa ad nouembris diem decimum huius anni 1755, ipſam demum ideo decreturam eſſe, ut et iis, qui ſuos de eo argumento ſcriptos commentarios ad ſocietatem miſerunt, aut in eo exponendo adhuc deſudant, largius concedatur tempus, vel noua inſtituendi tentamina, vel ea certe, quae in ipſorum iam transmiſſis deſiderantur diſſertationibus, ſupplendi aut emendandi.

Quum

* l. c. Vol. III. P. IV. p. 732. quo in loco etiam ex errore quodam vocabuli loco *abietis cortex* legitur *tamarindus*.

Quum in illo quoque conuentu determinatum illud incideret tempus, quo quaeſtiones primi generis et ad viros doctos reliquis propius pertinentes proponere ſolet illuſtris ea Societas, praeter eas, quae nuper a nobis adductae ſunt *, quaeſtiones repetitas, publice iterum illa declarauit, ſe certo velle, ut vera ouuli feminini inueſtigatio, qua de re nos ſaepe iam dicere meminimus, praemio duplicato, ad nouembris diem decimum anno 1756 diſtribuendo, deſtinata maneat. Modum illum, quo Cl. KVHLEMANN *in obſeruationibus ſuis circa negotium generationis* uſus fuit, eiusque experimenta omnium maxime placuiſſe Societati, iam olim ſimulque, cur eius diſſertationi praemium adiudicare non potuerit, commemorauimus **. Vt in eius vero Cl. Auctoris exemplum plura eaque illis ſimilia, idque ſi fieri poteſt, in grandioribus animalibus inſtituenda, tentamina ii faciant, qui hiſce inueſtigandis naturae myſteriis operam dare velint, optat illuſtris Societas.

Ex iis, quas Academia ſcientiarum, inſcriptionum et elegantiorum literarum, *Toloſae* florens, mouit quaeſtiones, ad nos ea pertinet, quae theoriam auditus concernit, et quam illuſtre illud collegium bis iam commendauerat eruditis, in qua explicanda, ſpe praemii tum temporis duplicati, mille ſcilicet pondo gallicorum, elaborarent ***. Sed nec ultimo iam elapſo anno academiae expectatio prorſus expleta fuit, quum in illis, quos accepit, commentariis, vel utilitatem auris partium non ſatis explicatam, vel expoſitiones nimis coniecturales, inuenerit: hinc idem argumentum, triplicato nunc praemio, ad annum 1757 propoſuit; data ſimul iis, qui ſuos iam transmiſerunt commentarios, poteſtate in iis mutandi vel adii-

* ibid.

** ibid. P. I. p. 164.

*** l. c. Vol. II. P. I. p. 177.

adiiciendi eis, quidcunque demum libuerit. Exteri quoque Aademiae ſocii ad certamen concurrent; omnes vero latina vel gallica utentur lingua; ſententia quadam, tum ipſi commentario ſubiecta, cum in addita ſchedula obſignata cum auctoris nomine, dignitate et domicilio notata. Commentarii accurate, et ita, ut facile legi poſſint, deſcripti, ad Cl Abbatem DE SPATE, Academiae Secretarium perpetuum, ante finem menſis ianuarii eiusdem anni, mittentur, eo tamen, quod curſus nomine debetur, ſoluto. Academia quoque, liberam ſentiendi facultatem cuilibet auctori relinquens, eam, quam coronabit, ſententiam pro ſuamet ideo haberi non debere, inſimul declarat.

Ab Academia Scientiarum *Burdigalenſi* ob quaeſtionem de uſtilagine frumenti * optime ſolutam, Cl. TILLET, Tricaſſis in prouincia Campania monetae praefectus, nuperrime praemium reportauit.

Altera quaeſtio, eidem anno 1754 olim dicata, de vinea deputanda **, praemio, eius ſolutioni deſtinato, nondum diſtributo, ad annum 1757, ab *eadem Academia* relata eſt.

Illud porro, quod huic, quem agimus, anno 1755 deſtinatum fuit, problema, de vegetabilium nempe ab aeris ambientis vi ortis mutationibus ***, permanebit; commentarii tamen ante menſem maium ad officinam librariam viduae b. *Brun* ab Academia ideo confirmatam mittendi erunt; iis reliquis, quae paulo ante de academia Toloſana poſtulari monuimus, et hic quoque obſeruandis.

Nouam denique theſin notam fecit Illuſtris iam dicta Academia, cuius diquiſitionem anno 1756 expectabit. Quanam ratione, nempe quaeritur, opti-

* ibid. p. 178.

** ibid.

*** ib. P. IV. p. 724.

optimum fieri poſſit vinum, clarum reddi et conſeruari? Num ſine ouis clarum illud faciendi detur adminiculum, quod vel his ſubſtitui queat, vel iis adhuc melius ſit?

Quum tabularum anatomicarum, a Cl. GAVTIER ſingulari arte excuſarum rationem lectoribus noſtris nuper redderemus, earum ſe daturum eſſe nouam editionem ſimul annotauimus *; quam intra biennium, termini huius initio ab hoc, qui nunc agitur, ineunte anno poſito, iis, qui ſua ideo dare velint nomina, exhibiturum ſe eſſe nunc denuo ſpondet. Prima illarum particula duodeuiginti tabulis ſplanchnologiam, angiologiam et neurologiam, comprehenſura, pro centum ſexaginta octo pondo gallicis; altera, myologiam cum capitis anatome viginti octo tabulis complexura, pro ducentis quatuor pondo gallicis, venales offeruntur harum rerum amatoribus.

Koenigſteinii, quod famigeratiſſimum illud eſt caſtellum, non opera ſolum, ſed et in primis a natura munitiſſimum, die viceſimo quinto menſis nouembris anni praeteriti, ſexageſimo nono aetatis ſuae anno obiit IO. ADAM KÜLBEL, Med. Doct. et medicus regius caſtellorum Koenigſteinenſis et Sonnenſteinenſis, inter viros doctos inde potiſſimum celebris olim factus, quod tractatu quodam *de cauſa fertilitatis terrarum*, praemium, huius argumenti diſquiſitioni propoſitum, ab Academia ſcientiarum *Burdegalenſi*, anno huius ſeculi quadrageſimo reportauerit. Prodiit haec diſſertatio anno 1740 Dreſdae in forma, quam dicunt quartam, ſub hoc titulo: *Diſſertatio, qua quaeſtionem phyſicam, quaenam ſit cauſa fertilitatis terrarum, ab Academia Scientiarum Burdegalo-Francica 1739 propoſitam pertractauit eaque praemium nummi aurei conſtitutum obtinuit* D. IO. ADAM KÜLBEL.

* l. c. Vol. III. P. IV. p. 727.

BEL. Subiunctus ſimul huic titulo alius fuit, eadem quidem exprimens, ſed gallico ſermone confectus. Burdegalae dein editus fuit idem liber, hoc praefixo titulo: *Diſſertation ſur la cauſe de la fertilité des terres qui à remporté le prix au jugement de l' Acad. Roy. Par Mr.* KŬLBEL, *à Bordeaux chez Pierre Brunn 1741. 4. mai.* In utroque hoc libro legitur quidem eadem diſſertatio, et latine et gallice ſcripta; gallica vero translatio una ab altera differt, ſique nos recte iudicamus, ea, quae Burdegalae facta fuit, genio linguae gallicae altera eſſe videtur accommodatior. Aliud porro praemium b. Auctor obtinuit ab *Academia Reg. Pariſienſi Chirurgorum* anno huius ſeculi quadrageſimo ſecundo, ſoluta quaeſtione *de remediis repellentibus;* quem commentarium, et latine ſcriptum, et gallice redditum, inuenire licet in libro, qui continet quaeſtiones a modo dicta Academia propoſitas et ab eruditis diſcuſſas: *Recueil des pieces qui ont coucouru pour le prix de l' Academie Roy. de Chirurgie. A Paris 1753. 4. mai.;* cuius collectionis ſummam proxime lectoribus noſtris dabimus.

Altenauiae nuper die ſeptembris decimo nono e viuis ereptum fuiſſe legimus, anno aetatis ſuae quadrageſimo ſeptimo, HENRIC. FRIDER. PETERSEN, quem olim habuimus nominandi occaſionem*, Med. D. Aulae Danicae Medicum, Aſſeſſorem Facultatis Medicae Kilonienſis, apud Altenauienſes Poliatrum, Ditionis Pinnebergae atque Comitatus Ranzouiae Phyſicum, theatri anatomici Altenauienſis Directorem atque Demonſtratorem ordinarium atque Hafnienſis ſcientiarum Academiae Socium.

In eius locum a Sereniſſ. Daniae Rege Virum Cl. IO. CHRISTIAN. BOLTEN, Med. Doct., ut urbis Altenauiae atque ditionis Pinnebergae phyſicum; Cl. autem

* l. c. Vol. II. P. IV. p. 722.

autem IO. HIERON. CHEMNITZ, Med. Doct. et ſenatorem apud Glückſtadienſes, ut phyſicum Comitatus Ranzouiae, nominatos eſſe percepimus.

Notamus adhuc, b. MARTIN FOLKES, cuius obitum indicauimus nuperrime *, Londinenſis ſcientiarum Societatis Praeſidis officium, iam ſub exitum anni 1751, ſponte poſuiſſe, uti et olim a nobis quoque fuit annunciatum **; illud autem alterius tantum Societatis, quae Magnae Britanniae inueſtigat antiquitates, ad mortem uſque retinuiſſe.

Memoria RICHARDI MEAD, Phil. et Med. Doctoris, Collegii Medicorum Londinenſis et Edinburgenſis et Regiae Scientiarum Societatis Londinenſis Socii, Sereniſſ. Anglorum Regis Medici Primarii ***.

Natus ille erat die ſecundo menſis ſextilis anno praegreſſi ſeculi ſeptuageſimo tertio in vico, cui *Stepney* nomen, prope ad Londinum ſito, e gente, per longum iam tempus in prouincia Buckinghamenſi meritis ſuis illuſtri facta, oriundus; patre uſus viro, inter theologos ſuae fidei magni habito, qui tum temporis ſacrorum curam in iam dicto loco habebat, eius autem coetus aſſecla, qui presbyterianorum dici ſolet, propter turbas illas ſub imperio CAROLI ſecundi in Anglia ortas, patriam anno 1683 deſerere ab epiſcopalibus dictis coactus in Hollandiam diſcedebat,

* Vol. III. P. IV. p. 734.
** Vol. II. P. I. p. 174.
*** Deſumſimus hic loci dicta maximam partem ex elogio, a Cl. MATY in honorem defuncti eleganter exarato, ſuoque diario britannico dicto nuper inſerto. Vid. eius *Iournal britannique pour les Mois de Iuillet et d'Aout 1754. p. 1. et ſeqq.* A nobis vero obitum optimi illius viri iam olim indicatum inuenies in Vol. III. P. II. p. 357.

debat, hunc vero Noſtrum RICHARDVM, qui inter quindecim ipſius liberos ſeptimus, optima iam huc uſque fruitus fuerat inſtitutione, relinquens, dextro eum commendabat praeceptori. Adoleſcens hic ingenio ad artes optimas nato memoriaque valens, laetos tam cito faciebat progreſſus, ut aetatis anno decimo ſeptimo *Traiectum ad Rhenum* abire ac celeberrimi tum temporis viri, GRAEVII, literas docentis humaniores, ſcholis intereſſe poſſet. Poſt tres annos *Lugdunum Batauorum* petebat, artisque ſalutaris addiſcendae auidiſſimus, HERMANNVM in lectionibus botanicis, PITCARNIVM vero in artis theoria atque praxi, utrumque medicum, cui ſuae ſemper manebunt laudes, ſequebatur doctores, in huius in primis amicitiam perueniens, quo felicitatis genere paucis omnino potiri licebat. Academicorum deinde ſtudiorum ambitum emenſus, iterque in exteras regiones facturus, in *Italiam* tendebat, THOMA PELLET, Med. Doct., collegii poſt ea medicorum Londinenſis praeſide facto, praeter alios in ſocietatem arceſſito. *Patauium* veniens, doctoris philoſophi ac medici honores ad diem viceſimum ſextum augusti anno 1695 ibi conſecutus, iter ſuum dirigebat Romam atque Neapolin, ibique per tempus aliquod commoratus anno 1696 in patriam ſe recipiebat, *Londini* medicinam faciens cum laude feliciquc ſucceſſu.

Vt hanc vero famam, quam merebatur quidem, omnes tamen reliqui, etſi meritis ſint conſpicui, non ſemper adipiſci poſſunt, Noſter non conſequeretur ſolum, ſed et tueri poſſet, medico illi et famigeratiſſimo et feliciſſimo, RADCLIFF, acceptum referebat, quippe cuius ſingularem propenſionem et amicitiam tum elegantibus ſuis moribus, animi ſui probitatem teſtantibus, tum literarum, qua praecellebat, cognitione, adeo ſibi comparauerat, ut ab eo, dum viueret, non amatus ſolum et publice commendatus, ſed

poſt

poſt mortem etiam illius anno 1714 contingentem, in illuſtrioribus procerum Londinenſium domibus in ipſius locum ſurrogaretur medicus. Sed et aliam eamque fere tutiorem ingrediebatur viam, qua ad felicitatis ſuae incrementum perueniebat. *Tentaminibus* enim ſuis *de venenis*, libroque alio *de imperio ſolis ac lunae in corpora humana*, illis prima vice anno 1702, hoc autem ſequenti anno 1703, editis, porro epiſtola quadam itali medici, IO. COSM. BONOMO, *de vermibus corporis humani* ad FRANCISC. REDI data, ex italico ſermone in anglicum tranſlata regiaeque ſcientiarum ſocietati Londinenſi oblata *, et famam docti medici, et locum in eadem *ſocietate*, cui tum temporis praeerat NEWTONVS, acquirebat. Quo etiam factum fuit, ut in *noſocomio Diui Thomae*, quod Londini dicitur eſſe primarium, conſtitueretur medicus; ac ut chirurgi Londinenſes per ſex ſeptemue annos eum eligerent, qui ipſos doceret anatomen; utque anno 1707 uniuerſitatis *Oxonienſis* medicorum ordo doctoris medici honores, Patauii olim acceptos, confirmaret; isque dein Londinenſium anno 1716 in ſuorum numerum eum reciperet, in quo cuncta ipſi obuenientia munera ſuſcipiebat; praeſidis tamen honores, anno 1744 ipſi oblatos, a ſe deprecabatur.

Cum laboribus ſua quoque creſcebat nominis, fidei ac meritorum exiſtimatio. Quanta enim in eo poſita fuerit fiducia, apparet ex eo, quod, quum *Maſſiliae* anno 1719 graſſaretur peſtis, atque metus ori-

* Actorum Philoſophicorum, quae dicuntur *Transactiones*, numero 283 ad annum 1703 pertinenti inſerta legitur. In Italia vero ſuam ediderat epiſtolam BONOMO ſub hoc titulo: *Oſſeruazioni intórno a pellicolli del corpo umano fatte dal* GIO. COSIMO BONOMO. *In Firence* 1687. 4. mai. Vide quoque Noſtri Monita et Praecepta medica ſub finem capitis *de ſcabie*.

oriretur, ne in Angliam quoque ea tranſportaretur, ipſi a proceribus regni daretur in mandatis, ut mentem ſuam exponeret: quibus auxiliis, quaue methodo a patriae limitibus arceri poſſet diriſſimum hoc omnium morborum genus. Quem in finem ab eo in lucem edebatur egregius ille liber, *de peſte*, patrio ſermone ſcriptus, tam auide ab omnibus quaeſitus atque exceptus, ut primo anno ſepties mitteretur ſub prelum. Altero anno poſt aliud, quanti haberetur, documentum experiebatur. Iuſſu enim Sereniſ. Angliae Regis, tum temporis modo principis hereditarii, operatio de inſerendis variolis, nuper demum in Europa cognita facta, in hominibus quibusdam maleficis et capite damnatis tentari debebat ante, quam in regiis liberis inſtitueretur. Vt hiſce igitur tentaminibus Noſter intereſſet, et de eorum euentu ad aulam regiam referret, iubebatur. Eius quoque auctoritati ſine dubio multum erit tribuendum, quod haec variolas excitandi methodus prae aliis Europae nationibus inter Anglos inualuerit. Ne quid iam de ea variolarum cura dicamus, qua ad ſecundam earum febrim auertendam dari ſolet medicina aluum ducens, quae primam ipſi quoque debet originem. Poſt ea quam deinde Ser. ille Princeps ad imperium acceſſerat, ab eo exornabatur titulo ac munere archiatri regii, rara ſimul illa in ſenio ſuo gaudens felicitate, ut ambo ſuos generos, Cl. WILMOT et Cl. NICHOLLS *, in hoc officio haberet collegas.

Cunctis hiſce muneribus omni, qua potuit, induſtria, fide, ſtudio atque dexteritate, ſatis faciens, reliquum, quod ipſi ſupererat, tempus et literis, et epiſtolarum dabat commercio, quod ipſi cum primis inter exteros eruditis ſemper fuit, BOERHAAVIO, DE BOSC, aliisque multis. Fama quoque de eius meritis

* Bis Noſtrum iniiſſe matrimonium, et ex prima uxore unum filium duasque filias, ex altera vero nullam ſuſcepiſſe prolem, Cl. MATY refert.

meritis in diſſitas uſque regiones adeo percrebuerat, ut Sereniſſ. utriuſque Siciliae Rex omnia eius opera ab ipſomet peteret; binis contra illius operis, quod antiquitates e latebris terrarum urbis Herculanei erutas exponet, voluminibus a Cl. BAIARDI editis, dono ad eum miſſis, eoque clementiſſime rogato, ut ipſe veniret Neapolin ac pretioſa haec antiquitatis monumenta perſpiceret; cui etiam regiae voluntati ſatis facturus fuiſſet, niſi ingraueſcentis iam ſenii incommoda tam longum iter prohibuiſſent. Integerrimam quoque cum collegis ſociisque ſuis colebat amicitiam, NEWTON, RADCLIF, FREIND, GARTH, ARBVTHNOT, POPE aliisque; ita, ut FREIND, ob ſuſpectam cum epiſcopo ATTERBVRY cultam amicitiam, in carceribus olim detentus, ipſi fere ſoli in acceptis referret, quod libertati ſuae reſtitueretur. Cl. MIDDLETON, licet eius ſententiam de medicorum apud veteres conditione ſatis acriter refutare conatus fuiſſet, temperare ſibi tamen non poterat, quin in opere ſuo *de antiquitatibus graecis et aegyptiacis* eum *artis medicae decus*, *qui vitae re vera nobilis*, *vel principibus in re publica viris*, *exemplum praebeat*, appellaret. Quantum ipſi debeat eruditorum orbis in omnium perfectiſſima et integerrima THVANI hiſtoriarum operis editione *, apparet ex tribus illis epiſtolis, ab editore BVCKLEY ad eum datis, et a Cl. WARD latine redditis ipſique operi praefixis. Vt utiliſſimum illud Cl. SVTTONII inuentum **, quo aerem corruptum ex nauibus aliisque

* Londini prodiit 1733 ſeptem voluminibus. Fol

** *An hiſtorical account of a new method for extracting the foul air of ſhips, etc. with the deſcription and draught of the machines, by which it is performed, in two letters to a friend by* SAMVEL SVTTON, *the inventor. The ſecond edition, to which are annexed two relations given thereof to the Royal Society by Dr.* MEAD

que locis clauſis facile educi eumque renouari commode poſſe conſtat, publicique uſus fieret, Noſter quoque pro ſua, qua pollebat apud regni proceres, auctoritate efficiebat.

Quamuis per quinquaginta plures annos feliciſſimam fructuoſiſſimamque fecerit medicinam, ita nimirum, ut inde per ſingulos annos ſex ſeptemue millia pondo anglicanorum circiter ei redirent, diuitias tamen non adeo inſignes coaceruauit, quum multas non ſolum impenſas in ſplendidiſſimae bibliothecae atque muſei rerum naturalium et arte factarum, earumque in primis antiquarum copia refertiſſimi, collectionem perpetuumque augmentum, ſed et in publicos uſus, conſtituenda potiſſimum vel amplificanda noſocomia, faceret. Librorum eius ſupellex decem millia voluminum ſuperat. Codicum manu ſcriptorum, graecorum, latinorum aliisque linguis orientalibus exaratorum, nummorum porro, gemmarum, tabularum elegantiſſime vel pictarum vel aere excuſarum, tantam collegerat copiam, ut nullius facile hominis priuati, talia colligentis, muſeum umquam hoc antecellere potuerit, eamque tam illuſtrem, ut peregrinorum, qui harum rerum periti erant, nemo fere diſcederet Londino, quin operam dederit, ut in Noſtri perueniret cognitionem eiusque muſeum perluſtraret. Hi tamen omnes eruditionis rerumque elegantium theſauri diuendentur, ſupermanente nobis tantum eorum indice. Vt aliis inſeruiret tum conſiliis, tum opibus, ſemper erat parατiſſimus. Fieri itaque non poterat, quin vir adeo doctus,

MEAD *and Mr.* WATSON; *and a diſcourſe on the ſcurvy by Dr.* MEAD. *London,* 1749. 8. Recenſionem eius libri inuenies in *Journal britannique par Mr.* MATY. *Mois de Fevrier* 1750 p. 78. Vberiorem ſimilis inuenti uſum comprobauit Cl. DV HAMEL. vid. *Memoires de l'Acad. des Sciences.* l'année 1748. conf. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 580.

doctus, honeſtus, animo nobili natus tantisque conſpicuus meritis, inter primos referretur, quos habuiſſe ciues Angli glorientur, et qui vixiſſe prae multis omnino aliis meriti fuerint. Optimi itaque viri famam ad ſenium uſque conſeruans, placida tandem morte eaque naturali, viribus vitae ſenſim ſenſimque exhauſtis, diem ſuum obiit ſupremum die viceſimo quarto menſis februarii anni ſuperioris 1754.

Hanc noſtram de vita eius meritisque breuem relationem ipſis adhuc Cl. MATY verbis finire nobis liceat: *Statuam*, inquit, HARVEI *effigiem exprimentem, ſuis exſculpendam ſumtibus inque medicorum collegio ponendam curauerat. Sine dubio inter ſucceſſores eius inuenietur aliquando vir eodem inſtinctu nobili ductus, qui Noſtri ſtatuam in eodem loco ponat, addito eius ſymbolo*: NON SIBI, SED TOTI.

Scripta nunc b. MEAD ſubiungimus.

Mechanical account of poiſons. London, 1702. 8. Tum auctus, tum in multis quoque locis ab auctore ipſo mutatus, prodiit quarta vice ibidem. 1744. 8.

De imperio ſolis ac lunae in corpora humana et morbis inde oriundis. ib. 1704. 8. Acceſſionibus quibusdam auctus, editus fuit ille liber ibidem. 1746. 8.

Schedula, qua *lichenis cinerei terreſtris* cum pipere mixti uſum commendat contra hydrophobiam. ib. 1735; quam vero ne videndi quidem umquam nacti ſumus opportunitatem.

Short diſcourſe concerning peſtilential contagion. ibid. 1720. 8. Idem liber octaua vice recuſus ib. 1723, variis auctus obſeruationibus et capite nouo *de cura peſtis.* Ad hanc editionem latine verſus a Cl. WARD, eodem anno prodiit ib. 8. ſub titulo *de peſte.* Vt haec translatio inſerta fuiſſet Gottingenſi operum RICH. MEAD collectioni, optat Cl. MATY, quum

quum de Gottingenſi verſione ipſe b. Auctor iudicauerit, eam haud ſatis ipſius exprimere mentem, eiusque interpretem forte non ſatis calluiſſe linguam anglicam. Idem liber denuo auctus ab Auctore editus fuit Londini 1744.

Oratio anniuerſaria Harueiana, habita ad diem XVII. Octobris 1723. Adiecta eſt diſſertatio de nummis quibusdam a Smyrnaeis in medicorum honorem percuſſis. Londini, 1724.

De variolis et morbillis licer. Huic acceſſit RHAZIS *de variolis et morbillis commentarius, ex arabico latine redditus. Londini, 1747. 8.*

Medica ſacra, ſiue de morbis inſignioribus, qui in bibliis memorantur, commentarius. ib. 1749. 8.

Iam recenſita opera, praeter illam paulo antea memoratam ſhedulam, duobus voluminibus in forma octaua *Gottingae* 1748 et 1749 ſub titulo: RICHARDI MEAD *Opera medica*, recudi, et quae anglice ſcripta erant, a Cl. GEORGIO CHISTIANO OEDERO latine verti curauit Ill. DE HALER; vid. ab hoc edita H. BOERHAAVII *methodus ſtudii medici. Amſtel.* 1751. 4. mai. p. 638.

Diſſertation on the ſcurvy. London, 1749. 8.

Monita et praecepta medica. Londini. 1751. 8. mai. recuſa Hamburgi et Lipſiae 1752. 8. conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 555.

Opus adhuc latine ſcriptum, ſuſcepiſſe quidem, ſed morte impeditum, abſoluere non potuiſſe b. Auctorem, refert Cl. MATY, ſub titulo: *Medicina vetus collectitia ex auctoribus antiquis non medicis.*

XVI.

Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1751 prodierunt *.

Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar, för Aor 1751. Vol. XII. Stockholm, 8. mai. c. f.

Allgemeines Haushaltungs-Lexicon etc. aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Erſter Theil 1749. 2ter und 3ter Theil nebſt Anhange, 1751. Leipzig 4. mit Kupfern. (Eſt translatio libri: *Dictionaire oeconomique du* P. NOEL CHOMEL).

Lettres à un Americain ſur l' hiſtoire naturelle de Mr. DE BUFFON; et ſur les obſervations microſcopiques de Mr. NEEDHAM. cinquieme partie, à Hambourg, 12.

Lettera d'un Cittadino Romano al P. TOMASO GABRINI intorno alla di lui Diſſertazione I. ſopra l' origine de Monti. Roma.

Ragionamento ſopra la cagione de' Terremoti, ed in particolare di quello della Terra di Gualdo di Nocera nell' Umbria, ſeguito l' anno 1751. di D. ANDREA BINA, Caſineſe. Perugia, 4.

IO. BAPT. BOHADSCH, Diſſ. philoſ. medica de utilitate electriſationis in curandis morbis. Pragae, 4.

L'uſo e l' abuſo del Caffè, Diſſertazione ſtorico-fiſico-medica del Dottor GIOVANNI DALLA BONA. Verona, 8. (*Arboris hiſtoria breuibus tradita, de baccarum uſu diſſeritur*).

Inſtituzione farmaceutiche per uſo degli ſpeciali della Citta di Venezia. *Auctore* IO. BAPT. CAPELLO. In Venezia, 4.

* Primum ſupplementum extat in Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 739.

IO. GESNER, Diſſ. de natura et viribus fluidorum. Reſp. *Io. Rudolf. Wirzius, Salomon Pfeffenningerus, Io. Henr. Nubaeus, Io. Henr. Friſius.* Tiguri, 4.

IO. DE GORTER, Compendium medicinae in uſum exercitationum domeſticarum. Pataüii, 4.

Der aus dem Reiche der Wiſſenſchaften wohlverſuchte Referendarius, oder auserleſene Sammlungen von allerhand vermiſchten Schriften und Verſuchen aus der Naturlehre, Arzney-Wiſſenſchaft, natürlichen Theologie und Rechtsgelahrheit, Politic, Haushaltungskunſt, und überhaupt, was in andern, in fremden Sprachen herausgekommenen, Wochenſchriften und neuen Büchern von Wirthſchaftlichen, Policey-und Finanz-Sachen, Vorſchlägen und Begebenheiten und wichtigen Stücken aus der Hiſtorie und Critik, zumal aus den ſchönen Wiſſenſchaften gutes und nützliches vorgekommen; ſammt den gelehrten Sachen des hieſigen Intelligenz-Weſens zuſammen getragen und verlegt worden von IOH. ANDREAS ERDMANN MASCHENBAVER. *Dritter Theil. Augsburg, 4. m. K.*

Sentimento del D. CARLO MAZZVCHELLI intorno à morbi epidemici graſſanti nello Stato di Milano.

De uſu ac praeſtantia medicamentorum chemicorum diſſerit ac ſimul recitationes ſuas chirurgicas Varſauiae inter parietes ſuos indicat LAVRENTIVS MIZLERVS. Varſauiae, 4.

EBERHARD ROSEN, Diſſ. de medicina Laponum Lulenſium, Reſp. *Lars Montin.* Londini Gothorum, 4.

Coſtituzione epidemica di Corbetta dell anno 1751. di GIAM MARIA SCHIERA, medico di detto luogo. (*Morbi quidam epidemici graſſabantur anno 1751 in agro Mediolanenſi et praeſertim in vico Corbetta* dicto, *haud longe ab urbe Mediolano diſſito. De cauſa morbi ſcripſit iuſſu Aedilium Mediolanen-*

nenſium, tum Cl. SCHIERA, *tum Cl.* CAR. MAZZVCHELLI).

The anatomy of a Pigmy, compared with that of a Monkey, an Ape, and a Man. With an Eſſay concerning the Pigmies etc. of the ancients, wherein it will appear, that they are all either Apes or Monkies and not Men, as formerley pretended. To which is added the anatomy and deſcription of a Rattle-Snake; alſo of the Musk-hog. With a diſcourſe upon the jointed and Round-Worms. And two lettres containing a monſtrous bird and preternatural conception with reflexions thereon. The ſecond Edition. Being the works of EDWARD TYSON. London, 4. mai. c. figg.

Het geklemd Hoofd gered door PAVLVS DE WIND. Mittelb. 8.

XVII.

Supplementum alterum indicis Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1752. prodierunt *.

Phyſicaliſche Beluſtigungen. 14tes bis 20tes Stück. Berlin, 8.

Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle, ſur la phyſique et ſur la peinture, avec des planches inprimées en couleur. Année 1752. Tome ſecond, IV, V, VI. Partie. à Paris, 4. mai. (*Auctore Cl.* GAVTIER).

Tilforladelige Exterretninger om Island et nyt Landkort og 2 aars meteorologiske obſervationer. Kioebenhavn, 8. (*Auctor eſt Cl.* NIEL HORREBOW.

Memoire intorno le locuſte grillajole. Padua, 8. mai. (*Auctor Cl.* DOMINICVS SALVI). c. f.

* Supplementum primum legitur in Comment. noſtr. Vol. III, P. I. p. 179.

Appendice al Trattato dell' uſo del Mercurio; ſempre temerario in Medicina; in giuſtificatione di LORENZO GAETANO FABBRI. In Lucca, 4.

LVDOVICO BARBIERI, Nuovo ſaggio di Metafiſica, e di Fiſica generale. Vicenza, 8.

Traité de la culture des vignes ſur la façon de vin et ſur la maniere de le gouverner. Par M. BIDET. à Paris, 8.

Tankar och förſök on Acker och aeng of IOHANN BRAVNER, jemte böhang om Ladugardens byggning och inredning af CARL WINBLAD. Stockholm, 8. c. figg.

De veneno animantium naturali et acquiſito tractatus. Auctore DOMINICO BROGIANI. Florentiae, 4.

IOH. FRIDER. CARTHEVSER, Diſſ. inaug. de acrimonia humorum. Reſp. *Iac. Fridr. Schüler.* Francof. ad Viadr. 4.

FLORIANI DALHAM, Inſtitutiones phyſicae, in uſum ſuorum auditorum adornatae, quibus ceu ſubſidium praemittuntur inſtitutiones mathematicae. Tomus I. Mathem. nempe Arithmeticam, Geometriam et Trigonometriam complectens. Viennae Auſtriae, 4. c. figg.

Quatre tables anatomiques repreſentans une obſeruation tres rare d'une double matrice, mis au jour par ordre de la Faculté de Medecine de Strasbourg par GEORGE HENRI EISENMANN; traduit de Latin. à Strasbourg.

ANGELO DALLA FABBRA, Lettera intorno alle febbri in generale. Ferrara, 8.

IOH. FRANC. FONTAINE, Diſſ. inaug. obſeruationem rariorem tumoris abdominis ex ſcirrho ouariorum praeſertim ſiniſtri inſigni. Baſil. 4. c. fig.

An account of the antient Baths and their uſe in phyſic; by THOMAS GLASS. London, 8. mai.

IO. DE GORTER, ſyſtema praxis medicae. Patauii, 4.

Ut-

Utförlig underrättelſe om fallgoda färs ans och ſkiötſel, af FR. W HASTFER. Stockholm, 8.

MICHAEL HEFINGER, Diſſ. de doloribus parturientium. Viennae, 4.

Lettres ſurinamoiſes de Mr. HENRI NICOL. HERBERT. à Neuwied, 8.

Nouvelles experiences and obſervations ſur les eaux minerales d' Allemagne traduites du Latin de FR. HOFFMANN, corrigées, miſes en ordre par Mr. COSTE. à Berlin, 8 mai.

Tal om Naturkunnighetens uphiel pande oennyta i det Allmänna; af E. L. IVNQVIST. Stockholm.

IOH. HIERON. LAPII Diſſ. de curatione ſtranguriae contumacis, frequentem maleque tractatam gonorrhoeam conſequentis. Romae, 4.

CAROL. LINNAEI Diſſ. de noxa inſectorum. Reſp. *Michael. Andr. Baekner.* Vpſal, 4.

Eiusd. Diſſ. Odores medicamentorum. Reſp. *Andr. Wahlin.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de noctiluca marina. Reſp. *Carol. Frid. Aeller.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de Rhabarbaro. Reſp. *Samuel Ziervogel.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. Cui bono? Reſp. *Chriſtoph. Hadner.* ib. 4. (*Contra eos, qui rerum naturalium inueſtigationem utilem eſſe negant*).

Eiusd. Diſſ. Hoſpita inſectorum flora. Reſp. *Ionas Guſtav. Forſkohl.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. nutrix nouerca. Reſp. *Frid. Lindberg.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens miracula inſectorum. Reſp. *Gabriel Emanuel Welin.* ibid. 4.

Medical principles and cautions. Part. II. by THEOPHILVS LOBB. London, 8.

Der aus dem Reiche der Wiſſenſchaften wohlverſuchte Referendarius, oder auserleſene Sammlungen von allerhand vermiſchten Schriften und Verſuchen aus

 der

der Naturlehre, Arzney Wiſſenſchaft etc. zuſammen getragen und verlegt von IOH. ANDREAS ERDMANN MASCHENBAVER. *4ter Theil. Augsburg*, 4. *m. K.*

LAVR. MIZLERI conſultatio de neceſſitate collegii Medici auctoritate regia Varſauiae erigendi. Varſauiae, 4.

CHRISTIAN. LVDOV. MOEGLINGII Oratio de iis, quae in curationis negotio contingunt quandoque extra ordinem et quam maxime de curationibus dictis vulgo et creditis miraculoſis, in ſolenni panegyri academica 21. Iun. 1752. recitata, cum Profeſſionem Med. Ord. in perantiqua Eberhardina ab ampl. Senatu Acad. collatam a Ser. Principe confirmatam auſpicaretur. Tubingae.

Hiſtoire de la maladie ſinguliere et l'examen du cadavre d'une femme devenue en peu de tems toûte contrefaite par un amolliſſement general des os. Par Mr. MORAND. à Paris, 12.

Det förſte Forſög paa Norges naturlige Hiſtorie, foreſtillende dette kongeriges Luft, Grund, Fielde, Vande, Voexter, Metaller, Mineralier, Steén-Arter, Dyr, Fugle, Fiſke og omſider Indbyggernes Naturel, ſamt Saedvaner og Levemaade af ERICH PONTOPPIDAN. Kioebenhavn, 4. c. figg.

Selectarum obſeruationum anatomico-phyſiologicarum atque botanicarum ſpecimen agoniſticum ſecundum. Auctore IAC. CHRISTOPH. RAMSPECK. Baſileae, 4.

De principi della natura, meſſi in luce, e dimoſtrati in uſo della medicina, da PIETRO ANGELO ROTONDI. Tomo primo. In Roma, 8.

ANDR. IOSEPH. RÜGEMER ſpecimen inaug. exhibens effectus irae medice conſideratae. Reſp. *Io. Jgnat. Ioſeph. Döllinger.* Wirceburgi, 4.

Lettere

Lettere fiſicali e due brieui Ragionamenti accademici de' Patre GIANGRISOSTOMO SCARFO. Venezia, 4. c. f.

Eiusd. Neoſofo. ibid.

Geneeskonſt der heelmeeſters tot dienſt der Zeevart vitgegeeven door ABRAHAM TITSINGH. Amſterdam. 8. mai.

A treatiſe on teeth by TOLVER. The ſecond edition. London, 8. mai.

Tableau de l'amour conjugal par Mr. VENETTE. Nouvelle edition augmentée avec des notes et des figures en taille douce. 2 Voll. à Londres, 12.

De variolis et morbillis, Tractatus phyſico-mechanicus; Auctore PHILIPPO DE VIOLANTE, Neapolitano, Venetiis. 8. (*recuſus*)

IOH. GOTTLIEB WALLPURGER, *Coſmotheologiſche Betrachtungen der wichtigſten Wunder und Wahrheiten im Reiche der Natur und Gnade. Chemnitz*, 4.

IO. IAC. ZIEGLER, Diſſ. de mechaniſmo contractionis muſculorum. Baſileae, 4.

Lettera del Dottore ANGELO ZULATTI di Ceſalonia ſcritta ad un medico di Feltre. In Firenze, 8. (*Continet elogium Cl.* BIANCHI, *medici ariminienſis*).

XVIII.

Supplementum indicis Scriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1753 prodierunt.

Noui Commentarii Aademiae Scient. imper. Petropolitanae. Tom. III. ad annum MDCCL. et MDCCLI. Petropoli, 4. mai. c. f.

Ser. Pot. ac Inuict. Omnium Ruſſorum Imperatricis, ELISABETHAE, initi regni ſolemnia annua celebrat Academia ſcientiarum publico conuentu. d.

 26 No-

26 Novembr. Petropoli, 4. c. fig. (*In hac collectione continentur: Programma academiae nomine: oratio de meteoris vi electrica ortis; Auctore* MICH. LOMONOSOW: *Orat. de meteoris inſolitis ſibi obſeruatis. Auct.* AVGVSTIN. NATHAN. GRISCHOW).

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Des 12ten Bandes 2tes und 3tes Stück. Hamburg und Leipzig, 8.

Songes phyſiques. à Paris, 12. mai.

Della rifleſſione de corpi nell' aqua, e della diminuzione della molle de' ſaſſi ne' torrenti ne' fiumi, diſſertationi due. Parma, 4. c. f. (*Auctor eſſe dicitur P.* IACOBO BELGARDO).

A philoſophical and phyſical analyſis of antimony, giving a rational account of the natural principles and properties of that celebrated drug, in various chemical preparations, and particularly one, that is not only an effectual cure for the preſent diſtemper among the cattle, but a preſervative from their being infected, with directions how to manage them while under cure, and critical remarks on the modern authors who have treated of antimony; by an eminent phyſician. The ſecond edition. London, 8.

The natural hiſtory of bees, containing an account of their making wax and honey, and the beſt methods for the improvement and preſervation of them. Illuſtrated with copper-plates. London, 8.

Avis pour le tranſport par mer des arbres, des plantes vivaces, des ſemences et des diverſes autres curioſités d'hiſtoire naturelle. Seconde edition conſiderablement augmentée. à Paris, 8.

Indices botanici et materiae medicae, quibus plantarum genera hactenus inſtituta; ſimplicium quoque

tam

tam vulgarium, quam exoticorum nomina et facultates ſummatim recenſentur. Accedit horti publici Bononienſis breuis hiſtoria. Bononiae, 4.

Dictionaire anatomique contenant tous les termes qui la concernent, expliqués en francois et latin. à Paris, 12.

L'art de conſerver ſa ſanté, composé par l'école de Salerne; traduction nouvelle en vers françois par B. L. M. à Paris, 8.

A defence of the letter to Dr. LOBB concerning his writings in phyſic, with an anſwer to the doctor's charge againſt the author, of aſperſing the memory of Dr. BOERHAAVE. Submitted to the judgment not only of the royal ſociety, to whom the doctor dedicates his reply, but alſo of the college of phyſicians. London, 8.

IOH. GEORGE ALTMANNS *Verſuch einer hiſtoriſchen und phyſiſchen Beſchreibung der Helvetiſchen Eisberge. Zweyte Ausgabe. Zürch*, 8.

Obſervations Anatomiques, tirées des ouvertures d'un grand nombre des cadavres, propres à découvris les cauſes des maladies et leurs remédes. Nouvelle edition augmentée; avec figures. Par M. BARRERE. à Perpignan, 4.

IO. BAPT. BASSEVILLE, Quaeſt. med. An choreae S. Viti evacuantia narcoticis et cardiacis interpolata? Reſp. *Henr. Iacob. Marquart.* Paris, 4. mai.

De principiis animalibus, exercitationes ſeptima, octaua, nona, habitae a GVILIELMO BATTIE. Londini, 4.

ANDR. BERCH, Diſſ. förſok til akertägt af ſänkjorden. Reſp. *Carl. Hiſingh.* Upſal, 4.

IO. PHIL. BERCHELMANN de hydrope aſcite in grauida cum febre quartana coniuncto poſt abortum funeſto hiſtoriam cum epicriſi exhibet. Giſſae, 4.

H. P. BERGH, Diſſ. Natra ſokns Linſäde i Angermanland. Reſp. *Olaus Tornſteen.* Upſal, 4.

Aphoriſmes de chirurgie d' HERMAN BOERHAAVE, commentés par M. VAN SWIETEN, traduits de Latin en françois. Tomes III. IV. V. à Paris, 12.

Grundlegung zur Hebammenkunſt für die Wehemütter, u. ſ. w. kurz, ordentlich, deutlich und gründlich nach der Vernunft und Erfahrung abgefaſst, und mit den beſten in dieſer Kunſt berühmteſten Auctoribus bekräftiget, von GEORG. DANIEL BÖSSEL. *Nebſt einem Anhange vom Hebammeneyde. Altona,* 8.

An eſſay on the incubus or nightmare by IOHN BOND. London, 8.

De lunae atmoſphaera, diſſertatio; auctore P. ROGERIO BOSCOVICH. Romae, 4. mai. c. f.

SIMON. ANTON. BRINGAVD, Quaeſt. med. Eſt ne totus homo a natura morbus? Reſp. *Io. Nicol. Millin. de la Courveault.* Paris, 4. mai.

A vindication of the royal college of phyſicians in reply to the ſpeech of the ſollicitor-general, on opening the petition and appeal of Dr. ISAAC SCHOMBERG, alias SCHAMBERG, to the right hon. lord high chancellor, etc. Intended to have been addreſſed to their lordſhips in Lincoln's-innhall, after the council ſhould have concluded their arguments againſt the jurisdiction. By WILLIAM BROWNE. London, 4.

Tractatus phyſiologico-pathologicus de viſione ſimplici et duplici ex principiis opticis methodo Euclidea deductus a IO. PETRO BVCHNER. Argentorati, 4.

ANDR. ELIAE BÜCHNER, Diſſ. inaug. de tranſitu morbi chronici in acutum et acuti in chronicum. Reſp. *Leop. Frid. Arnold Wiſſelink.* Halae Magdeburgicae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de intempeſtiuo purgantium uſu frequenti affectuum haemorrhoidalium cauſa. Reſp. *Io. Gotth. Schopff.* ibid. 4

A let-

A letter to WILLIAM SMELLIE, containing critical and practical remarks upon his treatiſe on the theory and practice of midwifery. By IOHN BVRTON, London, 8.

CERDA, ſociet. Ieſu, Philoſophicae theſes contentioſam et experimentalem philoſophandi methodum complectentes, d. 16 Maii 1751 defenſae. Cerverae, 12.

Voyage fait par ordre du Roy en MDCCL. et MDCCLI. dans l'Amerique ſeptentrionale pour rectifier les cartes des côtes de l'Acadie, de l'ile royale et de l'ile de terreneuve, et pour en fixer les principaux points par des obſervations aſtronomiques. Par Mr. DE CHABERT. à Paris, 4. (*Continet ſimul varia ad phyſicam generalem ſpectantia.*)

Pharmacopée Royale Galenique et Chymique par MOYSE CHARAS. Nouvelle edition conſiderablement augmentée. 2 Voll. à Lion, 4.

An hiſtorical diſſertation on a particular ſpecies of gangrenous ſore throat, which reigned the laſt year amongſt young children at Paris. Translated from the French of Dr. CHOMEL, which was printed at Paris in the year 1749. By N. *Torriano.* To which are added, ſome corroborative caſes and other medicinal tracts, by the translator. London, 12.

Diſcuſſioni anatomico pratiche di un raro e ſtravaganti morbo cutaneo in una giovane donna felicemente curato in queſto grande oſpedale degl' incurabili, indirizzate al ſign. Abate NOLLET, di CARLO CVRZIO. Napoli.

FLORIANI DALHAM, Inſtitutiones phyſicae. Tomus II. primam phyſicae partem de corporibus et elementis eorumque proprietatibus complectens. Viennae Auſtriae. 4. c. f.

10.

IO. DECHEVANNE, Diſſ. ſynopſis morborum oculis inſidentium genera et ſpecies exponens. Monſpel.

GEORG. CHRISTOPH DETHARDING, Centuria aphoriſmorum potiſſimum phyſiologicorum. Reſp. *Conr. Erneſt. Endter.* Roſtoch, 4.

IO. PHIL. ELIAS ENGELBACH, Diſſ. inaug. de nutritione. Argentorati, 4.

Raccolta d'alcuni Opuſcoli ſopra il moderno abuſo del Mercurio nella medicina; di GIAN. BABTISTA FELICI; Prof. di Medicina in Fiorenza. Venezia, 8.

IOHN. FLOYER'S Treatiſe of the ſymptoms, fits, cauſes and cure of the aſthma, in four parts. The third edition. London, 8.

S. GASPARETTI Oſſervazioni Medico Chirurgiche. Bologna, 8. mai.

HALES'S Statical Eſſays, containing 1) Statical experiments on the ſap in vegetables etc. 2) Haemaſtatics, or hydraulics and hydroſtatical experiments made on the blood and blood veſſels of animals etc. the third edition. 2 Voll. ibid. 8.

ALBERT HALLER'S phyſiology; being a courſe of lectures upon the viſceral anatomy and vital oeconomy of human bodies; including the lateſt and moſt conſiderable diſcoveries and improvements which have been made by the moſt eminent profeſſors through all parts of Europe, down to the preſent year. Compiled for the uſe of the univerſity of Gottingen, now illuſtrated with uſeful remarks; with an hiſtory of medicine; and with a noſology, or doctrine, of diſeaſes. 2 Voll. London, 8. (*Translator eſt* SAMVEL MIHLES, *medicus Glaſcovienſis*).

Traité de la culture des terres ſuivant les principes DE TVLL, Anglois; par DV HAMEL *du Monceau*. 2 Voll. à Paris, c. f.

Ana-

Anatomie de M. HEISTER, avec des eſſais de phyſique ſur l'uſage des parties du corps humain. 3 Voll. à Paris, 12. c. fig.

JOHANN CASPAR HEYRENBACH, Medicus ſui ipſius theoreticus et practicus, ſeu Exegeſis diaetetici regiminis, uſus et abuſus ſex rerum neceſſariarum non naturalium; nec non et ſingulariter potuum et ſorbitionum Thee, Caffée et Chacolatae, ſpiritus vini, Cereuiſiae et Nicotianae, praecipue vero Vini aquis diluendi, atque rerum dictarum non neceſſariarum, purgationis corporis, etc. Styrae, 4.

En reſa til Norca America pa K. Swenska Acad. befallning och publici keſtnad förrärtad af PEHR KALM. Vol. I. Stockholm. 8.

Eiusd. Diſſ. Om amerikanska näfverbatar. Reſp. *Chydenius*. Abo.

Eiusd. Diſſ. Korta anmärkninger wid inbyggarenas näringar och hushallning uti Cala Joki Sochn i Oſterbotn. ibid.

Eiusd. Diſſ. Om det ſom bör i acht tagas wid en ſtads an lægning. Reſp. *Aurenius*, ib.

CAMAVRY DE LAISSE, Recueil d'obſeruations de chirurgie. à Paris, 12.

A treatiſe of the ſcurvy, in three parts, containing an inquiry into the nature, cauſes and cure of that diſeaſe. Together with a critical and chronological view of what has been publiſhed on the ſubiect. By JAMES LIND. Edinburgh, 8. mai.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte:

1. DE GEER Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des inſectes p. 3.
2. DE GORTER Formulae medicinales p. 29.
3. KLOEKHOF de morbis animi ab infirmato tenore medullae cerebri p. 38.
4. KNIPHOF. Diſſ. de pilorum uſu p. 47.
5. KIESLING Diſſ uterum poſt partum inflammatum ſiſtens p. 52.
6. Continuatio epitomes aliquarum obſeruationum de rebus phyſico medicis in promptuario anglico viris ingenuis dicato (*Gentleman's Magazin*) contentarum p. 56.
7. GRASHVIS Ep. de facili luem veneream curandi methodo p. 80.
8. MVZELL *Mediciniſche und chirurgiſche Wahrnehmungen erſte Sammlung* p. 87.
9 HELVETII Principia phyſico-medica p. 99.
10 *Hamburgiſches Magazin XII Band* p. 106.
11. LEVCHSENRING Diſſ. de fonte medicato Niderbronnenſi p. 117.
12. KIRCKPATRICK The analyſis of inoculation p. 125.
13. BVRGES an Account of the praeparation and menagement neceſſary to inoculation p. 153.
14. De la Condamine Memoire ſur l'inoculation de la petite verole p. 159.
15. Noua phyſico - medica p. 161.
16. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico medicorum an. 1751. p. 179.
17. Supplementum alterum indicis ſcriptorum phyſico - medicorum an. 1752. p. 181.
18. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum an. 1753. p. 185.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS IV. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Pariſiis apud
Briaſſon, Patavii apud I. Manfrê, Venetiis in B. Albrizzi et S.
Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Gottingenſis Tom. III. ad annum 1753. Gottingae. Sumtibus Eliae Luzac. 1754. 4. alph. 2. pl. 16. tab. aen. 11.

Mox ab initio notamus, huic etiam commentariorum tomo, ut ſolet, a ſocietate praefationem praemitti, ea, quae hucuſque acta fuerunt in ſocietate, recenſentem, nomina etiam omnium, quae praeterito anno interfuerunt, membrorum adducentem, ſimulque continentem docte conſcriptam IO. DAV. MICHAELIS orationem, *de defectibus hiſtoriae naturalis ac philologiae, itinere in Palaeſtinam Arabiamque ſuſcepto ſarciendis.* Sequuntur deinde:

1) *Obſeruationum meteorologicarum ab anno 1741. ad an. 1749. ſumma capita**, Auctore SAM. CHRIST. HOLLMANNO. Deſcripto autem inſtrumentorum, barometri thermometrique, apparatu, viciſſitudines frigoris et caloris, eiusque gradus, nec non tonitrua, fulgura, nebulas, niuisque ſexangulares et elegantes flocculos adnotat, et in additis tabulis, in quinque lineas diſtinctis, obſeruationis inſti- p. 1.

* expoſita a. d. 13. ian.

tutae diei horam, barometri thermometrique ſtatum, ventorum plagas et tempeſtates exponit Cl. Auctor.

p. 67. 2) IO. MATTHIAE GESNERI *de electro veterum praelectio* *. Pereleganti autem hac diſſertatione, ut, quid de electro et vi electrica cognouerint veteres, pateat, primo in nominis rationem inquirit, et, adſentientibus veterum locis, demonſtrat antiquiſſimis graecis ſolem ἠλέκτωϱ, lunam ἠλεκτϱὶς, et ob cognationem ſuccinum electrum vocari, eademque denominatione aurum inſigniri, et miſturam aliquam auri atque argenti, ſiue ab natura ſibi iuncta fuerint haec corpora, ſiue arte. Veterum exinde auctorum loca explicat, quid veteribus de natura electri ſuccini et ſpeciatim de incluſis animalibus notum fuerit, oſtendit, vim eius magneticam variosque alios uſus magno cum eruditionis apparatu hiſtorice percurrit.

p. 115. 3) IO. GOTTFR. ZINNII *obſeruationes anatomicae de tunicis et muſculis oculorum* **. In varias diſquiſitionem diuiſit ſectiones Cl. Auctor, viam nerui optici, eius inuolucra, oculi poſt ea tunicas, eiusdemque muſculos ſigillatim exponens, quum vero omnes, quas natura ſuppeditat, obſeruandas conditiones conciſe et accurate declarauerit, nunc tantum primaria quaedam ex his adduxiſſe ſufficiet. Neruus opticus in ingreſſu ad orbitam durae matris plica tegitur et antrorſum atque deorſum, ſed etiam extrorſum procedit, in hoc ipſo loco quoque contrahitur, et celluloſa tela intercedenti oſſi adhaeret, mox vaginam a dura matre ſuſcipit, et directione mutata leuiori modo extrorſum vergit et ad inferiora declinat, ut in bulbum ſemper inferius magis inſeratur, ac eius fuit in orbitam ingreſſus. De vagina durae matris, ad

* Habita a. d. 3 febr. 1753.
** Lectae a. d. 8 febr. 1753.

ad neruum pertinente, etiam notatur, eam omnem in ſcleroticam terminari, exteriorem tamen celluloſam telam ſuper bulbum expandi. Finitur autem ſic, ut in ſcleroticam non continuetur, ſed fibris ſuis margini poſteriori, craſſiori, prominenti ſcleroticae, prout ligamenta alias ſolent, inſeratur, id, quod maceratione inſtituta intelligitur, qua ſclerotica denſa et tenax, vagina vero tenuis et laxa redditur. Huic vaginae ſubeſt pia mater, arctius medullae nerui nexa, celluloſa tela eius faſciculos iungens, ad bulbum propior, in adultioribus plerumque aliquantum fuſca. Illa ſimul cum neruo, oculo vicino, conſtringitur, ita tamen, ut verſus tempora conuexior, verſus naſum planior ſit, quo in loco a nerui ambitu reflexa ad ſcleroticae faciem internam accedit, eiusque laminam internam format, firmior reddita, concentrica ſcleroticae, intus ad choroidem fuſca, ab ea nunquam ſeparabilis; ut in fetu tandem, ubi paullo laxior, nouam membranam, ſcleroticam inter et choroidem conſtituat. Ipſa autem choroidea cum hac p. 124.
celluloſa tela tantum coniuncta, eodem loco, ubi piam matrem a neruo recedere diximus, originem ſumit, ut itaque choroides piae matris continuatio dici nequeat, ora namque rotunda exſculpta, tanquam annulo ſeu circulo tumidulo, concentrica porro ſcleroticae, oritur et procedit, quod maceratio choroidem reſoluens plenario confirmat. Retina tandem, ex medullari nerui parte producitur, quae tenerrimam laminam cribroſam tranſit, choroideae tantum contiguam, medulla nerui etiam poſt in papillam eminet et deinceps in laminam illam, cui retinae nomen eſt, expanditur. Cum humore vitreo arcte cohaeret, ut diuelli a Cl. Auctore non potuerit, eam tamen ſimplicem membranam eſſe iudicat, ex tenera tela celluloſa ſtaminibusque nerueis conflatam, quae vaſorum etiam diuiſioni fundamentum praebeat, nullo vero artificio in duas partes diuidi queat.

N 3 Muſcu-

p. 130. Muſculorum dein originem traditurus, varia, quae circa fundum orbitae notanda ſunt, explicat Cl. Auctor. Foramen ſcilicet opticum ita poſitum eſt, ut margo ſuperior et interior longior, inferior vero et exterior breuior terminetur, ex quo conſequitur, ut omnium muſculorum origo in eodem plano eſſe non poſſit. Per fiſſurae autem ſphenoideae ſuperiorem locum accedens dura mater, illi, quae per foramen opticum exit, occurrens, ligamentum tendinis inſtar, efformat, ex quo tres, adducens, deprimens et ex parte abducens, muſculi enaſcuntur carnei, propaginibus tamen tendineis, ab hoc ligamento deductis, contenti, quarum conditionum ſigillatim ſubtiliorem deſcriptionem ſuggerit Cl. Auctor. Attollens muſculus ſolus ex diuiſionis durae matre angulo proficiſcitur, ſupra quem leuator palpebrae ex perioſtio orbitae enaſcitur, qui, ut obliquus ſuperior, vaginam nerui optici non attingit, ſiquidem hic, ultimo nominatus, perioſtio orbitae eo loco adhaeret, ubi dura mater ſphenoidei oſſis partem, cum ethmoidei portione plana nexam, inueſtit, antrorſum autem per trochleam progreſſus, in poſteriori bulbi ſede fibris radiatim diſperſis, deſinit, anterius tamen ac tendo obliqui minoris, cuius finis poſterior eſt et medio tendini illius reſpondet. Ad inſertionem tandem in ſcleroticam tendines rectorum muſculorum ita attenuantur, ut reliqua parte tenuiores ſint, hinc neque ſcleroticae craſſitiem augeant, neque, ut multorum eſt opinio, in aponeuroticam membranam confluant, ſed interuallis interpoſitis deſinant.

p. 140. Ligamenta tarſea, a WINSLOWO notata, ultimo perpendit Noſter loco; illi tamen durae matris laminae, quae in palpebram deſcendens, leuatorem et orbicularem, muſculos diſiungit, ligamenti nomen abiudicat; ad tarſum non niſi celluloſa exiſtit, hinc ad eum integra non pertingit. Figurae additae nouorum horum inuentorum rationem exprimunt.

7) *De*

7) *De corporum marinorum, aliorumque peregrinorum, in terra continente origine, commentatio* SAM. CHRISTI. HOLLMANNI *. Incitatus Cl. Auctor, ingenti, quae Gottingae deprehenduntur, lapidum, petrefactis varii generis ſcatentium, numero, et miranda oſſium permagnorum, de quibus alibi expoſuit **, fabrica, conturbatus etiam permultis diuerſorum auctorum, de eorum origine, diſputationibus et hypotheſibus, in veram eorum originem inquirendi magis accenſa eſt magisque illius libido. Incipit itaque a veterum obſeruationibus, et philoſophorum eorum opinionem teſtimoniis corroborat, qui terram, quae nunc habitatur, maribus olim obtectam fuiſſe ſtatuunt, hinc marinorum corporum ortum inde explicant, in qua recentiori tempore OVIDIVS atque TERTVLLIANVS permanſerunt opinione. Poſt haec rudia et imperita, ſubtilitatibus nugisque obuoluta ſecula, negligentius in veram huius rei originem inquiſiuerunt, accedentibus pernoxiis aequiuocae generationis et luſus naturae hypotheſibus, quae quidem ſubſtituta illa, qua per diluuium factae mutationi omne adſcribitur punctum, opinione aliquantum deturbabatur, uſque tamen recurrebat, ita quidem, ut maiora animantium oſſa etiam luſum naturae aut gigantum oſſa exprimere dicerentur, multis ſimul immiſtis fabulis. Recoxit autem, diluuium uniuerſale Noachicum cauſam eſſe, ſententiam BVRNETVS, quam exornans WOODWARDVS, confuſioni corporum, per inundationem factae, ordinem per ſpecificam grauitatem datum fuiſſe ſtatuit. Quae ſane ſententia plurimorum animis noſtris etiam temporibus tam firmiter inſidet, ut ab ea ſe auelli vix patiantur. His itaque tricis, quo eo melius expedire ſe poſſit, nunc tria in ſe ſuſcipit perueſtiganda momenta Cl. Auctor, num ſcilicet, diſperſa per orbem corpora marina

p. 285. p. 307. p. 319.

* lecta a. d. I ſept.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 703 ſeq.

rina et exotica diluuii ſint reliquiae, deinde num a recentioribus talis excogitata ſit diluuii facies, ex qua omnia melius intelligi poſſint, et annon alius ſuppetat modus, illuſtrandae corporum marinorum origini accommodatus. Contra primam autem opinionem eſſe contendit, quod corpora marina magis in montibus eorumque cacuminibus, ad quae ob naturale ſibi pondus facile deuenire non potuiſſent, quam in vallibus circumiacentibus, in quibus commode magis depoſita fuiſſent, deprehendantur: porro, quod in anguſto admodum ſpatio tanta conchyliorum copia coaceruetur, tantae ſaepius teneritudinis et paruitatis, quae per multa millia ſtadia aduehi potuiſſe nullo videantur modo, id quod copioſis exemplis, et aliquibus ſubiunctis iconibus comprobatur: deinde, quod ſola marina, non alia ex terreſtribus admixtis vel arte etiam productis, corpora ſimul congeſta inueniantur: quod corporum petrefactorum facies huic refragetur hypotheſi; alia nimirum v. c. conchylia cruſta ſua adhuc inueſtiri, alia eadem deſtitui, ſuperſtite nucleo oſſeo, formam referente, alia iterum, cum duro lapide coaluiſſe, quae omnis mutatio breuis illius temporis, per quod durauit uniuerſale diluuium, ſpatii effectus eſſe nequeat: quod tandem terrae ſe inuicem excipientia ſtrata, non ſint opinioni conformia, quae et craſſitie ſaepe a ſe diſcrepant et ſucceſſionis modo, ſiquidem poſt leuiora grauiora ſequantur ſtrata, et haec iterum leuiora grauioraque
p. 339. eodem excipiant ordine. Quae quum ita ſint, ut ex diluuio argumenta, phaenomenorum ad explicationem facientia, deſumi non poſſint, ad veterum refugiendum eſſe opinionem arbitratur Cl. Auctor, terrae omnis continentis ſuperficiem aquis ſcilicet fuiſſe ſubmerſam, quippe quae opinio, ſuis circumſcripta cancellis, declarandis phaenomenis apprime faciat ſatis, cuius rei periculum, ut videtur, laudabili cum ſucceſſu Noſter inſtituit. Eſt tamen in modo, quo

haec

haec euenerint, aliqua obſcuritas, quam ita illuſtrare tentat, ut refutata prius ANTON. LAZARI MORO ſententia, qua ex mari montes excreuiſſe, facta propulſione, et omnem continentem euomi quaſi potuiſſe credebat, poſſibili quidem et non nullis exemplis dilucidata, non tamen probabili, alia veriora ſuppeditet fundamenta. Terrae motibus varias regiones p. 355.
totas fuiſſe euerſas notum ſic eſt, ut de iis Herculanei, ante mille et ſeptingentos annos voragine hauſti, nunc denuo in lucem protracti, et nupera peruuiani regni metropolis Limae, portusque Callaenſis, exempla et alia plura, dubitationem relinquant nullam, qui, quum fulgura ſint ſubterranea, terrae incumbentis faciem concutientia, in locis, ubi cryptae et cauernae ſubterraneae exiſtunt, orientia, fieri ali p. 364.
ter non potuiſſe, quin maris itinera his ipſis mutata exiſtant, in loca decliuiora recedant, grauitatis terrae centrum permutetur, eiusque *alius conuerſionis diurnae axis et obliquus ad planum orbis annui ſitus* efficiatur, ut corpora a mare longe diſſita in remotis terris ſepulta inueniantur. Tantis autem ubique circumuallatam propoſuit ſuam hypotheſin Noſter argumentis, ut a vero eam prope abeſſe fatendum ſit.

In quatuor additis tabulis tum lapicidinae prope Gottingam reperiundae, ſtrata, tum partes quaedam, petrefactis farctae, lapidum eleganter delineantur.

9) IO. GEORG. ROEDERER *ſermo de communicatione, quae utero grauido cum placenta intercedit* *. Duplex eſt auctorum de hac communicatione ſententia, alii per vaſorum ſanguiferorum, alii per tenuiorum anaſtomoſin fieri eandem autumant. Vtrique per iniectiones ceraceas ſuam comprobare auſi ſunt, aliam ingreſſus eſt viam Cl. Auctor, quid ex inſtitutis, in puerperis viuis obſeruationibus eluceſcat, p. 397.
diſquiſi-

* lect. a. d. 1. decembr.

diſquiſiturus. Varii eadem tentarunt, longe plura cepit tentamina Noſter: Edito itaque vegeto et viuo partu, nulloque effluente ex utero ſanguine, tanquam ſigno, placentam adhuc integre utero adhaerere, obſeruauit, tunc demum praeſciſſo funiculo umbilicali, nullum in funiculo fuiſſe pulſum, ex genitalibus ſanguinem non prorupiſſe, magna tamen vi et arcu facto ex funiculo, ſenſim lentius, mox nihil, idque inter aliquot minuta horae prima; ſanguinis quantitatem profluentem vix unciam unam et ſemiſſem multum ſuperaſſe; uterum contractum fuiſſe, ſed ita, ut laxe funiculum comprehenderit, ſoluta porro placenta, uterum ſanguinem dimiſiſſe, placentae vero vaſa maiora ſanguine vacua, in primis arterioſa fuiſſe, ea vero ligato funiculo ſanguine turgere. Ex quibus id conſequitur, ut, quum funiculus non conſtringatur, vel in vaſis eiusdem enaſcatur thrombus, vel nihil ad placentae vaſa ſanguinis deueniat. In arteriis, quod vacuae ſunt, non eſt coagulum, forte facilius in venis, ſed nec hae turgent multum, ut ſanguinis nihil acceſſiſſe noui inde pateat, et quid impediret, porro concludit Cl. Auctor, quo minus per anaſtomoſes, venas et arterias placentae intercedentes, omnis euacuetur ſanguis, quum alias minoris arteriae laeſio letalem facere poſſit cruoris effuſionem. Probabile igitur fit, uteri et placentae vaſa immediata inoſculatione ſibi non iungi: in iis porro caſibus, ubi funeſta ſanguinis per funiculum non ligatum ef-
p. 404. fuſio contigit, placentam ab utero fuiſſe ſolutam. Vaſa, in uteri ſubſtantiam interne aperta lumina oſtendunt, manifeſto ampla, in puella, catameniorum tempore, ad quartam lineae partem luculenter hiantia, idem in utero grauido diſſecto apparuit, in placentae ſuperficie nullum vaſis lumen conſpicitur, copioſa vero et ampla in uteri ſuperficie, ſanguinem, ſi remouetur placenta, fundentia, quod idem ſanguis, ex ſano utero prorumpens, dum placenta ſoluitur.

tur, declarat. In placenta itaque vaſorum lumina admodum ſunt exigua; extraxit ſcilicet, id euicturus Cl. Auctor, poſt quam recens natus reſpirauit, placentam, ſine funiculi tamen compreſſione, nec funiculum ſoluit, et pulſantibus licet eius arteriis nihil ex placentae ſuperficie effluxit, nec orificium apparuit. Poſt pauca minuta ceſſauit pulſus, in placenta primum, dein in parte funiculi, huic propiori, circa infantem proxima adhuc obſeruandus; calor funiculi prius ac pulſus periit, et diſſectus funiculus tandem unciam circiter ſanguinis effluere fecit. Idem euentus, quum infans ſimul cum placenta calidae tradebatur aquae, et dum eadem cum infante cohaerens, relinquebatur, ut inoſculationis vis hucuſque adſumta multum labefactetur.

10) EIVSD. *ſermo de pondere et longitudine recens natorum* *. Pondus hoc a nullo adhuc videtur cum aliquo ſtudio fuiſſe disquiſitum, docuere enim ſaepius facta pericula Cl. Auctorem, neque MAVRICELLVM neque PHILLIPSON illud rite determinaſſe. Deſcribit itaque pondus infantis, placentae, ſanguinis ex utero effluentis, ſed ita, ut pondus infantis ſimul illud relictae portionis funis umbilicalis, fili, quo ligatur, et meconii, poſt partum adhuc inhaerentis, comprehendat. Adhibuit libram Gottingenſem ciuilem, et pedem rhenolandicum, in decem partes diuiſum. Ex omnibus autem, iam captis experimentis, quae et Cl. Auctor et nos optamus, ut ab iis, quibus copia data, repetiantur ſtudioſe, ſimul ſumtis conſequitur, ſummum infantis recens nati et maturi pondus octo libras vix ſuperare, minimum quinque libris non eſſe minus, placentae pondus plerumque libram unam non exſuperare, ſanguinis, ex utero exſtillantis, poſt partum pondus duarum librarum eſſe, longitudinem vero infantum maximam pedem p.410.

* Lect. a. d. 1 decemb.

pedem unum cum undecim pollicibus, minimam
p. 420. pedem unum cum ſex circiter pollicibus explere. In gemellis, quarum una monſtroſa, altera naturalis erat ſtructurae, pondus utriuſque ſimul conſideratum, maturi foetus ponderi fere aequale, et in pueris ſaepe teſticuli iam delapſi in ſcrotum vel uterque, vel uno alteroque in abdomine relicti fuerunt. Praeter ea Cl. Auctor in eo iam eſt, ut natorum aliquando pondus longitudinemque inquirat, quo rationem quam illud et haec inter ſe habet, inueniat.

p. 425. II) IO. GOTTFR. ZINNII *obſeruationes botanicae* *. Docent illae, noua attentione ſapientem partium plantae diſpoſitionem ſemper accuratius poſſe declarari. Adhibuit autem laudabilem ſuam perueſtigationem Cl. Auctor primo in deſcribendo *Stratiote* LINNAEI. Planta haec, aquis innatans foliisque lineari-lanceolatis, in margine aculeatis inſtructa, hinc Aloe ſimilis, ex foliorum ſinu pedunculum craſſum, foliis minorem protrudit, cui vero diuerſi ſexus, in diſtinctis autem indiuiduis, flores inhaerent. *Maſculini* in ſpatha bifolia recondunt alios, plerumque tres flores, cui ſingulo ſpatha monophylla, tenera et pellucida datur, ſupra ſpatham pedunculus ex aquis exſurgit, continens calycem triphyllum, corollam tripetalam, in cuius medio filamenta flaua numeroſa, et ſtamina duodecim, ſed filamentis longioribus, antheris erectis inſunt. *Feminini* fere ſimiles, petala maiora, tubas ſex, bifidas, triangulares, ſtigmate recuruo, alterne longiores continent, et ouarium hexaedrum, ſex loculare, ſeptis ſpirae in modum intortis, ſemina multa oblonga, parum alata comprehendunt. Planta per gemmas propagatur ſponte. Emendat itaque ex his botanicorum lapſus, qui vel non diſtinxerunt hos flores, vel rite non explorare poterunt.

Quod

* Lectae a. d. 29 Decembr. 1753.

Quod autem cum Hydrochari eam conuenire multi exiſtimant, eius etiam deſcriptionem ſuggerit Noſter et, prout prioris, partes floris accurate delineatas exhibet. In hac flos *maſculinus* quoad ſpatham p. 431. et contentos flores fere ſimilis priori; ad LINNAEI deſcriptionem addi debet, ſtaminum nouem ſex exteriora breuiora et extrorſum recurua eſſe, tria interiora vero longiora exiſtere, ſingulis ad baſin ſtipitem adhaerere, omniumque antheras gemellas eſſe. Flos vero *femininus* absque ſpatha ouario oblongo, ſexloculari, ſeminibus rotundis, nudis foeto, inhaerentem habet corollam, inſtructam tubis ſex bifido-canaliculatis, inter quae nemini viſi, eminent ſtyli ſex lanceolati, baſi tubarum adnati. Caulis repit per flagella. Differentia a priori eſt in numero ſtaminum, ſeminibus, ornamentis floris, ſitu ouarii et habitu externo. Quum vero in utrisque florigeri pedunculi in ſpatha contineantur, qua ratione cum aliis vegetabilibus ſimilibus claſſem conſtituere poſſint naturalem, docet Cl. Auctor.

Deſcribit deinde aliquas plantas, nondum accura- p. 434. te explicatas. 1) *Aſtragalum pedunculis foliis ſupparibus, floribus pendulis, ſiliquis erectis et longis, parum compreſſis*, MARTINI. HALLER. Enum H. Gotting. p. 260. Caulis ramoſus, folia pinnata, duodecim plerumque parium, foliola ouato elliptica, neruo ſpinuloſo, extremo impari, ſtipulae longae, pedunculi alares, ſpicati, bracteae albae, calyx parum hirſutus, denticulis duobus ſuperioribus diſtantibus, inferiori longiſſimo, flores ochroleuci, vexillum compreſſum, emarginatum, lateribus eleuatis, alae ut in congeneribus, carina obtuſe roſtrata, purpurea intus, ſiliqua longa, teres, ad ortum incurua, ad valuas compreſſa, erecta, ſemina ſcabra. 2) *Cardiacam chinenſem, albis calycibus aculeatis, ſemine nigro* MARTINI. HALLER, l. c. 326. Caulis fruticoſus, tomentoſus, folia petiolata, triloba, lobis incisis,

ciſis, flores in verticillis denſis, calyx quinquangularis, extus denſe tomentoſus, dentibus quinque aculeatis, tubus corollae longus, profunde diuiſus, galea longa, ut Leonuri, erecta, alba extus hirſutiſſima, alae acutae, lacinia media lata, transuerſa, barba tripartita, quinque lineis rubris notata, filamenta antheras rubras ſuſtinent, ſemina nigra anguloſa. 3) *Dracocephalum foliis ex lanceolato linearibus, rarius dentatis, ſpinuloſis, floribus gemellis* MARTINI. HALLER, l. c. 334. Folia in fine obtuſa, neruo eminente in ſpinulam, calycis ſurſum gibbi, ſtriati, labium ſuperius trifidum, dente ſuperiori longiſſimo, labium inferius diſtans, profunde bifidum. Faux longa, hians, galea breuis, profunde emarginata, barba maxima, trifida, media lacinia transuerſe lata, margine crenato, ſtamina parum inaequalia, ſtylus bifidus. 4) *Plantam nouam, Coreopſidi affinem.* Planta puſilla, ramoſa, terrae appreſſa, rami et folia coniugata, ad originem vagina breui cincta: Folia lanceolata, rarius dentata, petiolo folioſo: Flores ex alis: Calyx ex foliolis conſtans, duorum ordinum, latis, hirſutis, conuexis, piloſis: Flores in radio ligulati, extremo bifido, ſtylus ſtigmate duplici, reflexo: Flores in diſco cylindrici, quadrifidi, anthera cylindracea, tuba alba, ſtigmate bifido: Semen oblongum, compreſſum, ornatum annulo membranaceo, breui, tenerrimis pilis ciliato. Thalamus planus, paleaceus. Planta eſt annua, cuius etiam icon adiicitur, cum Coreopſide multa communia habens, alia diſcrepantia, forte ad nouum genus referenda.

II.

Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae traduntur. Faſciculus VII. Arteriae cerebri, medullae ſpinalis, oculi. Auctore ALBERTO DE HALLER. Gottingae, apud viduam Abr. Vandenhoeckii, 1754. fol. pl. 16. tab. aen. 6.

Quod in exponendis corporis humani vaſis ſibi pertexendum ſumſit filum Ill. Auctor, ad arteriae carotidis internae ramificationes iam deduxit, cuius itaque diſtributionem, quatenus ab aliis deſcripta illa fuit, ſimul cum decenti de eorum cognitione iudicio, in praefatione docte recenſet. Ipſa vero de hac dicta arteria carotide interna commentatio, ſpinae dorſi medullae vaſa etiam complectitur, intercoſtalium et lumbarium anatomen alibi eſt daturus.

Cum interna, quae nominatur haec arteria, ob ſitum hocce nomen tueri nequeat, *cerebralem* potius vocandam eſſe putat Ill. Auctor, num vero eandem externa maiorem eſſe, nec ne, affirmari debeat, eam ambigit ob cauſam, quod ob exortum a carotidis trunco deductae arteriae thyroideae variantem in amplitudine etiam diuerſitas occurrat, eodem fere modo, ac in flexionibus eius, quarum nulla eſt conſtantia, ſiue numerum ſiue magnitudinem ſpectemus. Ingreſſa in canalem petroſi oſſis dura membrana quidem tegitur, ſed ſic, ut eam inter et duram matrem celluloſae telae pauxillum ſit, neruo intercoſtali locum daturae, in hoc autem flexus quosdam conſtantiores habet, et *receptaculi ſellae equinae* VIEVSSENII, in quod abit, ſanguine perfunditur. Nullum vero, quod a GALENO introductum, ab aliis mox defenſum, mox impugnatum fuit, rete mirabile eam circumdat arteriam. Quum enim aliquam eius ſpeciem ſe inueniſſe doceret RVYSCHIVS, eas vidiſſe ſuſpicandum eſt arterio-

p. 1.

p. 3.

arteriolas, quas ad infundibulum et glandulam pituitariam abiiſſe detexit Noſter, vel quae in receptaculum immittuntur. In receptaculo nimirum aliam poſteriorem, aliam anteriorem arteriam et MECKELIVS et HALLERVS prodiiſſe viderunt, quarum ramuſculi ad neruos, tertium, quartum quintumque abeunt. Hi prius ac ophthalmica oriuntur, nec non ex carotide, duram matrem perforante, copioſi ramuli eduntur, ad neruum opticum, infundibulum, glandulam pituitariam et plexum choroideum aliqui abeuntes. Porro arteria *communicans* inde naſcitur circulum WILLISII conſtituens, perpetua, diuerſae tamen diametri, ad vertebralem abiens, quae deinceps ramos ad proceſſus mammillares et vicinas partes ablegat. In diuiſione lobi poſterioris et anterioris cere-
p. 5. bri in truncum anteriorem et poſteriorem etiam arteria carotis interna nunc diſpeſcitur, quorum anterior poſteriori minor, *anterior carotidis internae ramus* ſiue *arteria corporis calloſi* vocatur, cui praecipue ramulos largitur, aliis in lobum cerebri anteriorem et per eius ſubſtantiam dimiſſis. Nullas tamen cum ſinu quarto communicantes deprehendi, con-
p. 7. tra b. GÜNZIVM notatur. Ramus autem *poſterior internae carotidis*, anteriori longe maior eſt et truncum fere conſtituit, ramosque inter anteriorem et poſteriorem lobum cerebri diſpergit, in pia matre decurrit et dein fiſſurae SYLVII ſeſe immergit innumeras in ſubſtantiam cerebri daturus ramificationes.

Porro cerebrum a vertebralibus arteriis ramos haud paucos accipit, quarum quidem origo, quum in cerebro non ſit, ad ramos nunc, ad duram matrem abeuntes, tantum reſpicit Ill. Auctor. Ex his primo notanda venit arteria *poſterior durae membranae*, ad primam iam vel ſecundam vertebram ablegata in du-
p. 8. ra matre copioſis ramulis diſtributa. Sed, poſtquam vertebralis arteria, ſubiecta medullae oblongatae, cranii cauitatem ingreſſa eſt, ante vtriusque lateris trunci

con-

coniunctionem, naſcitur ex illa *arteria cerebelli profunda*, aliquando tamen utriuſque lateris ortus inter ſe non conuenit, et inde vaſa arterioſa cerebelli inferiori parti, medullae oblongatae et neruis ſuppeditantur, nec non inde arteria *ſpinalis poſterior* haud raro originem ſumit, quae ſaepe peculiaris vertebralis arteriae ramus eſt. Haec in finem calami ſcriptorii cum flexu delata, ad plexum choroideum quarti ventriculi pertingit ſuis ramis, truncus in medulla ſpinali, copioſiſſimis ramulis progreditur, ad alteram lumborum vertebram deſinens. Deinde *ſpinalis anterior* utrinque oritur, parallelo ductu per oblongatam et ſpinalem medullam deſcendit, cuius, ut prioris, rami ſodales neruorum exiſtunt, in collo duplex, in dorſo unica eſt, et flexuoſa ad medullae ſpinalis finem continuatur, a variis pro impari medullae ſpinalis neruo habita. Terminatur enim in confiniis oſſis coccygis et ſacri.

Poſt in fouea, medullae oblongatae ortum et p. 9.
pontem VAROLII intercedente, vertebrales arteriae in unam confluunt, quae *baſilaris*, vulgo, a Noſtro *truncus vertebralium communis* nominatur. Haec circa pontem ad cerebellum ramos varios et ad neruos ſecedere facit, ex quibus ſemper etiam unus alterue ad acuſticos neruos abit ſub *audítiuae internae* nomine. Ad anteriorem pontis partem autem dela- p. 10.
tus truncus finditur in quatuor ramos, aut ramorum faſciculos, quorum plerique diſſectorum et WINSLOVIVS etiam duos tantum notauerunt. Egreditur nempe ex his *arteria ſuperior cerebelli* aliquando multiplex, quae ponti, ſuperiori cerebelli parti, natibus teſtibusque dictis prominentiis ramos largitur, aliisque vix conſtantis originis, ſuperficiem et profundiorem cerebelli ſubſtantiam adit. Prope has p. 11.
autem ex vertebralium trunco utrinque diſpergitur alia, cui *poſterioris* aut *profundae cerebri* nomen imponit Ill Auctor, ab aliis etiam non praeteruiſa, quae

tertio ventriculo et thalamis neruorum opticorum vicinis ſedibus, plexuique choroideo ramis proſpicit. Deinde demum truncus hic *communicantes* cum carotide arterias, quas *circulum* WILLISIVS vocauit, ſuppeditat. Neque tamen haec ſola cum carotide communicatio, inter alios namque *profundae cerebri*, iam dictae minores ramos, quos copioſe et graphice deſcriptos inuenimus, et quorum aliqui in poſteriorem cerebri lobum diuiduntur, quidam et cum anterioribus carotidis ramis, a corpore calloſo deductis, et cum poſteriori eiusdem arteriae trunco aliquas alunt anaſtomoſes, ut partito officio vertebralis arteria, aeque ac carotis inſeruiat cerebro et de ſanguinis arterioſi carotici et huius diſcrimine concidat multorum hypotheſis. Eſt interim notatu dignus plexus, quem hae arteriae faciunt, in pia matre, quae a lobo cerebri poſteriore, eiusque crure fornicis, nec non a cerebello abiens, antrorſum ad ventriculos laterales defertur.

Haec de ſingulari in enucleandis vaſorum cerebri ramificationibus, patientia et ſtudio Ill. Auctoris aliquam tantum ſuppeditant notitiam, quam pro rei dignitate repetere non licuit, nunc de medullae ſpinalis vaſis eadem agit cum ſollicitudine, primo com-
p. 13. munia, deinde ſingularia momenta proponens. Tres in uniuerſum ad ſingulum neruum rami arterioſi pertinent, qui eorum interualla occupant, ex his unus ipſam medullam ſpinalem adit, alter duram ei ſuper inhaerentem membranam, tertius inuolucrum vertebrarum, durae matri circumiectum. *Secundus* ex variis truncis in diuerſis locis prouenit, vel ex thyroidea vel ex ceruicali aliqua. *Tertius* aliis ramis tum anteriorem tum aliis poſteriorem partem inuolucri ambit, qui cum ſuperioribus atque inferioribus communicant. Hi ex vicinis locis, in ſummo ſcilicet ex vertebrali, dein ex intercoſtalibus, lumbalibus et ſacris proficiſcuntur, quorum omnium et ſingulorum

accu-

accurate origo adnotatur. *Primus* tandem, ad ipſam medullam accedens, in anteriores et poſteriores ramos diſtribuitur, et cum ſpinalibus anaſtomoſes alit, anteriores ſaepe per duram matrem tranſeunt, poſteriores vero iterum reflexae haud raro anteriores fiunt. Nullibi tamen tot eorum ſunt, quot vertebrae, et in magnitudine earum quoque, fuſius hic expoſita, permulta diſcrimina.

Adiectae huic deſcriptioni quinque tabulae aeneae omnium vaſorum, iam deſcriptorum, delineationes praebent. *Prima* ex his baſin cerebri ſiſtit, cuius lobus poſticus ita reclinatur, ut fiſſura SYLVII, et deinde etiam ima ventriculi ſiniſtri obſeruetur ſedes. *Secunda* plexibus cerebri declarandis deſtinata, ſuperiorem partem cerebri omnem ablatam exhibet, ut nudum et integrum thalamis opticis inhaerens velum vaſculoſum pateat. In qua figura glandulae quaedam, in dura matre tentorii obſeruatae, nullibi deſcriptae, ſimul delineantur. In *tertia* plexu hoc remoto, nudi thalami apparent atque cerebellum, ob cerebri maiorem partem reſectum, et iam alia arteriarum itinera conſpiciuntur. Sequentes, medullae ſpinalis arteriis dicatae, in *quarta* anteriores repraeſentant, quarum poſteriores *quinta* continet. In earum explicatione, obſeruationes ſingulares de cerebro ſimul traduntur.

Excipit has peculiaris ***arteriarum oculi hiſtoria***, eo magis neceſſaria, quod per earum diſquiſitionem et fabrica melius intelligitur et chirurgicarum, quae in hac parte fiunt, operationum indoles diiudicari poteſt. Praemittit ex more Ill. Auctor eorum, qui in deſcribendis oculi arteriis occupati fuerunt, recenſionem, ex quibus recentiores potiſſimum laudandos eſſe manifeſtum fit; quid vero ipſe hic praeſtiterit, ſequentibus declarat: *Ego primus arteriam ophthalmicam tanquam truncum, cum omnibus ramis de-*

ſcripſi, ramos oculares ipſi reſtitui, quos aliunde vir maximae auctoritatis IAC. BEN. WINSLOW *deduxerat. Addidi vix definitos ramos, inferiorem oculi, ſupraorbitalem, arcum tarſeum ſuperiorem, inferiorem, et arterias ciliares anteriores, circulum uueae adeuntes: vorticoſa vaſa venoſa eſſe oſtendi; centralem retinae ab origine ſua perſecutus ſum; arteriolae fiſſurae lacrumalis ortum fineſque definiui.* Haec autem ex viginti et quatuor cadauerum perueſtigatione confirmata habuit.

p. 37. Ex praecipuis oculi arteriis itaque *ophthalmicam* primo nominat loco, quam a ſummis etiam viris pro dignitate minus recte deſcriptam eſſe oſtendit, ſiquidem illa ex carotide interna, circa proceſſus clinoideos anteriores intra duram matrem, dum retrorſum et introrſum reflectitur, ex arcus conuexitate exoriatur, cum neruo optico comite per foramen opticum ingreſſura. Plerumque ſub neruo optico ad latus externum prorepit, nec non ſub neruo tertio quartoque et origine muſculorum, in receſſu proprio foraminis optici. Rami eius vero conſtantes non ſunt, de quibus tamen ita diſſeruit Ill. Auctor, ut ex copioſiſſimis obſeruationibus ramos primum enumeret, varietates porro oſtendat, tandemque communia et magis certa declaret. Varietates iam praetermittimus, praecipui vero ophthalmicae rami ſunt, lacrimalis, ethmoidea poſterior, centralis retinae, ciliares variae, ſupraorbitalis, muſcularis inferior, ethmoidea anterior, palpebralis inferior et ſuperior, naſalis et frontalis, quarum ſingularum aliqua momenta addere iam conueniet. *Lacrimalis*, quae aliquando etiam ex meningea, nunquam ex carotide interna proueniſſe viſa eſt, et plerumque ramulum ad duram matrem dimittit, porroque minores, ad perioſtium orbitae, muſculoſque, alium, qui os malae perforat, in muſculum temporalem abit, alios praecipue glandulae lacrimali. Sed ab hac etiam recedens

ſub

ſub muſculo ciliari deſcendens cum ramis ophthalmicae arcum conſtituit, hinc vocatur arteria *tarſea externa inferior*. Alius ramus ad palpebram ſuperiorem deuenit, qui cum temporalis arteriae ramificationibus et ophthalmicae in arcum tarſeum poſteriorem et ſuperiorem coniungitur, et nominatur *tarſea ſuperior externa*. Truncus arteriae in adipem palpebrae tandem conſumitur. Conſtantes itaque ramos p. 41.
nominat Ill. Auctor, meningeum, perforantem malae, palpebralem ſuperiorem et inferiorem, et praeter minores ſurculos, lacrumales proprios. *Ethmoidea poſterior*, quam olim *naſalem poſteriorem* nominauerat Noſter, non perpetua, ſaepe tamen adeſt, ſub rectis oculi ſuperioribus muſculis procedens, foramen ſubit oſſi fronti et plano commune, vel ex altero ſolo proueniens, et ramulis ſubtilibus in hoc loco, aliis in dura matre, ad quam truncus redit, diſtribuitur. *Centralis retinae* autem ab ophthalmicae trunco, inter ingreſſum in orbitam et locum, quo ille neruum opticum ſupergreditur, oritur, non nunquam ex ramo. Sunt aliquando minores ramuli ſub nerui integumentis et in eius medulla decurrentes, aliquis tamen axin occupat ſemper, qui ad retinam deductus in numeroſos diuiditur ramulos, ubi tamen hic deſinant, nondum ſatis exploratum eſſe ſibi adſerit Ill. Auctor, licet circulus interior vaſorum retinae, a Cl. ZINNIO deſcriptus, de quo ſuo tempore dicemus, omnem propemodum dubitationem eximat. Hac vero data occaſione de corona ciliari notat p. 43.
Ill. Auctor, eam eſſe coagulum muci nigri, inter retinam et ligamenta ciliaria conſtitutum, quale non nunquam, in retinam effuſum, ibidem maculas diuerſae magnitudinis facit. *Supraorbitalis* porro ophthalmicae ramus, per ſimilis nominis foramen exit in fronte, poſt priorem demum naſcitur et ſub perioſtio orbitae antrorſum procedit, in tranſitu muſculis vicinis ramos largitur, deinde ad orbitae margi-

 nem

nem conſtituta in duos ramos diuiditur. Quorum alter exeuns ex foramine dicto in fronte diuiditur, alter intus remanens, ſub orbiculari palpebrae muſculo et corrugatore extrorſum progreſſus cum temporalibus communicat. *Ciliares* arteriae numero diſcrepant et origine, quarum itaque varietates diligenter
p. 45. inueſtigando Ill. Auctor, haec inuenit conſtantiora eſſe, ex pauciſſimis duas eſſe, ex plurimis ſex, pleraſque ex ophthalmica, aliquas etiam ex aliis, ut ethmoidea poſteriori, ſupraorbitali, ramis muſcularibus vel lacrimali dimitti. Accedentes autem ad eam, quae neruo optico et ſcleroticae tunicae intereſt, plicam, inter ſe coeuntes, circulum conſtituunt arterioſum; a Cl. ZINNIO primo notatum. Ex his deinde perforantes ſcleroticam rami proficiſcuntur, quos Ill. Auctor *ciliares poſteriores et breues* appellat, quippe qui prope neruum opticum in ſcleroticam penetrant. Hi vero *primum ordinem* conſtituunt, quos locus, quo ſcleroticam tranſeunt et in primis finis diſtinguit: *alterum ordinem* faciunt *ciliares longae* arteriae, quarum ingreſſus in ſcleroticam ad lineam et ultra ab inſertione nerui optici diſtat. Pauciores hae ſunt, frequenter duae, quum priorum numerus ad modum differens ad triginta uſque deueniat. Hae *longae* in ipſam ſcleroticam ramulos dant, trunci progrediuntur inter eam et choroideam et ubi ad orbiculum ciliarem deuenerint, in celluloſa tela diuaricatae ad angulos obtuſos inter ſe communicant et in uueae principio annulum efficiunt, ſemiduplicem flexuoſum-
p. 46. que. Praeter has etiam ad ſcleroticam pertinent *ciliares anteriores*, qui ab iis ramis, qui ex iam dictis trunculis muſculos comitantur, ad ſcleroticae, a cornea unius circiter lineae diſtantiam adueniunt, numero plures, et per celluloſum contextum ad orbiculum ciliarem cum longis congrediuntur, ſimulque partem annuli ſeu circuli uueae faciunt. Quaedam aliquando continuo uueam adeunt, et in choroideam deſinunt,

-nunt, anterius pallidam, pauciſſimis vaſis ſanguiferis inſtructam. Ex eodem uueae circulo vaſa in iridem diſperguntur, quae in fetu pupillam praetergreſſae ad ſeptimum menſem uſque eam claudunt et tunicam WACHENDORFII efformant. Quod deinde ad ciliares poſteriores pertinet, eae arbuſculorum inſtar ramoſae per choroideam pergunt, ſub quibus *vaſa vorticoſa* STENONIS ſunt, quae vero certe pro venarum propaginibus haberi debent. Choroideae autem arteriae, ad concauam eius ſuperficiem delatae, in ligamenta ciliaria immittuntur. Ab iis quoque flocculi, quos humoris aquei fontes eſſe non immerito ſtatuit Ill. HALLERVS, ſecedunt, qui forte etiam ad lentem cryſtallinam diriguntur. Reliqua enim, quae de horum vaſorum ramiſicationibus apud diſſectores proſtant, adeo indubitata non ſunt. Inſignis et per- p. 49.
petuus trunculus eſt arteria *oculi inferior ſiue muſcularis inferior*, ex ophthalmica enatus, licet autem nec hic varietates deſint, ex conſtantiori tamen norma muſculo recto inferiori, obliquo minori et ſacco naſali largitur ramificationes. *Ethmoidea anterior*, itidem ophthalmicae propago, per foramen, ſuper cellulam ethmoideam anteriorem, intrat, huic et ſinui frontali ramos exhibet, truncus autem in cranium redit, in dura matre et falce ramulos diſpergens, nec non in ſeptum narium continuatur. Neglectae magis p. 51.
fuerunt *palpebrales* arteriae, *inferior et ſuperior* ex ophthalmica conſtanter ortae videntur, quae cum aliis ramis internis et externis varias alunt anaſtomoſes, quarum deſcriptiones ſuggerit Ill. Auctor. *Naſalis* ex ophthalmica, circa ſaccum lacrimalem dimiſſa, ad orbicularem muſculum, et palpebram inferiorem partim ſubcutaneum arcum in facie exteriori, orbicularis muſculi format, partim aliis ramis circa naſum diffunditur et ibi conſtitutis partibus ad globulum eius uſque vaſa porrigit, nec non ſurſum ad frontem rami deducti fuiſſe viſi ſunt. *Frontalis* tandem arte- p. 52.

ria in tres primarios ramos diſpeſcitur, etſi ludere et hi ſaepe ſoleant, ſcilicet in *ſuperciliarem*, *profundam* et *ſubcutaneam*. *Primus* ex orbiculari muſculo exit, deinde profunde ſub corrugatore in perioſtio adſcendit, aliis inoſculatus. *Tertius* ad interiora magis glabellae procedit, ſupra muſculum frontalem in frontem adſcendit, *ſecundus* autem ſub orbiculari et corrugatore muſculis in perioſtio ad fontem pulſatilem venit, pariter coit cum aliis, vel exteriorem orbitae ſuperficiem legit.

Sufficiet itaque nobis, huius pleniſſimae deſcriptionis arteriarum oculi aliquo modo adumbraſſe hiſtoriam, laborioſiſſimam expoſitionem harum rerum amatores in ipſo libro admirari poterunt, dum ſtudioſius perlegunt atque cum natura conferunt. Non omiſit tamen Ill. Auctor recenſionem earum arteriarum, quae ad exteriores oculi partes pertingunt, et vaſa ſunt acceſſoria. Perſequutus itaque eſt ramos arteriae infraorbitalis, nec non temporalis, atque angularis. In quibus omnibus expoſitionibus id praecipue ſibi praefixum habuit, ut vel aliorum animaduerſiones, quae naturae non reſpondent, emendaret, vel confirmaret.

Icones his arteriarum oculi explanationibus in tabula ſeptima ſubiunctae omnes eas tum externas, tum internas accurate ſiſtunt, nec non coniunctiones per anaſtomoſes varias, atque in omnibus tunicis decurſus elegantiſſime ante oculos ponunt.

III.

III.

Der monathlich herausgegebenen Inſecten-Beluſtigungen erſter Nachtrag, in welchem verſchiedene zu dem bereits herausgekommenen Claſſen gehörige Inſecten, mit ihrem Urſprunge, Verwandlung und allen wunderbaren Eigenſchaften aus eigener Erfahrung beſchrieben, und in ſauber illuminirten Kupfern nach dem Leben abgebildet vorgeſtellet werden von AVGVST IOHANN RÖSEL, *Miniatur-Mahler. Nürnberg,* 1747. 4. 2 *Alph. und* 85 *Kupertafeln.*

hoc eſt:

Supplementum primum deliciarum, menſtruo ſpatio editarum, ex conſideratione inſectorum enatarum, in quo varia inſecta ad claſſes iam deſcriptas pertinentia, quoad originem, metamorphoſes aliasque qualitates ex propria experientia deſcribuntur et figuris, coloribus pictis viuum exemplar imitantibus, proponuntur, auctore AVG. IOH. ROESELIO, pictore.

Quamuis annus, quem titulus huius libri indicat, in noſtrorum laborum tempus non incidat, praefixum tamen nobis terminum denuo laedere ipſa huius tractationis dignitas aeque ac elegantia nos monet, putamusque aequum lectorem amori in patrios profectus aliquid eſſe daturum, quum in hoc ſcientiarum genere, ab exteris editos dum euoluimus commentarios, huius laboris cognitionem ad eos non perueniſſe, ſaepe inueniamus. Accedit et hoc, quod nondum ad finem deductum ſit hoc ſupplementum atque ea propter ad recentiſſima poſſit ſcripta referri. Neque tamen plus Cl. Auctoris ſtudio nos tribuere,

ac veritas poſtulat, ii iudicabunt, quibus nitida eius ranarum hiſtoria, alibi a nobis laudata *, non eſt incognita. Liceat vero, dum de ſupplemento iam nobis dicendum eſt, totius operis telam a primis eius initiis pertexere.

A longinquo iam tempore inſectorum capiebatur amoribus Cl. Auctor, et eorum etiam faciebat ectypos, qui dum accurati eſſe obſeruabantur, aliorum incitatus perſuaſione publice eosdem edere inducebatur. Sed, quod ſine explicationibus, quibus ea, quae in iconibus ſiſti nequeunt, dilucidantur, ſperata utilitas obtineri non potuiſſet, in emendando ſtylo, addendisque iisdem explicationibus poſt Cl. Auctori adſtitit D. G. E. HVTH, Norimbergenſium medicus eruditus. Factum hoc eſt anno huius ſeculi quadrageſimo primo. Quoniam vero de ſuſcepti laboris ſucceſſu in anteceſſum iudicium formari non poterat, nec de eo quidem poterat cogitari, ut in ſyſtematicum ordinem redacta proponantur inſecta, interim paullo poſt coniunxit inter ſe, quae characterum indoles ſibi volebat vicina eſſe. Papiliones, utpote colorum varietate et elegantia allicientes ſenſus, primo itaque illuſtrabantur loco, ſed, quum et illi, et erucae, horum anteceſſores, ubique ſufficienter non cognoſcerentur, ad alia ſe conuertere inſecta cogebatur. Primus itaque tomus anno huius ſeculi quadrageſimo ſexto ad finem iam properabat, cuius vero contenta, quae titulus maximam partem explanat, qui cum ſuperius notato fere conuenit, hic breuiter adducere non dubitamus. Eſt vero titulus hic:

Der monathlich herausgegebenen Inſecten - Beluſtigungen erſter Theil, in welchem die in ſechs Claſſen eingetheilten Papilionen mit ihrem Urſprung, Verwandelung und allen wunderbaren Eigenſchaf-

* vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 85.

genſchaften aus eigener Erfahrung beſchrieben, und in ſauber illuminirten Kupfern nach dem Leben abgebildet vorgeſtellet werden. Nürnberg, bey dem Verfaſſer, 1746. 4.

id eſt:

Deliciarum, ex inſectorum contemplatione, per menſes euulgatarum, Pars prima.

Addita huic tomo praefatio, utilitates inſectorum exponit, eorum naturam indagat et diuiſionis rationem perpendit. Collectiones illae ſex, ex quibus hic tomus conſtat, ſequentia continent: prima nimirum collectio, quae octo plagulas complet, et tabulas decem, primam papilionum claſſem ſiſtit, qui omnes pilos habent faſciculatos, germ. *Dornraupen*, et ſunt vel gregarii vel ſolitarii. De harum vero deſcriptione et deinceps de omnibus ſimul valere notamus, ſi fieri potuit, ſingulorum mutationes ab ouo exponi et delineari, nec non partes ſingulares, nudo vel armato oculo obuias, prout v. c. ſunt plumae vel pili papilionum, eorum erucae, chryſalides, folliculi, papilionum ſuperficies ſuperior et inferior et ſic porro, vel etiam aliquando inſectorum declaratorum anatome. Secunda collectio in octo itidem plagulis et decem tabulis explicata, alteram claſſem tradit papilionum vel laeuium vel leuiter piloſorum. Tertia octo plagularum et tabularum phalaenas exhibet, earumque primam claſſem, quae ex erucis in cauda cornutis et glabris fiunt: quarta collectio, triginta nouem plagulis et ſexaginta tribus tabulis, in altera claſſe phalaenarum, mixtas oſtendit, quarum maxima pars piloſa eſt vel pilis faſciculatis ornata. Quinta collectio in ſex plagulis tredecimque tabulis deſcribit geometras et *baculiformes* REAVMVRII, quae tertiam claſſem conſtituunt, earum vero paucae adducuntur. Sexta tandem plagularum ſex, tabularum decem et ſeptem, quartam claſſem ſiſtit, quae complectitur

plectitur erucas, folia conuoluentes et eas, ex quibus phalaenae minores, *Motten*, prodeunt. His iunguntur eae, quae in fructibus et gemmis reſident. Huic etiam tomo index rerum notabilium additur, praefationes vero ſpeciales, generalia momenta continent, ad notitiam deſcriptorum inſectorum pertinentia.

Paulo poſt coepit alter tomus prodire:

Der monathlich herausgegebenen Inſecten-Beluſtigen zweyter Theil etc. welcher acht Claſſen verſchiedener, ſowohl inlændiſcher als auch einiger auslændiſcher Inſecten enthælt. Nürnberg, 1749. 4.

hoc eſt:

Deliciarum ex inſectorum contemplatione enatarum et per menſes euulgatarum, Pars altera.

Verum, quod in titulo huius anni et illo ſupplementi differentia eſt, tenendum erit, illum tomum ante huius initium fuiſſe quidem inceptum, eo demum tempore, quod ſignificatur, ad finem deductum. Praefamen generalia de ſcarabaeis continet et exoticas quasdam eorum ſpecies recenſet delineatque, in plagulis quatuor atque duabus tabulis. Sequuntur deinde ſcarabaei noſtrates, in duas iterum claſſes diſtributi, primo quidem terreſtres nouem plagulas et tot tabulas complent, deinde inſecta aquatica, eorumque denuo duae claſſes, quarum prima quatuor plagulas et tabulas, altera decem plagulas cum tabulis ſedecim explet. De ſcarabaeis in uniuerſum agens Cl. Auctor, eorum ſeptem diuerſa genera, a variis, quibus interdiſtinguuntur, conditionibus conſtitui poſſe putat, nempe terreſtres, qui in terra plerumque viuunt, deinde lignorum incolas, ſeu cerambyces, in foliis porro habitantes, alios, qui proboſcide inſtruuntur, alios elaſticos, motu vehementi

menti corpus attollentes, tandem ſtercorarios atque rapaces, ex rapina qui victitant. Horum generum aliqua ſpecimina adduntur et deinde inſecta aquatica deſcribuntur. Prima claſſis ex his recenſet ſcarabaeos aquaticos eorumque ab ouo admirandam metamorphoſin, hi vero plerumque in aquis habitare ſolent, nec niſi per continentem ex palude uno in alium iter facientes facile occurrunt: Secunda claſſis ſiſtit primo nymphas ſeu libellas, in quarum alis, expanſis et variis reticulis vaſorum inſtructis, Auctor aliquam cum ſemine aceris ſe inueniſſe conuenientiam arbitratus, eam ante oculos poſiturus, aceris ſeminum delineationem addidit et cum his inſectis comparationem inſtituit, has excipiunt alia, ut ephemerum et erucae variae aquaticae, inter quas ſunt, quae in domuncula viuunt illudque ubique ſecum circumferunt. Proximo loco ab his locuſtae atque grylli conſtituuntur, inſimul etiam plurimae exoticae cicadae et locuſtae, deinde indigenae et gryllotalpa depinguntur, nec non laternarius ſcarabaeus, quem vocant, ſeu cicada laternaria, Americana itidem ac minor quaedam Aſiatica, hic deprehenditur et locuſtarum gregariarum deſcriptio occurrit. Tabulae huc pertinentes triginta, in plagulis viginti octo deſcribuntur. Ab his tranſitus eſt ad bombylios et veſpas noſtrates, quarum tredecim tabulae ſunt, et deſcriptionis plagulae nouem. Pro ſua quidem cognitione ſuppeditat Cl. Auctor tria veſparum genera, gregarias nimirum, foliorum veſpas et ichneumones, quas *Vipper-Weſpen,* germanice appellat, ſiquidem iis IUNGIUS vibrantium dederat nomen. In gallis vero ſeu tuberculis quercuum inuenienda inſecta huc accedunt, et ex diuerſis hiſce generibus ſpecimina aliqua, alia enim in ſupplemento ſequuntur, exponuntur. Vltimo tandem loco culices ſeu tipulae et muſcae variae ſeptem plagulis decemque tabulis obueniunt, inter priores eſt pulex. Vermes aquatici in tipulam conuertendi,

muſcae

muſcae ſtercorariae, quae a foetore ſtapeliae alliciuntur, huc referuntur et ipſius ſtapeliae cum flore icon adiicitur. Nec in hoc tomo diſſectionis deſunt ſpecimina et index aliquis, ut prioris tomi, praecipua continens momenta, finem eius facit.

Iam itaque ad ſupplementum properamus, quod ex variis claſſibus, in ſuperioribus tomis propoſitis, noua ſpecimina adiungit. Erucarum magna eſt copia, papilionum etiam et phalaenarum, ex his proce-
p. 5. dentium, mira colorum varietate ludentium. Obſeruamus v. c. phalaenam ex eruca, Iaſmino flore albo inhaerente, quae maculam habet caput mortuum referentem. Rara haec eſt, hic quidem non prima
p. 17. vice, fuſius tamen propoſita. Porro geometram magnam ex albo fuſcam, undulatis ſtriis inſignitam,
p. 21. aculeis et tuberculis notatam, ex Roſa de Iericho, nec non phalaenam ex eruca Liguſtri, viridi, caudata in latere ſeptem paribus linearum obliquarum partim
p. 37. purpurearum, partim albarum, picta. Itidem erucas quasdam, in poſteriore parte cornutas, et hiſtoriam fuſam atque anatomen erucae ex moro, ex qua bom-
p. 101. byx fit. Superſedemus recenſione permultarum erucarum, quae deinde adduntur, ampla vero eſt *formicae-leonis* hiſtoria, in qua eius geneſis, metamorphoſis in libellam moresque accurate traduntur, nec non obſeruationes quaedam Reaumurianae emen-
p. 133. dantur. Inter *cimices aquaticos* alios lato alios anguſto corpore inſtrui docetur et paulo poſt cimex magnus aquaticus Surinamenſis delineatur, huius autem icon ex MERIANAE inſectis deſumta, ſecundum exem-
p. 149. plum ſiccum emendatior ſiſtitur. Interſperſa his protenus exiſtit aranea aquatica minor rubra, nigris lineis notata, quam excipiunt varii demum cimices, apud nos vulgares, quo facto eorum hiſtoria magis
p. 251. redditur completa. Poſt varios porro papiliones veſpae gallarum earundemque metamorphoſeos momenta recenſentur, iterumque papiliones varii ſequuntur,

quuntur, inter quos praecipue attentione digna eſt deſcriptio papilionis, coloribus variantis, Iris vulgo dicti, cuius ſcilicet alae pro diuerſo oculi inſpicientis poſitu coeruleae vel fuſcae apparent, quippe cum priſmaticas habeant eminentias transuerſas, utrinque aliter coloratas hinc etiam diuerſas oculo imagines ſiſtentes. A papilionibus atque phalaenis et veſpa p. 305. gallarum, quae ad inferiorem ſuperficiem foliorum quercus poſitae reperitur, conſideratio ad aſtacos procedit, quibus minor marinus, noſtris *Seekrabbe* dictus, adiungitur. Inter ſcorpiones, qui aliquam p. 361. cum his affinitatem habent, minimus, orientalis et italicus eſt, ſed, quo varietati lectorum placeat, mox vermes, coryli in nuce habitantes ac inde pro- p. 385. ductus ſcarabaeus roſtratus et varietates multae papilionum et phalaenarum explanantur. Tandem libel- p. 433. li inſtar ſingularis, hiſtoria polyporum aquarum dulcium legitur, in qua enucleanda adhuc deſudat Cl. Auctor. Eſt enim appendicis inſtar addita et ſeparatim haberi poteſt, ad finem vero deducta ſupplemento huic ſimul terminum ponet. Recenſentur varia genera horum inſectorum, nec non diuerſa TREMBLEII tentamina a Cl. Auctore repetita, licet non ſemper eodem cum ſucceſſu. Nihilo tamen ſecius a ſuſcepto labore recedere animus illi non eſt, ſed de araneis, cochleis, lumbricis aliisque erucis et papilionibus in poſterum ſe acturum eſſe promittit.

Quum vero de omnibus, quae in hoc ſupple- p. 211. mento continentur, inſectis fuſius exponere animus non ſit, nec facile poſſit ſine iconibus in horum corporum deſcriptionibus quidquam intelligi, nunc demum, ut modum, quem in declarandis iis ſeruauit Cl. Auctor, noſtris etiam lectoribus monſtremus, quaedam ſpeciminis loco tantum adducere liceat.

Gallas itaque quercubus adhaerentes inter alia perueſtigauit Noſter et primo quidem de iis egit, quae in alis foliorum ſedentes ex trunco vel ramo protu-

berare

berare ſolent. Qua occaſione variae quod ſunt Gallarum ſpecies, ſedula obſeruatione ſe ſeptem eorum cognouiſſe ſcribit. Magna et rotunda galla eſt haec prior, de qua iam diſſeritur, altera rotunda, ſed minor, ſuperficiei auerſae foliorum adnaſcitur, tertia ex eodem loco prorumpens, vix piſum magnitudine aequat; quarta hemiſphaerica et compreſſa eſt, plana ſua ſuperficie folio ſubtus adnectitur et ante maturitatem ſtrias transuerſas, rubras, eminentes, aſperas, ex fundo luteo prouenientes, oſtendit, piſo dimidiato vix maior; quinta aggregata umbellae ſimilis, a REAVMVRIO cum Cinara comparatur extremoque ramulo inſidet, ſexta ex fructibus quercus enaſcitur, ſeptima ſpongioſae magis naturae ramulorum etiam apicibus inhaeret, fuſca et hirſuta eſt.

De priori autem genere in tabula ſiſtit diuerſas a primo initio ad maturitatis terminum factas in magnitudine differentias, quo temporis etiam interuallo color mutatur ex viridi in luteum, ochrae ſimilem, tranſeuntem. Interior ſubſtantia ex fibris conſtat et celluloſa eſt et ſuccis abundat, fibrae vero radii inſtar ex medio centro in ambitum deferuntur. Deinde in medio puncto vermiculum tenerum inuenit Cl. Auctor; ſi vero, quod non raro fit, plures vermiculi ſimul increſcant, unusquisque eorum ſingularem ſuam, ſed a centro ad latera remotam, obtinebat ſtationem, ſingulam ab altera ſepto intercedente diſtinctam. Vermiculi porro, hic latentis, incrementum, ſenſim factum, deſcribitur, coloris etiam mutationes adducuntur et in veſpam metamorphoſis. Huius ſexus ex magnitudine cognoſcitur et femina aculeo armatur, qui in vagina ad inferiorem abdominis locum, quippe quod facile maximam veſpae partem conſtituit, continetur, longus ille eſt et per radicis protruſionem maxime exſeri poteſt, ad finem autem hamatus conſpicitur. Inuenit etiam Cl. Auctor oua in abdomine, fluido viſcido inhaerentia, pyriformia, quae mediante

iam

iam dicto aculeo in gemmas adhuc teneras, quas veſpa pertundit, deponuntur et ibidem creſcunt.

Paulo poſt alteram ſpeciem eodem modo diſquirit, quae non niſi loco natiuitatis a prima differt, vermis autem intus deliteſcens, loco proboſcidis (*Zangengebis*) in priori obſeruati, tantum papilla inſtruebatur. Deſcribit itaque Cl. Auctor et hic in chryſalidem metamorphoſin, ex qua proueniens veſpa ſaepe per totam hyemem perdurat, haec autem ex fuſco nigricante et ſplendente praedita eſt abdomine, alis longis atque antennis protractioribus et aculeo deſtituitur. Oua oualia ſunt et duabus appendicibus, folia imitantibus, ornata, quorum formam aliquando ipſis gallis differentem figuram dare poſſe ſuſpicatur. In fine huius diſquiſitionis alius veſpae ſpeciem delineat et deſcribit, quae REAVMVRIO notante ſaepe in gallis deliteſcens obſeruatur. p. 291.

Deinde quartum ſupra nominatum genus explicare pergit. Vermis intus latitans admodum exiguus totam per hyemem immutatus viuit plerumque, ſimul cum foliis labentibus decedunt gallae, et primo demum vere veſpa egreditur. Maligno autem accidit Cl. Auctori fato, ut loco gallae veſpae non niſi ichneumonem, quem deſcribit atque pingit, obtineret. p. 403.

Aſtacorum deinde diſquiſitionem ſuſcepit talem, ut non externas tantum notas et differentias exprimeret, ſed interiorem quoque ſtructuram diſſecando rimaretur Cl. Auctor, quam quidem ad ſuſcipienda eius modi negotia dexteritatem in opere ranarum admirati fuimus. Rationem itaque reddit, qua propter aſtacum ad inſecta cum LINNAEO aliisque rerum naturalium indagatoribus referat, nimirum, quod oſſibus deſtituatur, et os transuerſim apertum habeat, oculos palpebris non tegat, ſed eosdem priſmaticos et in varias politas ſuperficieculas diſtinctos habeat et tandem aerem non per nares, ſed per alia ſpiracula trahat. p. 305.

 Dupli-

Duplicem autem aſtaci noſtratis ſpeciem eſſe aſſerit,
fluuiatilem nimirum, in vulgus cognitum et mino-
rem chelis diſtinctum. Ad propagationem ſuſcipien-
dam tertio demum anno aptos eſſe cenſet Cl. Au-
ctor, cui tempus a nouembri menſe ad aprilem deſti-
natum eſt. Mas, magnitudine chelarum cauda mi-
nus lata primo intuitu a femina diſtinguitur. In
aſtaco autem in genere caput anterius acuminatum
eſt, corpus oblongum, cauda craſſa, decemque pe-
p. 312. dibus inſtruitur. Caput ad mediam ſcuti partem
pertingit, quae transuerſa linea diſtinguitur, os eius
in hoc loco inferius conſtituitur, cui immediate ven-
triculus ſupereſt, antice in cuſpidem deſinit, cui a
latere duo minores adſtant, deinde oculi et antennae
duae praelongae articulatae, quatuor minores ſub his
oculi, quos ſeparatim delineat Cl. Auctor, emiſſiles
ſunt, exterior haemiſphaerica nigra tunica, cornea
dicenda, inſiſtit alii retrorſum productae, quam ſcle-
roticam nominare poſſemus, poſterius in neruum
opticum propagatur, vitreus etiam cum cryſtallino
humor ineſt, qui poſterior tamen nigricans eſſe de-
prehenditur. Reliquum ſcutum mera cruſta eſt, par-
tes contegens ſubiectas. Cauda ex quinque articulis
conſtat mobilibus, poſtice in eius modi iuxta ſe con-
ſtitutas ſquamas deſinens. Pedes decem numero in
tribus anterioribus paribus in chelas deſinunt, quae
vero in primo pare robuſtiſſimae ſunt, duo poſtrema
paria vero ſimplici unco terminantur, quibus adiu-
mentis tum ad retinendum ſe, tum ad capiendos ci-
p. 315. bos et defenſionem ſuſcipiendam adaptatur. In in-
uerſo aſtaco praeter iam dictas capitis partes duos ma-
iores dentes conſpicimus, ſub quibus gula eſt, et
tres mobiles partes ad depurandos dentes, ut vide-
tur, datae, nec non duae productiones, pedibus
minoribus non abſimiles, ex quatuor articulis com-
poſitae, pilis inſtructae, quae vero ingreſſum non
iuuant, et alimentis recipiendis ſimul deſtinantur, ab
horum

horum exortu filum etiam propagatur, incertae utilitatis, ſub quo articulatio priorum pedum obſeruatur. In ſexu porro haec differentia eſt, quod in mare ad articulationem duorum ultimorum pedum veſiculae ſeminales, in femina vero ad tertium pedum par intra eundem locum ouale orificium, tenera et eminente pellicula clauſum, detegatur. Sub cauda deinde differentia annotatur; mas enim tria tantum paria minorum pedum, femina quinque eorum partibus ſquamoſis caudae inhaerentium obtinet. Coeundi mos hactenus detegi tamen non potuit. Vltima tandem ſquama caudae inferius aperturam habet, in utroque ſexu, qua inteſtina terminantur. Pedes vero minores in femina retinendis ouis inſeruiunt.

His itaque abſolutis, ad internarum partium ſtructuram conſiderandam ſe conuertit Cl. Auctor, quae eas praecipue confirmant obſeruationes vel emendant, quas de illis partibus propoſuit LVC. ANTON. PORTIVS *. Monet autem, ſe ex multiplicibus ſubiectis deſcriptionem, ſaepe inſtituta perueſtigatione, deſumſiſſe, ut eo accuratior euaſerit. Remoto eam ob cauſam ſcuto pectorali et ſquamis caudae cerebrum anterius detegitur, pone quod utrinque cauitas conſpicitur, quae ſedes lapidum cancrorum eſt, hyeme vero viridi materia repleta. Retro hanc crotaphites muſculus, WILLISIO dictus, obſeruatur, ſuperius latior, inferius in tendinem abiens, in dentes vero, quorum mentionem fecimus, inſeritur. Horum latera comprehendit materia lutea ab Cl. Auctore cum teſticulis communicare viſa, quae vero paullo exterius foramine pertunditur, in quo membranacea expanſio in fimbriam laciniata, mobilis perpetuo obſeruatur et ſub ſe varias ſquamas teneras, foliaceas quaſi, habet, quibus eandem, ac branchiis piſcium naturam et uſum vulgo, et recte forte, adſcribunt. Intus vero infra hanc ſubſtantiam ventriculus maio- p. 332.

 rem

* vid. Ephemerid. Nat. Curioſ. Dec. II. An. 6. p. 48.

rem tamen partem in capite collocatur, membranaceus quidem ille, ad fundum vero muſculo ſatis craſſo armatus eſt, et intus dentibus inſtructus tribus; ſupra ſe poſitum obtinet, materia amara plenum, bilis receptaculum, inferius in gulam aperitur, poſterius in inteſtinum rectum, omnem longitudinem caudae emetiens, terminatur. Sub hoc duo oblonga glanduloſa corpora in conſpectum veniunt, teſtes conſtituentia, quibus cor ſubeſt, ex quo anterius tria vaſa egrediuntur, poſterius unum, per omnem caudam progrediens, aliud nodoſum vero vas ſub cauda iterum adſcendit ad cor. Ad cordis inferiorem locum conuoluta vaſa ſpermatica inueniuntur. De quibus partibus, utriuſque ſexus, naturalibus adhuc obſeruationes aliquas ſubiungit Cl. Auctor. Praeterimus enim, quae de vermibus, in aſtacis nidulantibus, diſſerit. Ad maris partes itaque teſticuli pertinent, ſuperius ampli et quaſi ex duplici parte conſtantes, inferius, ubi ſub corde poſiti ſunt, in anguſtiorem coecum canalem deſinentes, ex quo magna tenuium canalium, intortorum vario modo, ſeries decurrit, unico tamen producto ramo circa pedes poſteriores deſinens, verumque ſperma excernens. In femina eundem locum occupat ouarium, itidem in tres partes diuiſum, quarum duae ſuperius linea media diuiſae, unum inferius deorſum pendet. Oua intus haerentia magnitudine variant, et per continuatos ouiductus ad medios pedes deferuntur, qui ibidem orificio utrinque uno hiant. Per quod oua ſic emittuntur, ut ſingulum filo glutinoſo adhaereat, quae ratio eſt, quapropter illa pedibus adglutinari et tuto deliteſcere poſſint. Microſcopium in his membranam inuoluentem et varii coloris puncta detegit: egreſſum vero pulli non obſeruauit Cl. Auctor, licet eos viuentes, dictis adhuc locis inhaerentes, ſaepe deprehendamus. De ouario ſimul monet, illud forte in ouarium et uterum diuidi poſſe, quum praeter

matura

matura oua, ſemper minora adſint, futurae demum propagationi deſtinata. In maioribus aſtacis marinis, quos etiam diſquiſiuit Noſter, nulla ab his diſcrepantia. Lapidum cancrorum uſum admodum incertum pronunciat et, quod ad nouam cruſtam inducendam nihil conferant, variis argumentis comprobat, et de regeneratione teſtae atque chelarum ſic diſſerit, ut aliquam cum polypis et vegetabilibus analogiam intercedere doceat, ſimulque monſtroſas aliquas deprehenſas conformationes deſcribat atque depingat.

Haec autem de aſtaco ſpeciminis loco breuiter declaraſſe ſufficiant, quum ex iis haud aegre poſſit cognoſci, quanta cum attentione partes pro ſua cognitione ſoleat rimari Cl. Auctor. Coloribus autem, quod inſignitas propoſuit icones, omnibus iis gratam praeſtitit operam, qui pari ſedulitate eius generis corpora naturalia indagant. Pro certo enim affirmare licet, nihil hic ficti et quod naturae non reſpondeat, fuiſſe additum. Quodſi vero ex ſedula comparatione alii etiam differentias notare non neglexerint, nulli dubitamus, fore, ut in poſterum ex varietatum conſideratione, quid verum genus efficiat et ſpecies genuinas conſtituat, ſit palam futurum. Interim, quo pro valetudinis ratione et huic operi ſuaeque voluntati ſatisfacere poſſit Auctor, optamus.

IV.

Diſſertatio inauguralis, de Caſſauae, amarae, Surinamenſis, radice, auctore HENR. NICOL. HERBERT, a nobiliſſima Surinamenſis Coloniae ſocietate conſtituto, noſodochii in Paramaribo et militiae in Surinam medico ordinario. Marburgi, 1753. 4. pl. 3.

Suam quoque venenorum diſquiſitio ſibi vindicat utilitatem, ut ab iis cognitis cauere nobis queamus melius. Hinc ſuam, quam in Caſſauae amarae radice inquirenda poſuit, operam haud perdidit Cl.
p. 3. Auctor. Ipſe vero in prooemio pleniorem endemiorum morborum Surinamenſium hiſtoriam alio tempore ſe editurum pollicitus, ad ipſam progreditur tractationem, enarratque aliorum de hac radice ſententias. GVILIELMVS PISO primus quidem, obſcure tamen de venenata, fuſe de alimentoſa facultate et praeparationibus huius, quam Mandihocam vocat, radicis diſſeruit. PISONIS verba exſcripſit RAIVS. Patres DV TERTRE et LABAT multa compilarunt, at experimentis non comprobata certis. Neque dictionarium uniuerſale medicum IAMESII praeter PISONIS verba aliud quid habet. BARRERE in deſcriptione Guyanae, Mandihocae vel Caſſauae radicem innoxiam, ſuccum vero expreſſum animalibus, praecipue iumentis, mortiferum eſſe ſcripſit, ſed experientia repugnat. Reliqui auctores nihil tradidere noui; hinc de vera indole radicis venenoſa altum adhuc eſt penes ſcriptores omnes fere ſilentium *. Suas iam adfert obſeruationes Cl. Auctor,

* Optandum quidem fuiſſet, ut de Caſſaua utraque veras et botanicas quasdam notas, quales rei vegetabilis ſcientia noſtris temporibus ſuggerit, certiores addere voluiſſet Cl. Auctor, cuius tamen ſufficienti diſquiſi-

ctor, quibus cogitata atque dubia de actionis veneni modo addit, tandemque popularia quaedam dicta adiungit.

diſquiſitione, forte ob librorum etiam in iis, in quibus degebat, terris defectum, deſtitutus fuit. Haec autem ratio eſt, ut a Cl. MATY in diario: *Iournal britannique pour le mois de Mai et de Iuin 1754. à la Haye.* 1754. 12. poſt breuem illius, quam iam adducimus, diſquiſitionis, a Cl. HERBERT communicatae per epiſtolam, recenſionem dubitationes quaedam additae fuerint. Notat nimirum Cl. BARRERE *dans ſon eſſai de la France équinoctiale* p. 75. exſiccatam radicem ſine noxae metu adſumi poſſe, hinc quaerit, an non exſiccatio idem valere poſſit, ac expreſſio? Verum, ni fallimur, expreſſo etiam ſucco, reſiduae adhuc volatiles partes, in corpus humanum ingeſtae, poſſunt noxam excitare. Deinde Cl. Auctorem reprehendit, quod veros characteres botanicos plantae ſuae et differentiam amarae atque dulcis non addiderit, cum inter Auctores nec de nomine imponendo inueniatur conſenſus. Qua in re utique nos etiam ipſi adſtipulamur, in primis cum in patrio ſolo ſaepe diſquirendi eam plantam ipſi Cl. Auctori data fuerit opportunitas, in exteris locis autem ubertas eam ſtudioſe conſiderandi non detur. En! aliquam diuerſorum nominum copiam! Vocatur *Caſſaua: Arbor ſucco venenato, radice eſculenta* C. B. pin. 512. *Manihot* THEVETI, *Yucca et Caſſaui* I. B. II. 794. TOVRN. 658. *Hiucca ſeu Mandioca, ex qua Caſſaui fit.* PARK. Theatr. 1624. *Hiucca ſeu Mizmaitl.* HERNANDEZ Mexic. 378. *Manihot Indorum, ſeu Yucca foliis cannabinis* C. B. pin. 90. PLVK. Almag. 241. t. 205. f. 1. *Manihot ſeu Manyot.* MERIAN. Surinam. 4. fig. 4. 5. *Manhiiba et Mandiiba Braſilienſibus, cuius radix Mandiboca* PIS. et MARCGRAV. 65. *Yucca Braſiliana et americana ſtellato folio mucronato* MVNTING. Aardgew. 663. *Ricinus fariinifera heptaphyllos, ex cuius radice venenata placentas et panem conficiunt Americani* PLVK. Mantiſſ. 161. *Ricinus americanus pentaphyllos, radiis foliorum integris, ſubtus glaucis, Caſſaua Barbadenſibus dictus* MORIS. H. Oxon. III. 348. *Ricinus minor, viticis obtuſo*

p. 6. Duae ſpecies radicis Mandihocae ſeu Caſſauae ſunt in Surinam, altera amara, altera dulcis; et praeter radicem vix a ſe differunt. Nam radix amarae Caſſauae tardius matureſcit, ac dulcis; fortior et ingratior eius eſt odor; cortex multo rudior; radix ipſa grandior et longior, ac dulcis; in hac vero media filamentum quoddam calami craſſitiem, in amara id vix cannabis filum aequat. Amaram ſolam colunt indigenae: coloni vero dulcem praeferunt. Dulcis Caſſauae radix recens et toſta innoxia eſt, palatoque placet; ſuccus eius itidem: Amarae autem radix cocta vel cruda comeſta, niſi vomitu reddatur, homines et quadrupedia breui interficit; ſuccus recens crudusque idem efficit, fermentatus vero vel igne coctus *, amiſſa vi mortifera, addito pipere, euadit condimentum, *Caſſirippo* Indis dictum. Volatiles igitur venenum habet particulas, quas ignis et fermentatio auolare facit. Modum operandi veneni experimenta, in animalibus facta, docent. Canis et
p. 8. felis iunior, illico ab adſumto ſucco conuulſi, poſt pauca

obtuſo folio, caule verrucoſo, flore pentapetalo albido, ex cuius radice tuberoſa, ſucco venenato turgida, americani panen conficiunt. SLOANE Iamaic. 41. Hiſt. I. p. 130. t. 85. Vt alios iam taceamus, quippe cum iam ex his pateat, partim non viſam, partim non accurate diſquiſitam ab adductis viris plantam fuiſſe. Ex recentioribus ſolus eſt LINNAEVS, qui ex datis characteribus Iatrophae generi eam addiderit nominaueritque: *Iatropham foliis palmatis, lobis lanceolatis, integerrimis, laeuibus*, Spec. p. 1007. An itaque in externa facie diuerſitas? deſcribant, qui viderint.

* Cum itaque igne mutari ſucci vim corrigique adſerat Cl. Auctor, miratur Cl. MATY l. c. quare decem guttae aquae deſtillatae et quinque rectificatae eandem virtutem exercere potuerint, ac ſexaginta ſucci. Tentandum fuiſſet, quid iidem liquores, aequali doſi dati, praeſtiterint. Id certe efficaciam remedii accuratius determinandi dediſſet anſam.

pauca minuta exſpirarunt. Felis maior, ab ſucci drachmis tribus hauſtis, poſt vomendi conatus, titubans, conuulſa periit. Canis maior vomitu mox reiecit ſuccum, ſed ab hoc infuſo iterum poſt varia ſymptomata vitam efflauit. In horum cadauerum ventriculis ſucci eadem quantitas idemque color ſe exhibuit, nulla adroſio, nulla inflammatio; cetera viſa ſunt potius conuulſionum effectus, quam veneni. Succus itaque non vi rodente, nec coagulante ſanguinem, ſed neruis ſtomachalibus et per conſenſum ceteris omnibus inimica nocet; id, quod experimenta alia euincunt. Canis ab infuſo repetitis vicibus ſucco, iterumque inter ſymptomata vehementiſſima reiecto, ſudauit multum, ſaliuauit, vomuit atque ad ſe rediit. Canis alius ſenex ab immiſſis aliquot ſucci unciis, vomitu iterum reiectis, poſt conuulſiones vehementiores conualuit. Atque haec repetita ſunt ſaepius in canibus experimenta. Canes poſt vomitum bene ſe habuere; feles vero, cum vomere non poſſent, interiere; ſaluatae tamen ſunt, oleo tepido in os iniecto, adiutoque ita vomitu; id, quod exemplo quodam confirmat Cl. Auctor. Auibus contra omnibus ſucci magna quantitas nihil nocuit; neque laeſit etiam in canibus et hominibus lumbricos, quin potius in nido, qui fuit in ſuccum hunc immiſſus, vixerunt plures dies et creuerunt. Succus porro, aeri expoſitus, nihil amittit virium; fermentatus contra vel coctus haud nocet, immo palato placet nutritque; neque damni quid adfert, ſi modo mox vomitu reiiciatur. Puer quidam afer comedere coepit radicis toſtae fruſtula, mox conuulſus, terram procubuit; oleo tamen tepido iniecto, iterum vomuit, et a ſe ſenſim rediit. Haec et aliis accidere ignorantibus. Praeter haec Cl. Auctor chemicum radicis examen ſuſcepit, atque ex octo libris raſurae recentis radicis deſtillauerunt liquoris pellucidi graueolentis unciae duodecim. Quarum uncias ſex ſepoſuit, reli- p. 14.

 quas

quas ſex rectificauit, atque ex his uncias duas obtinuit, reliquo turbido facto liquore. In experimentis factis uterque liquor, et rectificatus et prior fuit mitior, neque tantae virulentiae, ut expreſſus ſuccus. Vnde colligit in valde volatili parte conſiſtere venenum, mutarique in deſtillatione ab igne. Tandem de antidoto inueniendo ſollicitus, caſu detexit illud Cl. Auctor: Nimirum aquam menthae criſpae ſucco illi admiſcuit ad praecauendum vomitum, ſed nihil haec valuit; huic vero addito ſale abſinthii *, ſuccus euaſit innoxius, immo medicamenti inſtar fuit cani infirmo. Neque mira haec eſt vis ſalis abſinthii, cum Cl. DE LA CONDAMINE ſaccharum inuenerit veneni ſagittarum antidotum; cuius veneni hic ſimul mentionem iniicit **, eiusque virulentiae exemplum adfert Cl. HERBERT. Ex his effectus venenatae radicis colligit, quos ſupra in obſeruatis iam vidimus.

Conſtat inde, ſingulare hoc venenum eſſe, relatiuum, neque adrodens, neque inflammans, ſed ſolum neruos ſtomachi et per conſenſum ceteros omnes male adficiens. At vero obſcura eſt adhuc morborum generis neruoſi hiſtoria atque curatio; obſcura effectuum ſympathiae et antipathiae indoles, quorum exempla

* Sal alcalinus autem, quod venenum potenter eneruat, optat Cl. MATY ſcire, numne cum ſalibus hiſce hic ſuccus efferueſcat, an lac coagulet, et qualem ſyrupo violarum tribuat colorem? Porro num ſalia alcalica fixa et volatilia idem praeſtent? Tandem, cum Cll. LEMERY et BARRERE *le rocou* antidotum eſſe dicant, an id veritati reſpondeat?

** Conf. etiam Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 13. Hinc autem denuo Cl. MATY l. c. quaerit, anne hic ſuccus Caſſauae compoſitioni veneni ſagittarum admiſceatur? Deinde quosnam effectus vulneri immiſſus praeſtet? mortemne tunc adferat, an ſal abſinthii, ſimul admixtum, praeuertat effectus noxios? Quas quidem quaeſtiones omnes experientia ſola rite reſoluet, quae ut addatur ab iis, quibus diſquirendi copia datur, utique optamus.

exempla varia hic legimus. Neruorum conſenſui tribuendi ſunt illi effectus omnes; id, quod exemplo croci martis adſtringentis illuſtratur. Ita quoque ſuccus Caſſauae vix ubi attingit ſtomachi neruulos, mox conuulſiones totius corporis, vegeti antea, immo deſtructio ſequitur. Corpus contra ante paſtum p. 19.
male ſe habens, vix accepto cibo, vigorem rurſus ſuſcipit. Modus inde operandi cognitu difficilis aeque, ac ipſa curatio. Praeſtantior fere eſt Indorum per moxam et acupuncturam curatio empirica, teſtibus KAEMPFERO, TEN RHYNE, LVLLIERIO. Conſenſum hunc neruorum per plura exempla pergit Cl. Auctor illuſtrare. Syncopen ab odore corporis cuiusdam ingrato natam, tollit alius odor, priori contrarius. Ipſe habitualem epilepſiam curauit ligatura ſupra genu, neruulique in pedis pollice deſtructione facta. Hyſtericarum ventri iniectum vinculum praeſtat prae aliis remediis, cum uteri nerui male adfecti impediantur in conſenſum trahere ceteros. De cicutae aquaticae GESNERI vi ſimili in neruos ſtomachi WEPFERVM et BOERHAAVIVM teſtes adducit Cl. Auctor. Eiusdem naturae ſunt lauroceraſus, datura, nux vomica, hyoſcyamus. Eadem forte vis eſt opii, quod dolorem ſedat etiam remoti membri, in ventriculo licet adhuc ſit, vel vomitu reiiciatur; animae vero ecſtaſin vocare in auxilium eſt nodum diſcindere, non ſoluere. Dicta tandem quaedam popularia adhuc adduntur. Fama enim eſt venenum hoc diſtendere ad p. 23.
crepaturam uſque ventriculum, cui propter ea ligaturam ſtomachi et abdominis opponunt: ſed falſa eſt fama, ex defunctorum inſpectione nata, quorum tumor pendet potius ex humorum putredine, et ex ſupra obſeruatis non patet. Neque vis nutritiua extraordinaria eſt cauſa vera venenatae virtutis. Neque medicam foliorum pulueris contra radicis venenum virtutem, quam plures laudant, ullam unquam

quam vidit Cl. Auctor. Porro et dulcis Caſſauae vim letiferam non probauit experientia. Semina Caſſauae etiam fruſtra dicuntur antidotum. Raſura amarae Caſſauae laudatur externe ut reſoluens optimum, ſed in ſcirrho eam absque ſucceſſu Cl. HERBERT adhibuit.

V.

Hiſtoria febris anomalae Batauae, annorum 1746, 1747, 1748, etc. Accedunt monita ſiphylica. Auctore IACOBO GRAINGER, M.D. Edinburgi, 1753. 8. pagin. 196 ſin. praef. Monita pagin. 34.

Clariſſ. huius opuſculi auctor, non paruam inde meretur laudem, quod ex eo ſtatim tempore, quo medica in caſtris ſtipendia mereri coepit, caſus obuenientes ſtudioſe notandi finem ſibi religioſe propoſitum habuerit. Decima tertia enim Anglicarum copiarum legio, per totum illud, ante hos aliquod annos, in quibusdam Germaniae ac inferioris Belgii prouinciis, geſtum bellum, ipſius curae tradita fuit. In praefatione quoque, hunc librum iam ante hos tres annos exaratum exactumque, et eundem a primis in arte medica viris impreſſione dignum iudicatum, ſe vero grauibus negotiis implicitum a citiore publicatione impeditum fuiſſe monet, ſeque ea, quae in dicta decima tertia legione per annos 1746-1749 (priorum enim annorum obſeruationes inter Gandaui ſpolia perdidit) obſeruauerit, quaeque Cl. PRINGLE* aut latuerint, aut ab ipſo ob inſtituti breuitatem praetermiſſa fuerint, deſcripturum eſſe pollicetur. Totum opus in tres partes diuiſum deprehendimus. Prima

* Conf. quae de eius peregregio libro, cuius etiam germanica verſio Altenburgi 1754 prodiit, in Comment. noſtr. Vol. II. Part. III p. 393 ſeq. diximus.

Prima harum partium quinque capitibus abſoluitur, in quorum tribus prioribus febrem iſtam ſatis luculenter deſcribit, nullam tamen eius diagnoſin dari conqueritur, atque inter alia dira huius febris ſymptomata refert, uxorem cuiusdam praefecti anno p. 30.
1748 poſt aliquot huius morbi violentas acceſſiones tantum tamque immanem, ſomnum impedientem, labri ſuperioris pruritum cum rubore et cutis fiſſuris aridis, nullo vero tumore coniunctum inuaſiſſe, ut poſt varia alterantia, lacticinia, epiſpaſtica, ptyaliſmum et ſexcenta alia externa internaque incaſſum adhibita, non niſi libra ſemis aquae marinae omni mane ieiuno ventriculo epota mitigari, et ſetaceo in occipitio inciſo perque anni ſpatium unguentis idoneis digeſto, anno demum 1752 profligari potuerit. Ad- p. 48.
iecta tabula incrementum et diminutionem febris anno 1748 a die decimo tertio iulii ſtyli veteris, quo triginta quatuor aegrotarunt ad diem viceſimum ſecundum nouembris, quo Heluoeti nauem cum nouendecim reſiduis aegrotis conſcendit, ſingulis hebdomadibus ſiſtit. Velociſſimum incrementum a die viceſimo usque ad viceſimum ſeptimum iulii, in quo numerus aegrotorum a quadraginta duobus ad octoginta ſex adſcendit, obſeruamus, die triceſimo primo auguſti ad centum et triginta quinque peruenit, ex quo tempore ſenſim rurſus decreuit.

Secunda huius libri pars duodecim capitibus abſoluitur et totam morbi huius curationem una cum prophylaxi continet. Illa quidem parum a Cl. PRINGLE commendata lectoribusque noſtris cognita methodo abludit, et in larga repetitaque absque dierum indicio inſtituta venae ſectione, vel ſi fractae vires hanc vetent, hirudinum applicatione, in emeſi, catharſi, epiſpaſticis, cortice peruuiano etc. conſiſtit, varias tamen easque ab illo diuerſas ſententias ſouet. Sic vomitorium horroris tempore exhibet, eodem- p. 73.
que paroxyſmum ſaepe profligatum eſſe aſſerit. In

ea

ea ventriculi debilitate, qua potiones praeſertim te-
pidas faſtidioſus reiicit, inter alia corporis ſitum ere-
ctum, et ad ſyncopen, quae hinc oriri ſolet, arcen-
dam, ſalia volatilia naribus admouenda commendat.
Miris quoque laudibus aquam frigidiſſimam cochlea-
tim eius modi affectis ſitientibus datam extollit, variis-
que aliorum medicorum teſtimoniis ſententiam ſuam
p. 94. confirmare annititur. Eandem tamen in febrili pa-
roxyſmo bibendam non ſuadet, et ſudorem nimium
liquoribus egelidis, ſubacidis, induſiis ſiccis, nitidis,
frictione, ſurrectione e lecto quotidiana, corporis-
p. 104. que exercitio arcendum eſſe monet. Cortici peru-
uiano ſe in tabe dorſali nullum remedii genus aequi-
parandum inueniſſe, eodemque ſe epilepticum etiam
p. 127. curaſſe aſſerit. Bolum: Rec. Turpet. mineral. gran.
duo, Scammon. gran. quatuor, Camphor. ſcrup. ſemiſ-
ſem, M. mane datum in pectoris hydrope, qui inter-
dum aeque ac alia hydropis genera has febres inſe-
quatur, potenter aluum ducentem, vel urinae vel ſu-
doris quantitatem augentem cum leuamine inſigni,
nunquam inde orto vomitu, notauit; nimis frequen-
tem tamen huius boli repetitionem ideo vitandam eſ-
ſe monet, ne ptyaliſmus, in quem morbis hydropi-
cis laborantes admodum proni ſint, inde cieatur.
Amara in vino vel ſpiritu iuniperi cum tartaro vitrio-
lato huius curationem accelerare, porro ſcribit.

p. 140. Tertia tandem huius opuſculi pars viginti conti-
net caſus ſatis notabiles ſecundum ea, quae in ſecun-
da parte propoſuit curationis praecepta tractatos, qui
omnes ultimo excepto euaſerunt.

p. 1. In monitis ſiphylicis de modo excitandi ptyaliſ-
mum, et morbis inde pendentibus, quae ob grauia
quaedam obſeruata tironibus ſaltem haud vulgo nota
recudi curauit, ſic verſatur, ut primo diſquirat, in
quibusnam ſubiectis ſaliuatio locum habere poſſit, va-
riisque dein breuiter diſcuſſis ſputationem excitandi
methodis, ſuam parcae inunctionis methodum com-
mendet,

mendet, ſaliuationis incipientis progredientisque ſymptomata deſcribat, noxas, ab exceſſu caloris frigorisque ſaliuantium cubiculi oriundas, memoret, illudque ultra ſexaginta thermometri Fahrenheitiani gradum non calefieri debere moneat, et paucis de ſaliuantium regimine monitis, ſuperuenientia iisdem, eaque interdum ſatis grauia et funeſta ſymptomata una cum eorum praecautione et medela oſtendat, tandemque ſaliuatione rite peracta, ſe militem ſaepe pollicis dimidio, mane etiam, longitudine ſolenni breuiorem inueniſſe aſſerat. De reliquo vero nec in hiſce monitis, nec in febris anomalae pertractione aliquid noui deprehendimus; et licet ii non ſimus, qui aliorum laudi quicquam detrahere ſtudeant, non poſſumus tamen, quin fateamur, nos, poſt Cl. PRINGLE et ASTRVC labores, hoc libro facile carere potuiſſe; dictio quoque nec pura, nec genio latinae linguae ſatis accommodata, quin imo ne a vitiis quidem grammaticalibus prorſus libera deprehenditur.

VI.

A Treatiſe of the Scurvy. In three Parts; containing an inquiry into the Nature, Cauſes, and Cure, of that Diſeaſe. Together with a Critical and Chronological View of what has been publiſhed on the ſubject. By IAMES LIND, M. D. Fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh. Edinburgh: printed by Sands, Murray and Cochran: for A. Millar, 1753, 8. mai. pagg. 456. praef. pagg. 16.

hoc eſt:

De ſcorbuto liber, in tres partes diuiſus, eiusque morbi naturae, cauſarum atque curationis inueſtigationem continens. Accedit auctorum, qui de eo ſcripſerunt, criticus index atque chronologicus. Auctore IACOBO LIND.

Quo aliquis morbus ſolet eſſe magis corruptus vel certe complicatus, eo difficilior is quoque erit diiudicatu, eoque magis in explicanda eius natura diſſentire ſolent medici. Quae dicta, ſi umquam de corporis aliqua valent aegritudine, de ſcorbuto certiora ſunt quam certiſſima. Praeter id enim, quod omnes fere morbos, quorum indolem vel declarare nequeunt vel interdum quoque nolunt, eo nomine inſignire non raro ſolent medicorum aliqui, ipſa quoque vera eius natura, licet multum de ea ſcriptum fuerit, adeo detecta nondum eſt, ut amplius de illa dubitari non poſſit. Dirus interim ille morbus inſignem hominum, in primis nauticorum et qui ad maris degunt littora, copiam e medio tollit, adeo ut in ultimo, Anglos inter Gallos atque Hiſpanos exorto, bello illius vi plures, quam unitis ho-

ſtium

ſtium viribus, cecidiſſe Cl. Auctor aſſerat. Qua re commotus, ut modum, quo is ipſe eiusque funeſti euentus poſſint praeuerti, doceret, paulo accuratius in detegendam veram eius indolem inquiſiuit, recentiorum in primis auctorum ſtudio, qui de eo fidas annotarunt obſeruationes, quales potiſſimum in relatione itineris, ab Ill. ANSON circa terrarum orbem facti, a Cl. WALTER conſcripta continentur, aliorumque praeſertim chirurgorum, in regis nauibus olim ſtipendia meritorum, et ex his Cll. IVES et MVRRAY practicis obſeruationibus cum ipſo communicatis, ſuaque tandem, quum ipſe olim in nauibus officio chirurgi functus fuerit, experientia adiutus. Ita vero totum hoc pertractauit argumentum, ut in *prima* libri *parte* eiusque quatuor capitibus praecipuas, a variis huc uſque auctoribus conſcriptas, morbi huius hiſtorias, diuiſiones atque diſtinctiones critice enarraret, errores circa haec omnia ab iis commiſſos indigitando; porro ut in *ſecunda* eius *parte*, octo capitibus, veras eius morbi cauſas, ex ipſis in terra marique captis obſeruationibus erutas, cum ſignis eius diagnoſticis atque prognoſticis, prophylaxi, cura, theoria, iis inſuper, quae in cadaueribus eo morbo defunctorum obſeruata fuere, tandemque ſymptomatum explicatione inde deducta proponeret. In *tertia* denique libri *parte* bibliothecam quaſi exhibet ſcorbuticam dicendam, in qua nimirum vix non omnes a veteribus ad recentiſſimos uſque auctores, qui de ſcorbuto ſcripſerunt, ad temporis ordinem recenſet, ſcriptorum eorum epitome extracta et ſedulo exarata. Optimam omnino hanc eſſe viam, integrum aliquod exhauriendi argumentum, cuiuis facile patebit. Eandem quoque methodum in libro ſuo *de morbis venereis* ſecutum fuiſſe Cl. ASTRVC, inter omnes conſtat; nec eum quoque hac in re imitari voluiſſe Noſter negat.

p. 1. Primi, qui ex inſtituto ſcripſerunt de ſcorbuto, auctores, RONSSEVS, ECHTHIVS atque WIERVS, non accuratam ſolum ipſius morbi deſcriptionem, ſed et remediorum, quae vere antiſcorbutica dici merentur, notitiam exhibuere. Quamuis etiam WIERVS multa depromſerit ex ECHTHIO, varia tamen quoque noua atque certiora, quam hic, propoſuit: omni itaque iure illam, quam conſecutus fuerat, merebatur laudem, ita, ut eius *de ſcorbuto* diſſertatio, *medicis* ipſius *obſeruationibus* inſerta, primas inter omnes tueretur partes et ab omnibus fere ſubſequentibus auctoribus tantum exſcriberetur ad EVGALENI uſque tempora ſub initium ſuperioris ſeculi, quippe qui, quum numeroſiſſimam exerceret praxin, ipſiusque tempore quam latiſſime diffuſus iam eſſet iſte morbus, et, quod primo loco monendum erat, magnam in ſemet ipſo ſuaque morbos dignoſcendi peritia collocaret fiduciam, eamque de ſe praedicandi haud intermitteret occaſionem, libro ſuo ſatis inter omnes cognito, *de morbo ſcorbuto*, tantam adeptus fuit famam, ut is non ſaepe ſolum recuderetur, ſed a ſummis in arte viris ad noſtra uſque tempora optime de hoc argumento ſcriptus haberetur. Sed an iure? ſtatim
p 10. apparebit. Morbi vim iam antea longe praegreſſam eſſe poſſe exiſtimat, quam incerta eius ac aequiuoca, quae talia nimirum eſſe putat, ſigna, languor ſcilicet et ſingularis grauitatis ſenſatio, appareant; quae remota tamen et incipientis modo valetudinis huius eſſe ſigna, omnes alii auctores affirmant. Ea deinde, quae in pleriſque aegris non, niſi ultima, et ad ἀκμὴν perducti morbi eſſe conſtat ſymptomata, v. c. hydropem, atrophiam, inter prima eius ac ſine ceteris, eſſentialibus dicendis, ſcorbuti ſymptomatibus refert. Alia porro vere huic morbo propria, ita, ut longe aliter ſe habuerint, ac ab aliis obſeruata fuere, v. c. ulcera, dyſpnoeam, deſcribit. Talia denique, quae a ſcorbuti indole prorſus eſſe ſolent aliena, cancrum, bubones,

bubones, ulcera penis, e. ſ. p. ad eum tamen refert. Admodum itaque veri ſimile eſſe inde patet, in in- p. 14.
ſignes errores ſemet ipſum deduxiſſe bonum illum virum. Pone enim, ſcorbutum plane aliam tum temporis induxiſſe faciem, aliquam tamen quisque largietur intercedere debere conuenientiam inter vera ac alias nota ſcorbuti ſymptomata, et inter ea, quae ad eum retulit EVGALENVS. At quaenam ſunt pathognomonica eius ſigna, ab hoc auctore talia habita? Pulſus et urina, ſuo modo mutata, talia quippe ſigna, quae ab omnibus aliis auctoribus fallaciſſima hoc in morbo dicta ſunt. Reliqua etiam, quae adducit, aut prorſus aliis morbis conueniunt, aut cum ipſo ſcorbuto non ſemper eſſe ſolent συγχρονα.
Ex quibus omnibus certo colligi debere Cl. Auctor p. 18.
arbitratur, prorſus aliud morborum genus ſub ſcorbuti nomine illum delineaſſe; idque magis adhuc apparere ex illa, quam is ipſe dederit, generaliſſima regula diagnoſtica: ſub omnibus nimirum iis morbis
latere ſcorbutum, *qui vel occurrat rarus, vel etiam* p. 20.
veteribus cognitus, ſed aliis et diuerſis atque plurimum ab eorum deſcriptione diſcedentibus ſignis; illudque inſuper aſſertum eo certius fieri perpendenti, de affectibus hyſtericis, hypochondriacis, neruoſis, rheumatiſmo, rachitide aliisque, iis nempe omnibus, de quibus veteres haud frequentem obſeruandi habuerint occaſionem, illum quoque ipſum vel nihil, vel valde parum habuiſſe cognitum. Longe adhuc fuſior eſt Noſter in examinandis illius auctoris ſententiis, ut principis inter eos habiti, qui de ſcorbuto ſcripſerunt; qua in re tamen ulterius eum ſequi velle, recenſionis limites vetant. Mirum interim omnino eſſe Cl. Auctori facile concedimus, qui fieri potuerit, ut tam perſpicaces viri, quam caeteroquin fuere, SENNERTVS, MARTINI, HORSTIVS, LISTER, aliique fere omnes ad noſtrum uſque aeuum viuentes, illius opinionibus adeo lubenter ſubſcriberent

adeoque ſecure, ut multi librum eius verbatim fere exſcriberent.

p. 32. Nec EVGALENO tamen multo maiorem meruiſſe laudem Noſtro videtur WILLISIVS, licet poſt illum maximi ſemper aeſtimatus, quem CHARLETON in primis, uti et in ſcorbuti ſymptomatum diſtributione HOFFMANN, ac in eius diuiſione in calidum
p. 41. et frigidum BOERHAAVE, ſecuti fuere. Fieri enim haud poterat, quin, omnibus, quorum indoles videbatur eſſe noua, ad ſcorbuti genus relatis morbis, tanta tum explicandorum ſymptomatum, tum adhibendorum, quae poſt unum ab altero commendata fuerant, remediorum eſſet confuſio, ut variis, in quas diſpeſcerent hoc proteiforme ipſis viſum malum, excogitandis ſtuderent diuiſionibus, quae tam diuerſae erant, quam diuerſas varii auctores artis ſuae inuenerant theorias galenicas, chemicas, mechanicas; in ſcorbutum ſcilicet frigidum aut calidum, acidum aut alcalicum, aut, pro vario acrimoniarum genere praedominante, varie quoque acrem; quas vero omnes diuiſiones ipſi experientiae contrarias eſſe, Cl. Auctor declarat.

p. 61. Idem deinde fert iudicium de illa ſcorbuti diſtinctione, quam auctores non nulli fecerunt in maritimum atque terreſtrem. Is enim, ſiue in mari, ſiue terrarum aliqua parte, ſaeuiat, una eademque ſemper habet ſigna pathognomica; unas easdemque, ex quibus oritur, cauſas; unam denique eandemque curandi rationem poſcit. Cur illa igitur admittenda
p. 70. ſit diuiſio, non liquet. Vſu quidem ab aliquibus receptum fuit, certos quosdam morbos, purpurae v. c. quoddam genus, ulcera ſanatu difficiliora, ac fere omnes, quorum cauſae atque natura nondum ſatis innotuerunt, ſub ſcorbuticorum nomine comprehendere; ſed, quanto inde orto damno, tum reſpectu tironum, tum aliorum quoque virorum iam exercitato-

tatorum, tum ipſius faciendae artis eiusque augmenti, Cl. Auctor probe notat.

In ultimo tandem huius partis capite quaeſtiones p. 78. illas dirimit: num inter connatos, hereditarios aut contagioſos, morbos referri debeat ſcorbutus? Omnem tamen, caute atque attente inſtitutam, experientiam contra iſtas aſſumendas opiniones pugnare; ſique morbus aliquando fuerit numeroſior, a communibus tantum cauſis, minime autem a contagio, prouenifſe epidemiam, ſatis clare docet.

Ad *alteram* libri nunc *partem* progredimur, in p. 83. cuius *capite primo verae ſcorbuti cauſae ex obſeruationibus in terra marique factis*, eruuntur. Ante vero, quam certi aliquid de illis aſſeritur, de iis merito agitur, quae falſo a non nullis auctoribus in verarum claſſe poſitae fuerunt; quarum prima eſſe dicitur p. 86. abuſus ſalis marini, in victu ab hominibus nauticis adhibiti, unde *muriatici* quoque ſcorbuti nomen prouenerit. Illud autem, per ſe tantum conſideratum, hac quidem in re inſons eſſe, inde apparet, quod aqua marina non ſolum felici cum ſucceſſu contra alios morbos, ſcabiem et mala in primis crurum ulcera, per integri menſis ſpatium a Cl. Auctore fuerit adhibita ſine aliquo ſcorbuticae indolis phaenomeno; ſed eadem etiam, experimenti cauſa, duobus aegris vere ſcorbuticis per dimidium menſem data, morbum, non mitiorem quidem, certe tamen nec vehementiorem reddiderit. Inde vero non ſequi ſimul monet, victum ſale induratum omni plane modo innocentem eſſe; in eo potius ipſum ſal cum oleo animali intime ac adeo miſceri, ut a corporis viribus digerentibus inde explicari, ipſeque victus, difficillime digerendus, lene atque bonum corpori alendo praebere nequeat nutrimentum.

Alii porro exiſtimarunt, ſine vegetabilium uſu p. 89. hominum ſanitatem diu ſaluam eſſe non poſſe; ideoque defectum eius in nauibus ſolam ſcorbuti eſſe cau-

 ſam:

ſam: attamen, licet ille occaſionalibus ac praediſponentibus cauſis annumerari poſſit, ſine vegetabilium eſu tamen ſcorbutum quoque abeſſe poſſe; et contra in nauibus, ante breue tantum tempus in mare demiſſis, vehementiſſime tamen ſaeuiiſſe, experientia probauit.

p. 94. Alii peculiare aliquid, illud demum quidquid ſit, in clauſo atque corrupto nauis aere, aquam potiſſimum in infima nauis parte ſtagnantem, pro unica cauſa aſſumſerunt. Cur autem fabri lignarii, aliique operam in iſta nauis parte facientes, reliquis non citius neque vehementius corripiuntur ſcorbuto? Eadem eſt ratio aeris ab hominum multitudine ſua elaſticitate orbati. Febres inde quidem malignae, contagioſae; at non adeo facile, certe non immediate, ſcorbutus, oriri obſeruantur. Quid? Quod in ipſo aere nauis impuro ſcorbutum curari poſſe, experientia teſtatur.

p. 100. Alii inſuper aerem per effluuia e mari exhalantia ita mutari credunt, ut nautae inde aegrotent, uſque dum peruenerint in terram. Cur autem in medio terrarum orbe continenti, v. c. in Hungaria per ultimum ibi geſtum bellum, tantam ſtragem fecit ſcorbutus? Quamuis negari nequeat, ipſum aerem marinum certa ad gignendum ſcorbutum indole praeditum eſſe.

p. 107. Scire enim licet, principem inter omnes praediſponentes * ſcorbuti cauſas aerem eſſe nimis ac diu valde humidum, iis potiſſimum hominibus infenſum, qui a praegreſſo morbo adhuc languent, aut qui

* Praediſponentes, quas vocant pathologiae doctores, cauſas cum procatarcticis ſeu occaſionalibus proximis, quoad denominationem, ſaepe confundere Cl. Auctorem, facile quidem patet; quum illae in corpore iam praeexiſtant, idque ſuſcipiendo alicui morbo aptum reddant; hae vero tantum accedant illi generando: ſed verborum uſus cuilibet eſſe poterit liber.

qui nimiae corporis quieti, aut triſtibus diu inhaerent imaginationibus aliisque animi cogitatis hunc ipſum afficientibus; id, quod omnes fidae comprobant obſeruationes. Quam innumeris fere in caſibus, et quam ſaepe longum per tempus in maxime udo aere ſaepiusque in ipſis fere aquarum undis degere debeant homines nautici infimi in primis ordinis, admodum viuis, ut ita loquamur, Cl. Auctor deſcribit coloribus. En cauſa, cur in mari vehementius ut plurimum ſaeuiat hicce morbus, quam terra!

Cui deinde quoque accedit frigus, altera ex eius praediſponentibus cauſis. Hinc ille quoque grauior eſſe ſolet hiemis, quam tempore aeſtatis; in frigidiore, quam calidiore climate. p. 111.

Quibus porro cauſis omnino recentium vegetabilium inopia, et contra durus iſte difficilisque concoctu victus, optimo quidem iure, ita tamen, annumerari debent, ut ne ſolae tantum eae, ſed, reſpectu infirmati iam ab illis potioribus cauſis virium roboris, tales ſeu potius mere occaſionales haberi debeant. Siccus enim atque durus ille victus duris nautarum laboribus admodum conuenit; ab aliis vero, quorum vires quacunque demum cauſa iam fractae ſunt, digeri nequit, ſed anſam dat crudis generandis humoribus. Ne quid iam de corruptione aquarum, aliarumque rerum ad victum nauticum pertinentium haud raro accidente, de potus ſpirituoſi abuſu, uti et de animi affectibus, nunc dicatur. p. 115.

Hiſce igitur iam enarratis cauſis omnibus in terrarum quoque variis partibus non numquam concurrentibus, facile patet, qua ratione in his etiam oriri queat iſte morbus. p. 128.

Sub huius tandem capitis finem diuerſarum illarum cauſarum diuerſos effectus, mitiores aut grauiores, pro vario tum illarum gradu atque concurſu, tum aliarum, quae in reliquo vitae genere occurrere ſolent, rerum circumſtantium varia indole, Cl. Auctor exponit. p. 134.

 In

p. 147. In *ſecundo* deinde *capite diagnoſtica* ſcorbuti *ſigna* ſecundum ordinem, quo ut plurimum procedere ſolent, enarrat. Ab eius initio naturalis faciei color mutatur in pallidum aut luridum; eaque ipſa intumeſcit, aeger autem deſes fit, et ab omni laborum genere abhorret: labia et caruncula lacrymalis virideſcentem nanciſcuntur colorem; quae tamen omnia ſymptomata imminentem ſaltem praenunciant ſcorbutum; aegro nimirum, praeter inſolitam ignauiam, ſano adhuc viſo, cibum potumque appetente. Non nullis tamen non prius, quam morbus iam diutius inhaeſerit, facies mutatur, quae deinde magis lurida fit; animo ſimul valde deiecto. Iſta tum pigritia in uniuerſalem corporis abit laſſitudinem; ſub quolibet corporis motu genua rigida quaſi ac infirma ſunt; reſpiratio autem anheloſa; quod utrumque ſymptoma aegros vix non ſemper comitatur. Paulo poſt pruriunt gingiuae, tument, poſt leniſſimam frictionem emittunt ſanguinem, ex liuido rubrae, molles, ſpongioſae tandemque valde putridae fiunt atque fungoſae, cum anima vehementer foetente. Pathognomicum illud habetur ſignum. Nec e gingiuis ſolum manat cruor, ſed ex aliis quoque corporis partibus
p. 150. prorumpit. Cutis per totum morbi decurſum ſicca apparet; quando autem ad extrema ventum eſt, lipothymiis praeſertim accedentibus, frigido et viſcoſo madore ſqualida fit; in non nullis quidem, in primis qui febricant, aſpera, in plerisque vero laeuis atque ſplendens, maculis ſubrubris, liuidis et nigricantibus obſeſſa, qualis eſſe ſolet in ſugillatis membris, ipſi cutis ſuperficiei aequalibus, ad lentis magnitudinem ab initio, deinde ad manus ambitum latis, in corporis extremitatibus eiusque ſaepe trunco, in facie autem atque capite raro conſpicuis. Non paucis aegris intumeſcunt crura, tumor autem non adeo facile, ac in oedemate, digito prementi cedit, foueis tamen impreſſis diutius permanentibus. En ſymptomata

eſſentialia reliquisque conſtantiora in primo ſcorbuti gradu! Paucis addamus illis adhuc reliqua:

De ulceribus vere ſcorbuticis notamus tantum, quod potiſſimum valde putrida, ſanguinolenta et fungoſa ſint, omnium fere applicatorum remediorum vim eludentia. Ne tali aegro propines mercurialia, praeſertim caueto! Alii morbi, quibus antea hi aegri fuerunt correpti, facile nunc redeunt, vel, ſi praeſentes adhuc ſint, exacerbantur. Iis quoque, qui epidemice graſſantur, facilius obnoxii fiunt ſcorbutici. Vti pectus in genere ſemper afficitur ab hoc morbo, praeſertim ſi aluus clauſa ſit; ſic et dolores vagi, in modum pleuritidis ſpuriae illud ſaepius affligunt atque opprimunt. Caput raro dolet; nec febres, quae non numquam ſuperueniunt, niſi ad accidentalia eius pertinere videntur ſymptomata; ex quibus tamen omnibus, ſi accidant, diriſſima eſſe ſolet petechialis et iſta a carceribus dicta. Aluus ut plurimum ſolet variare, in aliis modo naturalis; modo valde adſtricta; in aliis vero et iis plerisque per vices obſeruatur eſſe fuſa, ac male olens. Vrina quoque varia eſt; cito putreſcit, ſique reponatur, oleoſam, ſalinam et ſpumoſam acquirit ſuperficiem. Pulſus, niſi febris acceſſerit, ſolito ut plurimum ſolet eſſe tardior atque debilior. Haec de primo morbi ſtadio ſufficiant.

p. 152.
p. 157.
p. 157.

In altero facilis membrorum uſus magis magisque perit. Poples tumet, dolet, muſculis flexoribus contractis ac fere rigidis factis; ſingularis languoris ſenſus frequenter accedit, ita ut aegri, diu requieſcentes, ſub leniſſimo corporis motu linquantur animo, vel etiam ſubito exſpirent. Tumor inſignis atque ecchymoſes occupant crura, omniaque haemorrhagiarum genera aegri vires exhauriunt ac eos ſaepe tollunt. Gingiuarum ulcera peſſima fiunt, fungoſa, gangraenoſa. Dentes cadunt; ipſas vero maxillas raro exeſt caries, quae nec alia oſſa facile ſolet prehendere

p. 162.

hendere. Attamen vel in diriſſimo hoc ſtatu et appetitus et ſenſus ut plurimum vigent.

p. 166. Tertius tandem ac ultimus ſtatus, praeter omnia iam recenſita ſymptomata, alia adhuc extraordinaria dicenda nobis ſiſtit. Vlcera olim curata recrudeſcunt: Crura nunc ſponte ſua fiunt ulceroſa: Quibusdam aegris, licet non adeo frequenter, febris ſuperuenit petechialis: Sanguinis profluuia nunc ubiuis prorumpunt: Icterus, hydrops, melancholia confirmata, neruorum rigor, pectoris anguſtia ſumma, dolor ſub ſterno, aliique ſexcenti accedunt morbi triſtiſſimi. Non nulli aegri laborioſiſſimam quidem, eam tamen ſine dolore, experiuntur reſpirationem ſubitoque vitam emittunt. Finit hoc caput Cl. Auctor variis enarratis morbi huius hiſtoriis, iam dicta illuſtrantibus.

p. 175. In *tertio* dein *capite prognoſtica ſigna* exhibet; quem in finem, ut ea intelligantur eo melius, omnem hunc morbum in duas claſſes diuidit; unam, qua homines antea ſani, quales eſſe ſolent nautae, ab externis tantum atque occaſionalibus cauſis in eum incidunt; alteram, qua homines debiles, in terra potiſſimum degentes, pro varia corporis ſui diſpoſitione a leuioribus illis cauſis eo afficiuntur. In priore caſu aduentitium ſeu artificialem quaſi dicendum, in altero autem naturalem vel potius a corporis conſtitutione nominandum, *conſtitutional*, appellare vult ſcorbutum. Vnus idemque morbus quidem erit et eiusdem quoque curationis; interim prognoſtica ſigna

p. 177. prius eius genus praecipue reſpiciunt. Ex iis haec ſunt primaria: A ſui initio, etiamſi valde afficiantur gingiuae, ſatis adhuc facile et ſine recentium vegetabilium uſu, tollitur morbus, dummodo corporis exercitiis par ſit aeger: quodſi vero lecto affixus, corpus mouere amplius nequeat, alterque iam adſit valetudinis gradus, ſine vegetabilibus curationi nullus ſupererit locus. In mari autem, ubi vegetabilia

ſaepe

ſaepe non ſunt ad manus, prognoſis difficilis eſt. Malo enim peſſimo nondum viſo, periculoſa tamen non raro et praeter omnem opinionem accedunt ſymtomata. Clauſo tamen putridoque aeri adſcribendum eſſe videtur, quod tales interdum aegri, ſimul ac aliquem motum exercere velint, aut aeri exponantur, ſubito tollantur e medio *. Si alui laxitas cutisque mollities et humiditas ſequantur vegetabilium uſum, certa ſpes erit; praeſertim ſi corporis motum ac aerem aegri ferre poſſint: genuum vero rigor curationem reſpuit, morbo caeteroquin abacto. Scorbutica dyſenteria, aut pectoris vitia, omnium difficillime expugnantur. Inueteratus morbus tabe non raro finitur. Si varia hydropis genera afflixerint aegrum, is, licet ſanitati reſtitutus, rheumatiſmo artuumque doloribus atque rigori, per reliquum vitae tempus facile fit obnoxius. Gingiuarum nimis aut exeſarum aut laxarum ſaepe remanere vitia, Cl. MVRRAY annotauit.

In *quarto capite prophylaxis, ſeu morbum hunc* p. 180. *praeſertim in mari praecauendi adminicula,* proponuntur. In terra ei facile praeripitur naſcendi occaſio; aere nempe calido, ſicco atque puro, victuque tum vegetabili tum animali, concoctu facili; quae artis regula pro vario incolarum vitae genere moderanda erit et applicanda. In mari autem omnis haec p. 183. res altioris eſſe ſolet indaginis. Multa igitur et excogitata et commendata fuerunt eum in finem remedia **; quum ſaepius autem exoptatus ſucceſſus non ſubſe-

* Magna ſatis veri ſpecie internis haemorrhagiis, a tabefactis viſceribus ortis, hanc improuiſam mortem tribuit Ill. VAN SWIETEN. v. Ei. Comment. in H. BOERHAAVII aphoriſmos. Tom. III. p. 608.

** Pag. 183. narrat Cl. Auctor, quendam olim virum, natione germanum, et in inſula *Sumatra* ſummam rerum tenentem, ea ſpe fretum, ut chemicis remediis praeueniri poſſet ille morbus, *Lipſiae* in noſtra hac uniuer-

ſubſecutus fuerit, inde factum fuit, ut omnem praecauendi hunc morbum ſpem multi abiicerent. Sed
p. 186. immerito. Tum enim aut ſero nimis ſua in uſum vocarunt antidota, tum ſuis potius opinionibus, quam experientia, ducti, varia remedia commendarunt. Verum enim vero auerti poſſe morbum, eius non indoles ſolum probat, quod nimirum ſit aduentitius, ſiue a cauſis externis oriundus, quae vel euitari vel mutari certe poſſunt; ſed ab ipſa etiam confirmatur experientia, quum in variis Americae ſeptentrionalis partibus iam haud obſeruetur ſcorbutus, ubi olim fere endemius fuit.

p. 191. Primo loco ex variis, ſtudioſe eam ob cauſam captis, quae hic enarrat Cl. Auctor, tentaminibus, in-

uniuerſitate ciuem ſuum, celeberrimum ſui temporis medicum, MICHAEL, ſuis ſumtibus conſtituendum curaſſe chemiae profeſſorem; ſua tamen ſpe excidiſſe, licet hic indefeſſo ſtudio multa eum in finem excogitaſſet medicamenta; eumque porro primum omnium in Europa fuiſſe chemiae profeſſorem, affirmat quidem; qua vero hiſtorica fide fultus, ſimul non adducit. Sed in errorem ſe deduci paſſus eſt Cl. Auctor. IOAN. HARTMANN enim primus in Europa publice chemiam docere iuſſus fuit in academia Haſſiaca, quae floret adhuc *Marburgi*, et Profeſſoris ideo exornatus titulo anno ſuperioris ſeculi nono; qui vero ipſe dein ex hac vita diſceſſit anno illius ſeculi triceſimo. Vide ſis eius Opera Francofurti ad Moenum 1684 in folio edita, et in iis orationem eius *de philoſopho ſeu naturae conſulto medico.* IOAN. MICHAEL vero, quem a Cl. Auctore ſubintelligi putamus, anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo ſeptimo Lipſiae obiit Profeſſor Therapiae dictus. Num antea Chemiae Profeſſor fuerit, nos ipſos ignorare quidem fatemur; ab illo autem Batauorum colonorum duce talem certe conſtitutum fuiſſe valde dubitamus, quum publicorum munerum habenda cura ad principis iura pertineat. Forſitan Noſter MICHAEL opibus ab illo viro fuit adiutus, ut eo alacrius atque felicius in rem adeo utilem inueniendam inquirere poſſet.

interne poma in primis aurantia atque limonia largiter comedenda, externe vero ad gingiuas elixirium vitrioli et acetum vini, utrumque in gargariſmis adhibendum, tum ſua, tum aliorum, quos citat, experientia doctus, commendat. Quod ſi quis etiam oggerat, illa poma ab aliis interdum ſine exoptato fructu fuiſſe adhibita, is quoque ſcire debet, alios ſaepe morbos ſub ſcorbuti nomine fuiſſe comprehenſos, hancque ideo in contrarium adductam experientiam ſubleſtae omnino eſſe fidei.

Quum illa vero poma ſpontaneae corruptioni ſint p. 207.
obnoxia, nec ſemper, neque in quouis loco acquiri poſſint: hinc, quo vires eorum cogi et per multos annos conſeruari queant, huncce proponit modum: Vt ſuccus nimirum ex iis expreſſus, per filtrum transiiciendo clarus redditus, in vas purum, terreum, vitrea cruſta bene obductum et euaporationis operationi aptiſſimum, infundatur, hoc deinde vas in aliud aqua plenum intromittatur, idque ſuper igne viuo per aliquot horas ponatur, ut aqua bulliat, donec ad olei, dum adhuc caleat, vel ad ſyrupi, poſtquam refrixerit, conſiſtentiam redactus fuerit ille pomorum ſuccus, in ampulla poſt bene obturata reponendus. Quatuor et viginti poma aurantia, quinque librarum pondus ad quatuor uncias excedentia, depurati ſucci unam libram et nouem uncias ſemis; ſpiſſi vero illius facti quinque uncias, ſuppeditarunt, quod extractum vix trium aquae unciarum aequat volumen; ideoque integrae vires ſat inſignis pomorum copiae in vaſculo mediocris magnitudinis per aliquot annos aſſeruari poterunt.

Ad naturalem huic extracto conciliandam fragrantiam paucae quidem vel eſſentiae, vel olei eorum corticum guttulae addi poſſunt: fini tamen ſuo conuenientius ac aeque gratum eſſe videtur, ſub euaporationis finem paulo antea, quam ab igne remouetur vas, paruam externi corticis partem ipſi ſucco adiice-

adiicere. Quae medicina ſuo tempore ſatis modico paranda pretio, cum variis inter homines in primis nauticos uſitatis ſpiritus generibus, *rum*, *arrack*, cet. miſceri, ſimulque hunc potum ſaepe per ſe noxium non corrigere ſolum, ſed et in medicinae genus, ſcorbuto optime reſiſtentis, immutare poteſt.

p. 213. Aliorum quoque multorum vegetabilium, baccarum, herbarum atque radicum copia per longum tempus ſatis bene in nauibus aſſeruari poterit, dummodo penitus ſicca, in vaſis bene clauſis, ab omni p. 217. aeris atque humiditatis acceſſu arceantur. Omnes fere etiam liquores fermentatione parati, ſub nomine *cyder* cogniti, aliaque potus genera ex vino aut cereuiſia fermenteſcentibus cum baccis ribium, ſambuci, e. ſ. p. praecipue autem cum abietis cuiuscunque ſummitatibus, conis, foliis, quin et cortice et ligno, e. ſ. p. prodeſſe, per experientiam conſtat.

p. 223. Aegros, vel qui certe a ſuperato morbo valde debiles adhuc ſunt, reliquis facilius ſcorbuto corripi poſſe, ſupra iam monuimus. Itaque regulas non incognitas quidem, at rite expoſitas, ex quibus illorum cura haberi debeat, Cl. Auctor proponit, ut nimirum iis victum porrigi debili eorum corporis ſtatui conuenientem, et pro ratione virium corpus quotidie mouere eos iubeat.

p. 228. Vltima tandem harum animaduerſionum claſſis concernit modum, quo cauſae huius morbi externae, aeris, victus, potusque facta corruptio, corrigi, vel, quantum fieri poteſt, auerti queant; quas tamen ſingulas recenſere non poſſumus; aliqua ſaltem nunc p. 240. dicturi *de cura morbi eiusque ſymptomatum*, in *quinto capite* propoſita.

Optima in genere dicenda, ſcorbuto medendi methodus eſt illa, quam in praecedenti iam capite expoſuimus. Morbus in primis aduentitius, nec diu iam praeſens ſola mutatione aeris, victuque leui ex recen-

recentibus potiſſimum vegetabilibus ac herbis illis ſatis cognitis antiſcorbuticis dictis confectus, ſine ullo fere medicamentorum uſu, ſaepe expugnari obſeruatus fuit. Pone autem, altiores iam morbum egiſſe radices, quid tum erit agendum? Prima medenti eſto regula, ut omnes corporis ſe- et excretiones iuuet, ſcorbuticamque acrimoniam et debito victu et aptis remediis obtundat atque emendet. Quem in finem ſerum lactis praeſertim caprilli, cui ſal polychreſtum, ut diureticum et aluum laxans remedium, addi poteſt, commendatur. Succi porro ex herbis antiſcorbuticis acrioribus, ut et ſaponaceis, dente leonis, fumaria, tritici progerminante ſegete expreſſi, cum illo pomorum aurantiorum Hiſpanicorum mixti, quibus etiam ſaccharum lactis adiici poteſt, per omnem diem hauſti iuuabunt, ſudore ſimul bis aut ter in ſingula hebdomade poſt illorum uſum prolicito. Niſi haemorrhagiae metus ſit, balnea calida ex herbis aromaticis parata, optimi erunt uſus. p. 244. p. 246.

Symptomata, quae urgent, ſingularem quoque curam poſcunt. Os internum ſeruetur purum gargariſmis ex hordei decocto, melle roſato et acidis mineralibus: Fungus, ſi neceſſe fuerit, praeſcindatur: Altis autem ulceribus applicetur oleum vitrioli vel per ſe, vel quoque dilutum: Crurum oedemati conuenit lenis frictio cum pannis paulo aſperioribus fumoque ex aromaticis gummatibus medicatis, et leniter applicata faſcia; illis vero rigidis factis et dolentibus fotus ex aqua calida cum pauca aceti aut ſalis ammoniaci adiecta quantitate, et deinde oleum palmae inunctum. Eadem fere eſt cura ulcerum, per lenem compreſſionem et remedia antiſeptica, praeſtanda: Sanguinis profluuia, quae minantur periculum, acida mineralia, parca ſemel doſi, ſed crebrius data, corticem peruuianum et vinum rubrum expoſcunt. p. 248. p. 250.

Omnium,

p. 253. Omnium, quae accidere poſſunt, ſymptomatum et perículoſiſſima et pertinaciſſima, iam enarratis remediis obedire ſaepe neſcia, ſunt dyſenteria et pectoris affectus cum tuſſi violenta, difficili, anxia et doloroſa reſpiratione coniunctus. Alui fluxus, licet periculi pleniſſimus, ſubito tamen coerceri non debet, ſed ſaltem mitigari. Rhabarbarum parce, ſed crebro datum, cumque theriaca vel diaſcordio mixtum, vinum rubrum, generoſum, ſed dilutum, diaeta ſubadſtringens, gelatinoſa, in non nullis aegris alumen quoque crudum, tinctura roſarum ſimiliaque,
p. 258. profecerunt. Pectoris autem iam dictam valetudinem leuant veſicatoria, equitatio, diaeta mere lactea et vegetabilis, et remedia ſic dicta pectoralia, gummi ammoniacum, oxymel ſcilliticum et balſamus de Copaiua.

Reliqui non numquam ſuperuenientes morbi ex artis regulis alias iam cognitis oppugnari docentur. Morbo tamen principe ſuperato, remanent interdum ulcera, quae praeter antiſcorbuticum regimen, antimonii crudi cum aethiope minerali, vel etiam, gingiuis antea ſatis confirmatis, mercurii, balſamo ſulphuris terebinthinato extincti, moderatum uſum cum lignorum decocto admittunt felici cum ſucceſſu, praeſertim ſi diaphoreſis aucta ſimul fuerit.

p. 260. Poſtquam dein varia adhuc, ab aliis rei medicae peritiſſimis viris commendata remedia enarrauit atque examinauit, quaſdam iis denique ſubiungit cau-
p. 265. telas Cl. Auctor: Venae ſectio nimirum et fortiora purgantia ſemper nocent; leniſſimis tantum potius remediis aluus ducenda eſt, et ſemper libera ſeruanda: Veſicatoria, ob gangraenae metum, caute applicentur: Idem quoque valet de vomitoriis, quippe quae ipſe Cl. Auctor tentare noluit: Morbo alte prouecto, aegri caute moueantur e lecto, aut libero aeri exponantur: Si diu etiam ii a vegetabilium uſu abſtinuerint, eaque nunc nanciſcantur, magna eorum copia ne

ne veſcantur una vice; alias dyſenteria hancce ſequitur voracitatem.

Quae huc uſque propoſuerat Cl. Auctor, ſola p. 272. fere nitebantur experientia. Nunc autem in *capite ſexto theoriam morbi* tradit. Corpus noſtrum, inquit, tum quod heterogeneis conſtat partibus, cum propter perpetuum earum motum atque attritum, in varia contrahenda acrimoniarum genera ſpontaneamque corruptionem per ſe pronum eſt. Hinc particulae a blanda ſua indole alienae factae excerni, nouumque reſtitui debet nutrimentum quotidie. Eliminantur iſtae potiſſimum per urinam ac inſenſibilem dictam perſpirationem, per quam prae primis ultimam ſubtiliſſimae excrementitiae particulae auolant, quae, ſi diu remanent, putreſcentem indolem acquirunt et ad periculoſiſſimos ſuſcipiendos morbos corpus diſponunt. Niſi porro blandi quoque et nutritii liquoris copia per ſingulos dies ſuggeratur noua, naturalis humorum ad putredinem fit diſpoſitio. Animalia enim, fame enecata, non ex ſanguinis ac humorum defectu, ſed ex corrupta potius putridaque eorum dyſcraſia orta, pereunt. Ad hanc igitur pu- p. 277. treſcentium morborum, ab ipſo naturali motu atque calore genitorum, claſſem pertinet ſcorbutus. Ideo tamen nondum appellari poteſt alcalicus, quum alcalica atque putrida corpora valde a ſe inuicem differant. En modus, quo generari poterit iſte morbus pro cauſarum ſuarum effectibus! Intenſus primo frigoris gradus, in debilibus potiſſimum hominibus, neque corpus ſatis mouentibus, cutis perſpirationem, conſtrictis eius poris, cohibet; unde ſeroſa colluuies. Verus inde tamen ſcorbutus nondum oritur, niſi ac- p. 280. cedat aeris humiditas, quam per ſe ſolam gignere iam morbum poſſe diximus. Talem efficiunt in ſeptentrionalibus regionibus craſſae nebulae, in aliis pluuiae copioſae. Noua atque dira haec eſt perſpirationis ſupprimendae cauſa, quae totius corporis

robur ſimul eneruat, fibras relaxat, ſanguinis praeparationem in pulmonibus impedit, ideoque ceteras inde dependentes corporis actiones, nutritionem in
p. 284. primis, laedit. Accedit et hoc, quod reſorpti ex atmoſphaera liquores, per ſe iam forte in illa humida magis heterogenei, nunc in corpus inducti, acriores fiant cumque ſeri praeſente colluuie poſt aliquod tempus ad putreſcentem indolem inclinent. Quantum inſuper per nimiam quietem, aut praegreſſos alios morbos, aut animi pathemata, metum, triſtitiam, nimiasque curas, debilitetur corpus, aliunde etiam conſtat. Iis nunc autem cauſis, praediſponentibus Cl. Auctori dictis, et ipſarum effectibus accedant aliae occaſionales, durus, ſalſus, viſcidus, non fermentatus victus, cum vegetabilium recentium defe-
p. 292. ctu, e. ſ. p. quid tum fiet? Nec ſatis digerentur alimenta, neque blandus inde praeparabitur chylus, quum eorum ſuperare tenacitatem, et in nutritium immutare ſuccum, corporis vires haud valeant. Fac quoque, in primis viis illa reſoluantur; chylus tamen, cui ſua et neceſſaria ſemper deeſt blandities, in ſecundis, quae a praediſponentibus cauſis iam debiles factae ſunt, viſcidus remanet, acris tandem fit atque putridus. Inde porro perſpiratio, iam ex aliis illis cauſis laeſa, magis adhuc ab illa humorum tenacitate imminuitur.

p. 298. Scorbuti itaque natura in laxo debilique ſolidarum corporis partium habitu et fluidorum ſponte ſua facta putreſcente mutatione, conſiſtit, quae a defectu blandi nutrimenti ac inſenſibilis perſpirationis longa ſuppreſſione oritur; id, quod cauſae eius morbi ac effectus, qui ſunt ipſius ſymptomata, ſatis ſuperque teſtantur. Pergit deinde Cl. Auctor, et ex aceſcente, ſaponacea et diluente vegetabilium indole eorum uſum atque neceſſitatem contra ſcorbutum demonſtrat.

Septimum caput obſeruationes continet ex homi- p. 310.
num ſcorbuto defunctorum cadaueribus captas, quas vero tranſcribi quidem, ſed breuibus non recenſeri poſſe, intelligimus. Omnes vero illas putreſcentem humorum ſingularem factam corruptionem indicare, monemus. Vnicum ſaltem de iis, qui ſubito ſaepi- p. 313.
usque ex improuiſo exſpirauerant, notamus adhuc, eos omnes auriculas cordis in pugni magnitudinem extenſas ac ſanguine coacto plenas habuiſſe; alios, dyſpnoea potiſſimum ſimul olim affectos, omnes in thorace ſitas partes ſibi conglutinatas ac in unam quaſi maſſam commixtas, ut diſtingui fere non potuerint, pulmonibus in media eius parte quaſi contritis haerentibus; alios autem vel muſculos, vel inteſtina, gangraena affecta, oſtendiſſe.

In *ultimo* tandem, quod partis huius eſt octauum, p. 317.
capite de natura ſymptomatum agit Cl. Auctor, eorumque indolem atque rationem ex praecedenti theoria atque anatomicis obſeruationibus deducit atque exponit. Quibus vero hic loci dictis, facile ex antecedentium capitum ſumma perſpiciendis, nunc ſuperſedemus enarrandis.

Tertia tandem totius libri *pars*, uti ſupra dixi- p. 341.
mus, bibliothecam quaſi librorum, de ſcorbuto ſcriptorum, continet, ita, ut in *capite* eius *primo* loca ex veteribus medicis depromta examinentur, in quibus ſcorbutum ab iis indigitatum fuiſſe recentiores exiſtimarunt. HIPPOCRATEM vero, quem poſteriores fere omnes exſcripſerunt, iis in locis icteri genera, ex hepate vel liene obſtructis orta, deſcripſiſſe Cl. Auctor declarat. Stomacace atque ſcelotyrbe, a PLINIO deſcripti affectus *, attentionem mererentur, niſi auctor is eſſet nimis ſaepe credulus, et in hoc etiam loco narrationi ſuae fabuloſa ſimul immiſcuiſſet. Primus autem, qui ex inſtituto ſcripſiſſe di- p. 346.
citur de ſcorbuto, fuit IO. ECHTHIVS. Eius itaque

* Hiſtor. nat. lib. 25. cap. 3.

que libri *de ſcorbuto vel ſcorbutica paſſione* recenſio, ad
p. 355. annum 1541 poſita, legitur ab initio chronologici omnium librorum indicis, qui de ſcorbuto huc uſque fuerunt editi, ad annum uſque nuperrimum 1753 perducti atque finiti epitome tractatus *de ſcorbuto marino* a Cl. ADDINGTON in lucem emiſſi.

Appendix denique huic libro addita et eos libros, qui non viſi ideoque omiſſi fuerant a Cl. Auctore, et chronologicum et alphabeticum auctorum eorumque ſcriptorum, ab eo allegatorum aut recenſitorum, indicem continet. Vt ipſi quoque alium adhuc indicem, totius libri argumenta comprehendentem, addere placuiſſet, optamus. Interim ex iis, quae adduximus, cuilibet clarum fore confidimus, quam utile opus a Cl. Auctore non ſuſceptum ſolum, ſed etiam quam bene illud ab eo fuerit perfectum, ita, ut omnium, quos de hoc morbo huc uſque ſcriptos habemus, librorum iudicari eſſe queat pleniſſimus.

VII.

Quaeſtio medica: An à diverſâ virûs ſcorbutici indole et ſede Morbi diuerſi? Praeſide M. PAVLO LE ROY, Doctore Medico. Proponebat *Henricus Michael Miſſa*. Pariſiis, 1754. 4. mai. pl. 2.

Poſtquam illum de ſcorbuto librum a Cl. LIND editum, cuius iam iam dedimus epitomen, legeramus, nunc, ulterioris acquirendae notitiae cupidi, quid alii ex recentioribus medicis de eo ſentiant, hancce, quam indicamus, diſſertationem perluſtrabamus. Sed, ſi dicere licet, eam perlegiſſe nos fere poenitebat. Poetica magis, vel certe rhetorica, haberi poterit tractatio, quam medica, ab omnium fere auctorum, qui fidem merentur, obſeruationibus aliena, morbi nec ortum atque cauſas, nec indolem

atque

atque effectus ita explicans, ut legentis deſiderio ſatis faciat. Quaeſtionem itaque propoſitam eo modo ſolutam eſſe haud miramur, ut a diuerſa virus ſcorbutici indole ac ſede quam maxime etiam diuerſi morbi oriri dicantur, iis ſcilicet vix non omnibus ad huius morbi claſſem relatis, quorum indoles nondum ſatis expoſita fuit. En quaedam eius rei ſpecimina!

Nec unicus, neque ſimplex eſt ſcorbutus; modo p. 1.
ſub omnium morborum larua ſe ſuumque virus diuerſis modis occultat; modo mitius agere videtur cum aegris; modo furit, parcens nemini; modo chronicus eſt, ipſius ſaeuitie multorum in annorum ſeriem pertingente; modo peracutus. *Dum graſſatur enim* p. 2.
eius contagium, nihil vacans ab illo, omnia omni implet clade, ita ut nulla poſt ſe ſuperſint ſalubria. Hinc quoque factum fuit, ut infinitas eius metamorphoſes pro totidem veteres haberent morbis, ideoque cum multis aliis, quibus erat finitimus, eam confunderent. Vera et adaequata dicitur eius eſſe definitio p. 3.
ſimultanea ſolidorum ac fluidorum deprauatio, virulento quodam humore peculiari et venereum aemulante illata. Humor iſte vel a noſtra origine in nobis latet, vel ſpontaneo naturae vitio, vel per contagium, oritur. A venerea lue, quae veterum fuit elephas, virus quidem ſui natura ideoque et curatione differt ſcorbutus; ſed origine, ſede, more, ſignis, periodis et effectibus, ambo morbi, uti ſibi pares, ſic et ſaepiſſime ſibi mutuo fiunt germani atque congeneres. Sexcenti ſunt alii morbi ſibi ſimiles ſuaque indole maxime propinqui, quibus cum ille conſpirat: rheumatiſmus, arthritis, omnia fere exanthematicarum febrium genera, ipſa peſtis; qui affectus omnes ſola eius *virus alterationis varietate*, quantitate, partiumque, quas illud occupat, indole a ſe differunt. Itaque non ſeptentrionalibus ſolum populis, ſed toti p. 4.
terrarum orbi competit proteiformis hicce morbus, ita tamen, ut inter illos chronicus ſit, inter reliquos

 autem

autem eo acutior, quo propiores ei ſunt a meridie.
Vbiuis tamen aliam aliamque induit figuram. Omnes
itaque endemii, tales inter ſingulas fere nationes re-
periundi, morbi ſcorbutico humori ſuam debent ori-
ginem, v. c. Hiſpanorum ſtruma atque cholera; Pa-
riſiorum tuſſis atque rheumatiſmus; Anglorum ſudor
inflammatorius; ac alii reliquorum populorum fere
innumeri, quorum ſatis longum hic loci reperies ca-
p. 6. talogum. Tot igitur ſcorbuti erunt ſpecies, quot
ſunt virus ipſius dotes: vitriolica nempe, nitroſa,
ſalſomuriatica, ammoniacalis, auſtera, tartarea, deu-
rens, alcalica, foetida, putrefaciens, corroſiua,
aliaeque porro multae, quas omittimus, ne uniuer-
p. 7. ſam conſcribere velle pathologiam videamur. Quot
vero omnium fere morborum cauſas eſſe poſſe credi-
deris, tot etiam generando ſcorbuto Cl. Auctor tri-
buit, corpori tamen noxias tantum, quantum ad
ſuſcipiendum hunc morbum illud iam habet diſpoſi-
tionis. Inficientes autem illae particulae, hinc et in-
de per aerem diſſeminatae volitant, quae, ſi corpus
fuerint ingreſſae, ſcorbuticum humorem euoluere pot-
erunt. En varia et mira ſcorbuti facies, quae a tam
p. 10. diuerſis cauſis oritur! Quid? Quod v. c. febres conti-
nuae aut intermittentes, quotannis vere vel autu-
mno reduces, non ipſius forſitan cauſae ſint, ſed
propagata potius eius ſoboles ac metamorphoſes;
quam etiam ſententiam de omni aegrotatione perio-
dica, vel etiam erratica, ferendam eſſe Cl. Auctor
ſibi perſuadet. Sed eheu ſatis ea de re dictum eſto!

VIII.

VIII.

TIBERII LAMBERGEN, Lectio inauguralis ſiſtens ephemeridem perſanati carcinomatis. Groningae, apud Henricum Vechnerum. 1754. 4. mai. pl. 4½.

Quo rariores ulcerum cancroſorum, ſine laeſae partis exſtirpatione curatorum, eſſe ſolent caſus, eo maiori omnino iure illi, a viris non artis peritia ſolum claris, ſed fide quoque dignis, enarrati, debent colligi, quo tandem, iis inter ſe comparatis, ad intimiorem diriſſimi huius omnium morbi cognitionem eique medendi certiorem, ac huc uſque habuimus, ſpem deueniamus. Ad primam illorum caſuum claſſem ſequens a Cl. Auctore enarrata pertinet hiſtoria, nuper iam a nobis indicata *.

Femina quatuor et triginta annorum, a tribus inde annis vidua, temperamenti ſanguinei, ſana quidem ſatis, ſed mobili neruorum ſyſtemate utens atque in morbos inflammatorios valde procliuis, prima vice ante octo circiter annos dextrae mammae inflammationem eiusque copioſam ſuppurationem, altera vice ante ſex annos eiusdem, tertiaque tandem vice ante quinque annos eiusdem denuo ſimulque alterius quoque mammae ſiniſtrae inflammationem, quam ſemper exceperat ſuppuratio, experta; ab illo tempore in mamma dextra varia tubercula dura, indolentia atque ſcirrhoſa gerebat; plurium tamen adhuc infantum mater facta; tandem praeter opinionem quam vehementiſſima ſiniſtrae mammae corripiebatur inflammatione, breui tamen tempore feliciter et ſine ulla mammae relicta duritie diſcuſſa. Poſt annum vero elapſum, quum a quinque iam inde nouiluniis parcius iuſto fluxerint menſes, in dextra illa mamma lancinantes dolores, in primis ſub tempeſtatum mutatio- p. 3.

* Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 164.

tationibus auctos cum aliquali eius tumore, potiſſimum autem ex inopino lapſu dein perterrita, et doloris, et tumoris, perſentiſcebat incrementum, qua
p. 5. de cauſa denuo conſulebat Cl. Auctorem. Reperiebat is tum dura, iam olim obſeruata, iſta tubercula, mole iam multum maiora et ſaxeae ferme duritiei, in unum quaſi nunc tumorem coiiſſe, eumque ſcabrum iam valde atque praeruptum, in ſuperiore in primis mammae parte haerentem, muſculo pectorali iam accreuiſſe. Pruritus aderat perpetuus; lancinantes autem dolores, ſub axilla incipientes inque ipſo tumore deſinentes, non numquam tantum intercurrebant. Color atque calor mammae, praeter unam alteramque venam tumidam factam, reliquae corporis cuti ſimiles adhuc erant. Sub ipſa vero axilla glandula quaedam ſcirrhoſa; nec altera quoque mamma, ſiniſtra nimirum, ab omni iam duritie libera erat. Externe tum temporis applicabantur ſaturnina, et pro interno uſu propinabantur aegrae reſoluentia cum anodynis mixta; iuſto ſimul regimine aegrae praeſcripto; et ad inſtans catameniorum tempus emmenagoga; iisque nondum ſufficienter profluentibus, ſanguis mittebatur ex talo; quae tamen omnia in uſum vocata auxilia breues modo ſequebantur induciae. Quid? Quod, praeter redeuntes ſaepius dolores nuncque fere perpetuos factos, verſus inferiorem tumoris partem duos fere digitos transuerſos ſupra papillae locum, qui pro tumoris duritie ſatis erat mollis, naturalis huc uſque cutis color, nunc in rubellum mutatus, maculam ſiſtebat inflammatam.

p. 9. In hiſce rerum anguſtiis alios probos expertosque medicos Noſter adiens, a Cl. WINTERO in primis, Academiae Leidenſis Profeſſore, illud accipiebat conſilium, ut, ad exemplum Cl. DEGNERI, Medici Nouiomagenſis, qui ad inueteratos ſcirrhos infuſum herbae *Solani furioſi*, vulgo *Belladonnae* dictae, commendauerat, eandem quoque medicinam in uſum

vocaret,

vocaret, eamque vel etiam omnino dubiam in dubio ac deſperato hocce morbi ſtatu tentaret*. Ante ve- p. 12. ro, quam aegrae dare vellet illam, in ſemet ipſo faciebat Vir Optimus periculum, et herbae illius ſeu foliorum eius, per triennium iam ſiccorum, ſcrupulo uni tantum feruentis aquae infundens, quantum decem vaſcula porcellana, ex quibus ut plurimum ſorbillare ſolemus infuſum Theae, capiunt, et per noctem infuſum illud digerens, mane ieiuno ventriculo capiens unum vaſculum, indeque breui lenem

R 5 vertigi-

* Externum quidem *Belladonnae* uſum contra cancrum aliaque ſimilia ulcera, et veteres iam, et recentiores, collaudarunt; inter quos ex illis GALENVM, Lib. II. *Method. med. ad Glauc. Cap. 2. Tom. X. p. 390. edit.* CHARTERII; et AEGINETAM Lib. IV. Cap. 26; ex his vero IO. BOECLERVM *in Cynoſura materiae med. ad Hermannianae imitationem collectae*, P. I. p. 321. nunc adduxiſſe ſufficiat. Internum autem eius herbae uſum, quantum nos quidem iam reſcire poſſumus, a nemine fere tuto commendatum eſſe legimus, ſi diſſertationem exceperis, a Cl. OETINGER, ſub Cl. ALBERTI praeſidio, anno huius ſeculi trigeſimo nono *Halae Magdeburgicae* defenſam, *de belladonna, tamquam ſpecifico in cancro in primis occulto;* in qua multa quidem experimenta chemica atque phyſica, de plantae eius viribus capta, uti et non nullas aegrorum, cancro laborantium et decocti illius ope inde liberatorum, hiſtorias inuenies. Ipſe tamen Auctor in ſua praxi nondum illud tum temporis adhibuiſſe videtur; eiusque virium cognitionem amico cuidam, et Cl. IVNCKERO, Profeſſori Medico Halenſi, acceptam ſe debere fatetur. Nec immerito de hac diſſertatione queſtum fuiſſe Cl. HEISTERVM, intelligimus, illius auctorem haud ſufficienter docere modum, quo herba tam dubiae virtutis in uſum vocari queat. Refert ſimul Cl. HEISTER de aegra quadam, cui chirurgus aliquis tale quidem propinauerit decoctum, quae inde vero per aliquod tempus amens neque a cancro ſuo liberata fuerit. vid. eius *Inſtitution. chirurg. Tom. I. P. I. Lib. IV. Cap. XVII. p. 337. edit. Amſtelod. 1750. 4. mai.*

vertiginem, et inſolitam oris ſiccitatem per unam alteramque horam percipiens, ab hac doſi in aegra ſua medio menſe *ianuario*, anno huius ſeculi quadrageſimo quinto, curationis faciebat initium. Enarrat nunc Cl. Auctor, quae ab hoc die ad decimum uſque menſis *iunii* eiusdem anni, per ſingulos fere dies obſeruauit.

Eosdem etiam, quos Cl. Auctorem in ſemet ipſo deprehendiſſe iam diximus, effectus ſemper experiebatur aegra, praeter arteriarum ictus, in principio curationis debiliores ac celeriores in hac viſos. Emplaſtri, diapompholygos dicti, uſus cum mercurii et plumbi amalgamate ſemper continuabatur. Poſt primam hebdomadem dolores atrociores, eminens tumoris apex magis liueſcens, et illa iam dicta macula purpuraſcens, fieri incipiebat, cum epidermide rimulam actura atque duobus parum prominulis punctis flaueſcentis coloris. Menſium inſtans tempus, et cardialgia ſpasmodica cum anxietate accedens, antiſpaſmodica, aliorum remediorum loco, expoſce-
p. 14. bant. Quibus impedimentis remotis, ſub eiusdem menſis finem, ſecundi ſcrupuli illius herbae infuſo utebatur aegra, doſi paululum aucta. Dolor idem fere manebat continuus, punctula vero illa nunc vera fiebant ulcuſcula, in unum foraminulum coeuntia; diametro quidem, ſed non altitudine, maiora facta; paucam lenti, ſubflaueſcentis humoris copiam emittentia; Eminens ille quoque apex vehementer dolens, liueſcentem maculam cum duobus itidem punctis albicantibus, poſt tertium diem quoque in ulcuſculum tranſeuntibus, oſtendebat. Infuſi iſtius nunc unum et dimidium vaſculum ſumens aegra maiorem eamque ſatis moleſtam oris ſiccitatem, temulentiam, viſusque inſignem obnubilationem inde ſentiebat, appetitu ſolito minore, et pulſu aliquantum incitato, obſeruatis; quae ultima tamen ſymptomata poſt breue tempus ceſſabant, relictis ſemper prioribus.

Ab

Ab initio menſis *februarii* ulcuſculis illis praeter emplaſtrum imponebatur unguentum nutritum dictum cum plumaceolis. Per ipſius menſis decurſum ſatis bene ſe habebat aegra. Vlcuſcula modo ſicca, modo aperta, plerumque parum fundebant ichoris. Dolor mammae quoque modo auctior, modo leuior, in genere tamen mitior erat, ac antea. Non numquam occupabat is etiam glandulam ſubaxillarem ſcirrhoſam, et mammam ſiniſtram; paulo poſt vero euaneſcebat. Ipſe autem laeſae mammae tumor aliquantum emollitus ac imminutus eſſe videbatur. Ad rediens catameniorum, largiter prorumpentium, tempus redibat quoque iam commemorata cardialgia, cito autem diſſipata. p. 16.

Circa menſis *martii* initium ſub planta et iuxta tibiam pedis dextri ſponte oriebantur veſiculae amplae, ingentem lymphae ſeroſae copiam continentes; quae tamen forfice diſciſſae, citam recipiebant ſanationem. Poſt grauem iram grauis etiam denuo aegram excruciabat cardialgia. Tumor dein faciei atque labiorum multa afferebat ſymptomata, euaneſcentia poſt labium ſuperius ſuppuratum. Reliqua fere eadem, praeter dolores mammae ut plurimum auctiores: inferiora tamen ulcuſcula fere clauſa erant: appetitus ſaepe languens. p. 22.

Sub initium menſis *aprilis* pes ſiniſter vehementer dolens, varias illis iam prioribus ſimiles ſiſtebat veſicas, ex quibus per maximam menſis partem copioſiſſima effluebat lympha acris cum maximo aegrae incommodo: alia quoque ſimilis in digito indice laeuae manus extremo, poſt praegreſſi diei inflammationem, eleuabatur veſicula humorem quoque ſeroſum continens. Siniſtrae porro mammae area excoriata et paruis furunculis obſita, lymphae aliquid emittebat. Reliqua ſatis tolerabilia ſolitoque mitiora. p. 26.

Eadem remedia per menſem *maium* ad medium fere uſque *iunium* continuata, morbum ſenſim ſenſimque p. 30.

ſimque faciebant mitiorem; ulcuſculis iſtis clauſis. Mamma quoque ſiniſtra per aliquod tempus largiter madens, tandem ſiccabatur; et dextrae tumor atque durities valde imminuebantur, ita, ut flacceſcens atque pendula fieret.

p. 33. Per aliquod deinde tempus iter faciens aegra, redibat ſaniſſima viſa, illa tumoris parte, quae adhuc ſupererat, penitus ſenſim diſcuſſa. Per totum ferme quidem ſubſequentem annum dolores interdum recrudeſcere viſi, uno tantum infuſi illius hauſto vaſculo, euaneſcebant. Ab illo etiam poſtea tempore, id, quod octo comprehendit annorum ſpatium, nullum in mamma ſentiens dolorem, viro dein iterum nupta, infantem edens, ipſa eum ſine incommodo lactare poterat. Notamus adhuc, plures, quam ſex, drachmas illius herbae continuato uſu adhibuiſſe hanc feminam, infuſo ſinguli ſcrupuli per ſeptem octoue ut plurimum dies utentem; eamque porro huic infuſo, licet eius uſus quotidianus fuerit, numquam adſueuiſſe, ſed eadem ſemper expertam ſymptomata, hincque unam fere eandemque illius doſin ſemper retinere coactam fuiſſe.

Nos omnino gratulamur Cl. Auctori hunc felicem curationis euentum, ceu praemium viri docti, candidi atque induſtrii, laboribus digniſſimum; ipſiusque ſententiae facile multos ſubſcripturos eſſe putamus, qua nempe *narcotica in neruorum morbis ſaepe optima eſſe remedia, et neruos in ſcirrhi et carcinomatis malis praecipuam ſymbolam conferre,* atque ex laudati iam remedii corticisque peruuiani, contra eundem morbum dati, obſeruato felici ſucceſſu medicinam diro iſti malo aduerſam inuentum iri putat atque ſperat.

Praef.

IX.

D. IO. HARTM. DEGNER, Scabini, Senatoris et Archiatri Ciuit. Neomag. Acad. Caeſ. Nat. Cur. Coll. etc. Hiſtoria medica de Dyſenteria bilioſo - contagioſa, quae MDCCXXXVI. Neomagi et in vicinis ei pagis epidemice graſſata fuit. In qua ſimul nouorum quorundam remediorum antidyſentericorum, nimirum corticis Simarubae, radicis Salab, trochiſcorum Gitta Gambir et corticis Mangoſtan effectus exploratur. Accedit relatio hiſtorica cum reſponſo Facultatis Medicae Halenſis de morte per mercurium ſublim. in emplaſtro adplicatum, inducta. Editio nouiſſima, ab Auctore ipſo reuiſa et aucta. Traiecti ad Rhenum, apud Nicolaum van Vucht, 1754. 8. mai. alph. 1. pl. 3. praef. pl. 1.

Poſtquam utiliſſimus hic liber prima vice anno huius ſeculi triceſimo octauo Traiecti ad Rhenum editus, isque totus praeter illam ſub finem additam relationem, Actis etiam Academiae Naturae Curioſorum * inſertus fuerat: bibliopola quidam Louanienſis, *van Ouerbeke*, ſpecioſo quidem editionis auctae ac ultimae praefixo titulo, ſed temerario auſu inſcioque Cl. Auctore, nec ullo ſane augmento, at mendis tantum innumeris ditiorem, eum anno huius ſeculi quinquageſimo recudi curauit. Quo non illicito ſolum et turpiter quoque praeſtito iſtius hominis facinore, ſed prioris etiam atque iuſtae editionis omnium exemplorum iam venditorum defectu commotus, eum iterum ipſe Cl. Auctor prelo ſubmittendum curare voluit, additis permultis, maximam partem practicis, obſeruationibus, quas ipſi tamen textui haud

* Vol. V. in Appendice.

haud inſeruit; eo nimirum prorſus immutato relicto; ſed annotationum ſaltem nomine ad calcem cuiusuis paginae appoſuit. Quum ipſum vero librum in plurimorum, qui noſtros forte legent commentarios, iam fore manibus, ideoque contenta eius fere neminem ignoraturum eſſe opinemur, in eo iam recenſendo morari nolumus, ex iis ſaltem, quae nouiter in hac editione acceſſerunt, animaduerſionibus aliqua excerpturi:

p. 26. In epidemicis iisque malignis morbis, quorum ſedes in tenuioribus corporis humidis haeret, ex urina vix quidquam innoteſcit, quod de ipſo morbo iu-
p. 34. dicemus. Quam de aliis morbis habemus obſeruationem, qua ad eos nimirum ſuſcipiendos certam in corpore exiſtere debere diſpoſitionem, in ſcholis docemus, ea quoque valet de contagioſis atque malignis,
p. 36. adeo ut talis venenoſi miaſmatis effectus diuerſi eſſe ſoleant in diuerſis, quae intrarunt, corporibus, pro
p. 48. varia eorum conditione. Dyſenterias ſporadicas, a particulari aliqua cauſa ortas, diarrhoeas dyſenteriodes, quam veras, appellare mauult dyſenterias Cl. Auctor; quum eſſentiale harum exiſtimet attributum
p. 54. eſſe contagium. Nociuarum aeris qualitatum certi atque determinati effectus certis quoque anni temporibus aſſignati eſſe videntur. Eo itaque maligniores ei eſſe obſeruantur, quo citius ſe ſe exſerunt; ideoque dyſenteria maturius, quam auguſto et ſeptembri
p. 60. menſibus, prouueniens, acrior deprehenſa fuit. Licet aeris conditiones ad epidemicum aliquem morbum gignendum omnino multum conferant: inferre inde tamen non licet, venenatas quaſi particulas per aerem eſſe diffuſas. Satis itaque grauia mouet Cl. Auctor dubia contra illam obſeruationem, quam anno ſuperiore 1754 ſub initium menſis maii Lutetiae Pariſiorum feciſſe medicos, in publicis relationibus legere meminimus. Recentiſſimae nempe carnis fruſtum, perticae impoſitum, ac per unius tantum horae

rae ſpatium in altiſſimo quodam loco ſuſpenſum, in
corruptionem tamen illico abiiſſe, referebatur, indi-
cio iis habito, aerem mediae coeli regionis infectum
fuiſſe. Experimentum ſac quoque rite ſit inſtitu-
tum; attamen, num idem fuerit aer atmoſphaericus
in urbis plateis atque noſodochiis, ſimul non annota-
tum fuit. Nec horaeos fructus aliaque vegetabilia, p. 75.
neque terrarum inundationes, neque plumbeos, per
quos aquae defluunt, canales, licet alios inde quidem
morbos excitari poſſe certum ſit, dyſenteriae tamen
continentem, quam dicunt, cauſam, uti ab aliis
creditum fuit, haud praebere, Noſter, experientia
teſte, confirmat.

De cortice *Simarubae*, cuius uſum iam olim ex- p. 159.
pertus commendauerat, iam iterum refert, quam
raro potiri eo vero potuerit, licet e multis locis eum
ſibi curauerit apportandum, eumque in primis, quem
Pariſiis arceſſiuerat, omnium fuiſſe viliſſimum, aliis
quoque medicis idem teſtantibus; eum porro vel
etiam verum quam maxime differre, optimumque
eſſe a ramis modicae craſſitiei, quippe qui tenellis et
exſuccis ramulis meliores ſint; ſapore tamen atque
guſtu indolem eius optime declarari. Paulo infra de p. 288.
eodem cortice adhuc narrat nouisque iam probat
exemplis, eum, praeter dyſenteriam, in nimio etiam
fluxu menſtruo, colica habituali et dyſenterica aliis-
que morbis, ubi laxae corporis fibrae roboris augmen-
tum poſtulauerant, profuiſſe. Clyſmata ex oleo lini p. 167.
ſolo tantumque tepefacto maxime quidem iuuarunt
aegros dyſentericos; ea tamen obſeruanda fuit caute-
la, ut parca ſaltem quantitate ſingulis vicibus, ſed
crebro, iniicerentur, quo facile retineri potuerint.

De radice *Salab*, morbo huic admodum conue- p. 169.
niente olim quoque etiam laudata, monet nunc Cl.
Auctor, eam difficulter ſolui poſſe, ideoque in ſubti-
liſſimum puluerem redigi, et ſufficienti affuſa aquae
quantitate, v. c. drachmae pulueris uni octo unciis

aquae ſuperfuſis, leniſſimo tantum igne coqui debe-
p. 177. re, quo eius nanciſcamur gelatinam. De eadem radice beatus nunc S. DV BVISSON, qui, dum viueret, ciuitatis Medioburgenſis poliater fuerat, ac olim ipſe iter fecerat in Indiam Orientalem, ad Cl. Auctorem ſcripſit, eam haud eſſe aliquam radicem, ſed fructum quendam, ficuum nempe ad ſolem ſiccatorum ſpeciem; id, quod ex pedunculis eius clarius ad-
p. 180. huc pateat. Idem quoque remedium in omnibus aliis morbis, in quibus gummoſa et reſinoſa locum obtinent, maxime in colicis infantum doloribus, catarrhis pectoris, renum ac veſicae morbis, optimo cum ſucceſſu fuit adhibitum. Aliquam etiam, licet leniſſimam, adſtringendi vel roborandi vim ei ineſſe, tum viri exemplum probat, cholera laborantis chronica, et per ſex hebdomades hacce ſalab utentis aluumque tandem adſtrictam inde experti; cum haec etiam peculiaris ipſius indoles, qua mucilago inde parata, uti linguae et faucibus diu et fortiter adhaeret, ſic et ventriculo et reliquis partibus ſolidis idem praeſtare ideoque aegris dyſentericis omnino conuenire videtur. Ex illo ſatis cognito ſemine, *ſago* dicto, ſimilis et perquam grata parari poterit gelatina.
p. 185. In teneſmo et haemorrhoidibus doloroſis liquor ex floribus verbaſci paratus et externe applicatus, optime profuit. Fit ille vero liquor, dum herbae iſtius flores, vitro alicui inditi, exponuntur ſolis vi, cuius ope in liquamen fuſcum mucilaginoſo-oleoſum
p. 188. fatiſcunt. Solani eſculenti tuberoſae radices, quippe quae leni atque tenui conſtant ſubſtantia farinacea cum craſſiore aliqua terra, tanquam ſalubrem cibum aegris ſuis conceſſit Cl. Auctor, nec ullum inde noxium, quem alii metuerant, effectum obſeruauit.
p. 191. Vti congrui potus in genere, ſic et in primis aquae ſimplicis ſufficientem, quin et largiſſimam, copiam in eius generis morbis non in aliis ſolum aegris, ſed et in ſemet ipſo olim valde proficuum expertus fuit.

Alii

Alii eſſentiam millefolii probe ſaturatam pro ſcopo p. 223.
tum prophylactico, tum curatiuo, commendant quidem; ſed illum fuiſſe nullum, hunc autem rarum annotauit Noſter, niſi multa nimirum cum circumſpectione adhibita fuerit, quippe quae in omnium adſtringentium remediorum uſu neceſſaria ſit. Quum p. 230.
porro, ſi contra alium umquam morbum, hunc in primis dyſentericum permulta commendari ſolent remedia, ſerio hortatur Cl. Auctor omnes medicos, ut talia ſeligant, quae rationali tantum methodo ſatis faciant, probeque expendant, *quo maiore vi polleat aliquod medicamentum, ſi non cum ſumma cautione adhibeatur, hoc magis noxium edere effectum;* hinc p. 238.
quoque valde circumſpectum in his morbis uſum eſſe debere monet et mercurii dulcis et corticis peruuiani.

Quam utile ſit, homines morbo aliquo contagio- p. 257.
ſo decumbentes, quam demum primum fieri potuerit, a ſanis ſeparare, apparet ex memorabili hic enarrato, exemplo. Nuper enim ſub initium anni ſuperioris Holmiae in Suecia febris quaedam purpurata contagioſa ſeſe manifeſtauerat in aliqua domo, ita, ut in hac ſola octo aegri eo morbo breui perirent; qua vero ſtatim clauſa et obſerata, malum ulterius propagatum haud fuit. In terreis remediis contra dys- p. 272.
enteriam parum ponit fiduciae Cl. Auctor, quum bilis nimirum alcalicam corruptionem, quam morbi eius cauſam eſſe putat proximam, haud immutare valeant; neque nitri uſum in morbi potiſſimum ſtatu, uti quoque in cholera, tutum ſatis eſſe putat. De p. 281
remediis ſpecificis dictis in genere ita ſtatuit, ut, quum venena quaedam et fermenta tum animalia, cum vegetabilia, in certas tantum corporis partes ſingulari modo agere ipſa conuincamur experientia, illa quoque ſua habere exiſtimet antidota, ſpecifica dicenda. Sic mercurius ſpecifice agere videtur in glandulas in primis faucium, quas pro ſpecifica

quoque ſua indole praecipue occupat virus venereum.

p. 296. Supra iam laudatus medicus, DV BVISSON, nouum aliud nec huc uſque valde cognitum remedium antidyſentericum communicauit cum Cl. Auctore ſub nomine *Gitta Gambir*, quod trochiſcorum quoddam genus eſt ex inſula Iaua allatorum, quos non in gargariſmis ſolum contra faucium inflammationes anginoſas et aphthoſas, ſed etiam aduerſus diarrhoeas, dyſenterias, aliasque inteſtinorum laxitates ita ille adhibuerat, ut illorum uni vel duabus drachmis infunderet aquam feruentem, eiusque ad colorem theaeboei tinctae ſingulis horis vel bihoriis unum vaſculum porcellanum hac potione plenum per aliquot dies ſuis aegris propinaret, reliquis tamen remediis pro rerum circumſtantium ratione neceſſariis viſis ſimul haud

p. 299. neglectis. Poſtquam ille quoque medicus Noſtro ſcripſerat, ſe exiſtimare, trochiſcos illos maximam ſui partem ex ſucco catechu eſſe paratos, hic, utramque illam medicinam ſoluendo et euaporando, magnam quoque inter eam inuenit conuenientiam, praeter longe maiorem terrae inertis copiam in ſolutione Gitta Gambir deprehenſam. Sapor tamen praecipuam ſuppeditauit utriuſque diuerſitatem: paulo enim acerbior magisque adſtringens Gittae Gambir, quam ſucci catechu, fuit ſapor, tandem tamen in lingua aliquam relinquens dulcedinem. Ex una igitur eademque arbore, vel certe a talibus, quae parum a ſe inuicem differunt, praeparari videntur ambae hae ſpecies, catechu forte ex eius ſolo fructu aut ſucco, Gitta Gambir autem ex immaturis ſimul adiectis corticibus. In ſporadicis quidem dyſenteriis, haud vero in aliqua contagioſa, nouo hoc utendi remedio Cl. Auctor nactus fuit occaſionem, in quibus bonum quidem edidit effectum, ſed non talem, ut aliis iam cognitis auxiliis hoc praeferri debeat. Inſignior

ſignior adhuc eius uſus in faucium fuiſſe dicitur affe-ctibus *.

De cortice *Mangoſtan*, ut nouiter quoque detecto medicamento antidyſenterico, pauca quoque narrat Cl. Auctor, ab aliis iam auctoribus notata **, quum ipſe eum videndi viresque eius examinandi nondum habuerit occaſionem. Sufficiant, quae adduximus. Apparebit inde, quantum utilitatis libro iam antea medicinam facientibus utili et grato in noua hac editione acceſſerit. p. 308.

X.

A Method of Cure for the Stone chiefly by Injections. With Deſcriptions and Delineations of the Inſtruments contrived for thoſe Purpoſes. By WILLIAM BVTTER, M. C. Edinburgh, printed for Hamilton, Balfour et Neill. 1754. 12. mai. pagg. 84. tab. aen. 1.

id eſt:

Calculo per iniectiones potiſſimum medendi methodus, cum inſtrumenti hunc in finem inuenti delineatione atque deſcriptione. Auctore GVILIELMO BVTTERO.

Inter optima, quae calculum ſoluere valeant, remedia a recentioribus medicis, iisque praecipue anglis, aquam calcis viuae referri conſtat. Quum eius p. 1.

S 2 autem

* De eo vid. VALENTINI *Muſ. Muſ.* T. I. in *Append.* p. 25. RVMPHII *Herbar. Amboin. Part.* I. *Lib.* I. *Cap.* VI. p. 34. et *Lib.* III. *Cap.* XLI. p. 251. et *Part.* V. *Lib.* II. *Cap.* XXXIII. p 64. et ALB. SEBA. Caueant pharmacopoei, ne nominum aliqua ſimilitudine decenti illam cum *gummi gutta* ſeu *gutta camboidea* confundant.

** v. *Memoires de l' Acad. Roy. des Sciences. à Paris, l' année*

autem vires per ipſas corporis actiones ante, quam ad renes veſicamque urinariam pertingere queant, imminuantur, ideoque non, niſi lente, in ipſum calculum agere ſoleant: in voto habuerunt multi, ut inueniretur methodus, qua tuto ac ſine aegri incommodo illa calcis aqua per urethram immediate in veſicam poſſit immitti. Poſtquam igitur hunc in finem Cl. Auctor aliquod excogitauerat inſtrumentum, idque cum Cl. WHYTT communicans, et aliqua in publico quodam noſocomio faciens cum eo tentamina, euentum voto ſuo non perfecte reſpondere obſeruauerat: hoc tandem, quod nunc in uſum publicum deſcribit, finique praefixo aſſerit eſſe conuenientiſſimum, inuenit inſtrumentum; id, quod indicare ſaltem voluimus, licet adminiſtratio eius atque uſus ſine icone nec deſcribi nec intelligi ſatis queant.

p. 10. Vt in genere tamen aliqua de eo dicamus, follis quoddam illud eſſe genus, ex ligno quodam Americano *Mahogony* dicto * confecti, commemoramus, in quo medio collocatur ouilla veſica ſicca ad recipiendum, quod mediante illo folle compreſſo iniici debet, liquidum; cuius autem extremae parti tres applicantur e ſtanno parati tubi, in exteriore ſuperficie pro ſe inuicem recipiendis, cochleae in modum in partibus extremis contorti, quorum medius epiſtomium habet ad retinendum in veſica, quam diu lubet, liquorem; ultimus autem pro urethrae figura in finem ſenſim

née 1730. *Commerc. litter. Norimb. Ann.* 1735 et 1738. RVMPHII *Herb. Amboin. Part.* I. *Lib.* I. *Cap.* XXVIII. p. 143.

* Quantum nos quidem ſcimus, nullum adhuc a botanicis huic arbori datum fuit nomen ſpecificum. Cl. CATESBY in *Hiſtor. Carol.* eam deſcribit *arborem foliis pinnatis, nullo impari alam claudente, neruo ad latus unum excurrente, fructu anguloſo magno, ſemine alato inſtar pinus.* vid. MILLER's *Gardener's Dictionary* in appendice, ultimae eius, quae ſexta eſt, editioni addita, p. 1.

ſenſim ſenſimque anguſtiorem et paulo incuruatum excurrit; qui etiam a mulieribus adhibendus, ut ſibi ipſae conſulere queant eo facilius, magis adhuc inflexus, pro diuerſa autem virorum aetate peniſque magnitudine ad diuerſam longitudinem parandus, commendatur.

Quo autem modo inſtrumentum iſtud ab ipſis aegris ſibimet applicari poſſit, ſatis accurate Cl. Auctor docet. Liquidi, ſingula vice iniiciendi, quantitatem ita determinat, ut ea dimidio minor ſit, ac cuiuslibet hominis veſica commode circiter continere poſſit. Quodſi enim ea adhuc parcior ſit, toti tum calculo non penitus circumfuſa, parum vel nihil eius ſubſtantiae ſoluet; ſin vero maior, tum ea vel cito reiicitur, vel ipſa rumpi poterit veſica. Quem in finem etiam, ut haec eo facilius diſtendi, liquidumque infuſum diu ſatis in ſe continere poſſet, ſub initium curationis eandem quantitatem decocti maluarum immiſit Cl. Auctor. Ex iisdem quoque cauſis iniiciendi modus lentus ſit, haud interruptus ac aequalis. p. 27. p. 30. p. 32. p. 35.

Felicius autem adhuc omnis ſuccedit operatio, ſi interne ſimul adhibeatur aqua iſta calcis, ex oſtrearum teſtis paratae, incipiendo a duabus vel quatuor eius unciis, una doſi bibendis, uſque dum pro potu ordinario illam aſſumere queat aeger. Conſuetis enim horis, quando ventriculus nempe ieiunus eſt, aegro eam dare velle, ideo Cl. Auctori non arridet, quod ea tum temporis maximam in humoribus patiatur mutationem; quae vero minor ſit, ſi ſub ipſo paſtu vel paulo poſt eum hauriatur: quum urina tum temporis ſoleat eſſe cruda, a viribus nimirum corporis aſſimilantibus nondum valde immutata. Sub clyſteris quoque forma in corpus iniici poteſt illud remedium in iis potiſſimum, qui ore illud aſſumere recuſant; eiusque pondus ſingula vice ad libram circiter dimidiam; aegro deinde horizontaliter poſito, na- p. 40. p. 43.

S 3 tibusque

tibusque eius per aliquod tempus eleuatis, ne illico per aluum regrediatur lotio.

p. 44. Saponis uſum haud adeo neceſſarium ſimul eſſe putat Cl. Auctor, ut omitti nequeat, quum calcis aqua iam ſufficiat ipſoque ſapone tutior ſit, quippe qui appetitum facile deſtruat, viasque urinarias nimis ſaepe irritet, ſique in iis ulcera haereant, haec augere valeat. Quodſi vero nihil adſit, quod contra eius uſum indicet, aluus autem e contrario ſicca ſit, uſum eius ad unciam dimidiam partitis vicibus per diem adhibendam cum fructu admitti poſſe concedit. Tempus autem, quo in veſicam ingeri poſſit aqua calcis, optimum eſſe putat matutinum ante, quam e lecto ſurgat aeger, atque veſpertinum, quando is vult ire cubitum. Dorſo eum dein iubet incumbere, natibus atque feminibus reliquo corpore altius poſitis, quo tam diu, ac demum fieri poſſit, in veſica retineatur aqua iniecta, et reliqua ore aſſumta remedia eo me-
p. 48. lius in renes etiam agere queant. Vrinae enim faciendae niſum vel in homine ſano non facile a diſtentis veſicae tunicis, aut ipſius lotionis ſtimulo, ſed ab huius ſaltem preſſione in ceruicem veſicae facta, oriri autumat: quum a vero prorſus alienum eſſe videatur, cauum aliquod continendo ſingulari alicui liquido dicatum, ab eius acore irritatum iri in ſtatu ſano *.
p. 51. Ipſam porro calcis aquam per ſe mitem ſatis eſſe, nec alio mucilaginoſo forſan addendo remedio obtundi debere, non inde ſolum probat, quod oculo inſtillata perparum modo eum afficiat; ſed binis etiam aegris, quorum veſicae ſtatum antea inueſtigauerant aliqui

* Cur vero ab aſſumtis alimentis acrioribus, vel ſi quoque in corpore noſtro aliqua latet acrimonia, urinae vel admodum paucae mittendae valde inſignis ſtimulus? Illud aſſertum de urina maximam ſui partem aquoſa potius, quam omnibus eius generibus, valere poſſe videtur.

aliqui medici tirones ſanguinemque prolixerant, ſine ullo eorum incommodo eam immiſerit.

Qua nunc paucis enarrata methodo calculum ſatis magnum atque durum poſt paucorum menſium ſpatium diſſolutum iri, ipſumque certe, ſi quando omnem remediorum vim ſaxea eius durities ſuperet, laeuigari poſſe, ſperat atque promittit; idque alius quoque medici, Cl. RVTHERFOORD, teſtimonio comprobat, a quo conſcriptam calculi, feliciter iam dicta ratione curati, hiſtoriam hic loci adducit; omnemque hunc ſuum libellum animaduerſionibus contra omnes calculum ſecandi modos eorumque, quod vix euitari umquam poſſit, periculum finit; hancque a ſe commendatam methodum omnibus reliquis praeferendam eſſe docet; quae omnino, ſi eam in poſterum etiam probauerit experientia, Cl. Auctoris laudes ex merito confirmabit.

p. 55. p. 61. p. 67.

XI.

A Diſſertation on the ancient and noted Doctrine of Revulſion and Derivation: wherein the Abſurdity of the Principles, on which the Notion of Revulſion was originally founded, is evidently demonſtrated, and the immediate Conſequences of Blood letting plainly prov'd, both from the Laws of the Circulation, and the obvious Effects of this and ſeveral other ſpontaneous and artificial Evacuations, in the Cure of Diſeaſes, to be the emptying, exhauſting thoſe Veſſels in particular, that more immediately communicate with the Orifice; and conſequently that all Drains, whether by Bleeding, Iſſues, Setons, etc. ſhoud be made near, as they

conveniently can, to the Part affected. By GILES WATTS, M. D. At Battel in Suſſex. London, Printed for George Keith. 1754. 8. mai. pagg. 69. ſine praef.

i. e.

Super antiqua et nota doctrina de reuulſione et deriuatione diſſertatio, in qua principia, quibus illa ab initio ſuperſtructa fuit, euidenter abſurda eſſe demonſtrantur; ſimulque tum ex legibus circulationis ſanguinis, tum ex obuiis venae ſectionis, aliarumque variarum, vel ſponte ſua vel arte factarum, illius euacuationum effectibus, immediati ſanguinis miſſionis euentus, in morborum cura, ei eſſe clare probantur, ut ea in primis vaſa, quae cum illo inciſo proxime communicant, vacua reddantur atque exhauriantur; indeque ſequi, ut omnes detractiones, ſiue per ſanguinis miſſionem, ſiue per fonticulum aut ſetaceum praeſtari debeant, tam prope a parte affecta, quam demum fieri poſſit, ſuſcipiantur, neceſſe ſit. Auctore AEGIDIO WATTS.

In ſui potiſſimum ipſius defenſionem exarauit hunc tractatum Cl. Auctor, quum erroris in curando aliquo aegro commiſſi, a maleuolis dicti, accuſaretur, cui apoplectico facto, ut ſanguinis impetum ad encephalon factum tolleret, venam in ſuperiore vaſorum ſyſtemate ſecuerat, et ad illum in remotas ab eo partes reuellendum, ſtimulantes atque catharticas, in aluum immittendas, curauerat lotiones, veſicatoriis atque ſinapiſmis ſimul inferioribus corporis artubus applicatis. Neque mirum illud eſſe putat, quum

a GALE-

a GALENI in primis tempore ea de ſanguinis reuulſione ac deriuatione inter auctores vix non omnes inualuerit opinio, ut ad partes, in quarum vicinia ſecta fuerit aliqua vena, ſanguinis iuſto maiorem copiam allici exiſtiment, ideoque in remotiſſima aliqua corporis parte antea eam ſecandam eſſe, quam in vicino quodam obſtructioni loco, ſi demum in eo aliquam aperire liceat, percutiatur: At magis etiam adhuc mirum eſſe, quod haecce quidem difficilis, ſed ardua valde doctrina de eligenda, quae feriri debeat in morbis, vena in recentibus hiſce noſtris temporibus, poſtquam ſanguinis circulationis leges detectae ac reliquae ſcientiae phyſicae partes admodum excultae fuerint, nondum ſatis expoſita ſit. Vt igitur, quantum in ſe eſſet, hancce inter medicos agitatam litem dirimeret, in hoc ſe inquiſiuiſſe argumentum modeſte narrat.

Totius libelli ſummam ipſe eius titulus ſatis declarat. Ab initio enim veterum de reuulſione atque deriuatione proponitur doctrina. Scire licet, eos plurimorum quidem morborum, inflammationis tamen potiſſimum, doloris atque tumoris, *fluxionem* variorum humorum ad partem affectam ſubito tendentem, cauſam eſſe proximam arbitratos fuiſſe; inter eos tamen, qui modo fiebant, impetu nempe irruentium humorum adhuc durante, et inter illos, qui iam facti erant, humoribus affectae parti iam impactis, diſtinxiſſe; eaque diſtinctione hanc ſuam ſuperſtruxiſſe doctrinam. Porro in genere aperire iubebant illa vaſa, quae cum illis credebant communicare, in quibus imminuere volebant humorum redundantiam. Inde quoque naſcebatur eorum doctrina de euacuatione *κατ' ἴξιν*, *e directo*, vaſorum quippe ab uno loco ad alterum, ſiue per longitudinem, ſiue per latitudinem corporis, excurrentium; v. c. in lienis inflammatione ſiniſtri, in illa vero hepatis, dextri brachii vena incidenda erat. Illam au-

p. 2.

p. 5.

 tem

tem ſamoſam de reuulſione atque deriuatione qui inuenerit doctrinam, primus fuiſſe dicitur HIPPOCRATES; eius tamen accuratas ſatis nullibi dedit notiones. Studioſiſſimus autem eius commentator, GALENVS, omnes ſibique ſaepe contradicentes, ab illo traditas regulas inter ſe conciliare tentauit, illudque ad noſtra uſque tempora tam ſancte a multis obſeruatum,
p. 9. ſyſtema de eo argumento conſtruxit. Appellauit is ἀντίσπασιν, reuulſionem, quando humoribus alium, illique priori, quem antea habebant, prorſus contrarium conciliamus fluxum; παροχέτευσιν vero, ſeu per canales vicinos deriuationem, quando ipſum ſtagnantem et obſtruentem humorem per inciſionem, vel in ipſa affecta parte, vel in aliqua vicinarum partium, factam, euacuamus. Vti enim ex CELSO *, contra hanc ſententiam diſputante, clare ſatis apparet; ſanguis quaquauerſum ad inciſum locum et adiacentes partes, non ſub illa ſolum phlebotomiae operatione, ſed et per longum ſatis adhuc tempus poſt illam, affluere, idque ipſum, quod iam grauatum ſit, euocari; ideoque in morbis incipientibus quam longiſſime inde, ubi laederet, ad eum in oppoſita loca reuellendum; in iis autem inueteratis ex ipſa affecta parte, qui iam ibi haereret, emittendus
p. 15. eſſe credebatur. Ab omnibus ea quidem recepta non erat opinio, quum eſſent, qui a contraria parte ſtabant, exiſtimantes nimirum, vaſa inciſo loco vicina non grauari, ſed exhauriri potius: illa tamen nihilo minus praeualebat; licet, quum contra omnem eſſet experientiam, dubios redderet ſuos defenſores, adeo, ut in morborum declinatione ſic dictam deriuationem admitterent; quae tamen, ex ipſis eorum principiis, aeque tum temporis habenda erat nociua, ac antea, propter metum quippe, ut nouus humorum ad partem affectam fluxionis impetus excitaretur.

Ad

* Lib. II. Cap. 10.

Ad conficiendam itaque totam illam litem, haec omnino dirimenda erit quaeſtio: Num ſanguinis miſſio exhauriat, an grauet, vaſa illi inciſo adiacentia? Quem in finem primo utramque hanc quaeſtionem ad ſanguinis circulationis leges Cl. Auctor examinat, illarum utra his quam maxime conueniat? Deinde ad obuios tum ſpontanei, cum arte facti, ſanguinis profluuii effectus reſpicit, quantum hi ad ſententiam reliquis magis inuentam probabilem adhuc magis concurrant confirmandam. p. 18.

Omnis inueſtigationis inde capit exordium, ut varias, quae progreſſiuo ſanguinis motui obueniunt, reſiſtentias enumeret, quippe quae ſunt: Sanguis ipſe arterias ſemper replens, tam in earum ſyſtole quam diaſtole: Tunicarum, e quibus illae ſunt contextae, elaſticitas; ita ut poſt diaſtolen ſe contrahentes, ab impulſu nouiter irruentis ſanguinis diſtendi debeant: Varii flexus et anguli, quos pro ſitu atque diſtributione variis, experiuntur haec vaſa: Conica arteriarum figura, quae omnium earum ſingulis vere talis eſt; licet cunctarum ab aorta ſecedentium lumina coniunctim conſiderata, huius maximi vaſis lumine maiora ſint, ut illud hoc reſpectu vas dici poſſit conuergens: Illae denique partes cunctae, quae arteriis circumiacent et pro diuerſa ſua indole magis vel minus reliquas iam iam recenſitas augent reſiſtentias. Poſt haec de ſanguinis illo progreſſiuo motu, per venas continuato agit, eumque arteriarum quidem viribus, cordis tamen potiſſimum ad ipſas pertingenti vi, tribuendum eſſe contra Cl. WHYTT * non inde ſolum probat, quod in ranae pulmonibus obſeruati oculo clarum illud fiat; ſed et compreſſa arteria, aut animi accedente deliquio, ſanguis ex inciſa vena fluere deſinat; idque etiam, praeter iniectiones anatomicas, p. 20.

* Eſſay on the vital and other involuntary motions of Animals. vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 589.

micas, ex variis morbis, tenerrimas partes occupantibus, v. c. eryſipelate, oculorum tunicae albugineae inflammatione, uti etiam ex ſanguinis celeritate in minimis vaſis maiore obſeruata, quam ex calculo rationis inter eorum areas ad aortae lumen ducto, ſuſpicari quis poſſet; quippe quod celeritatis augmentum cordis vi adſcribendum ſit. Maiorum tamen etiam arteriarum elaſticitati, et earum minimarum aeque ac talium venarum oſcillatorio motui aliquid dandum eſſe concedit. His praemiſſis, ad ipſius quaeſtionis ſolutionem redit.

p. 23. Ipſa venae alicuius ſectio in genere ſanguinis imminuit quantitatem, certoque modo primam ex reſiſtentiis iam adductis, tollit, ideoque liberiorem per ſuos canales tranſitum humoribus conciliat. Magis ea adhuc de particulari parte, e qua ſanguis miſſus fuit, valebunt. Quo enim expeditius per inflictum vulnuſculum, ac antea per ipſam venam, exit ſanguis, eo quoque minor non per hanc tantum inciſam venam, ſed per arteriam quoque ei reſpondentem, ac utriusque ramos, illi tranſituro orietur reſiſtentia. Porro ex legibus hydraulicis, ſub ipſa venae ſectione, ſanguinis in hancce arteriam irruentis eadem erit ratio, ac illius, qui per venam exit, maior nimirum aut minor, quo maior vel minor eius copia emittitur. Itaque, quoniam tum temporis vena cum ſua arteria eodem modo, ac antea, plena eſt ſanguine, deriuatio, ſtricte et ex eius prima determinatione loquendo, locum habere non poſſet, ſi iam iam dicti venae ſectionis effectus eſſent unici. Verum enim vero ſanguinis copia non in genere tantum decreſcit: ſed eius quoque refluxus in venam cauam intercipitur, ideoque illa ſanguinis quantitas in iſta vaſa, quae cum inciſa vena communicant, nunc denuo immittenda, minor, ideoque eius etiam reſiſtentia in qualibet vena minor erit, corde ſimul non minorem modo ſanguinis copiam, ſed et hanc non priore, at imminuta

nuta potius, ſui ipſius vi, emittente. En cauſa, cur vaſa nec extraordinariam ſanguinis quantitatem, illi effluenti aequalem recipiant, nec in eodem diſtentionis ſtatu, ac antea, permaneant! Vt res fiat clarior, p. 25.
pone viginti ſanguinis libras duobus ſingulis horae minutis per totum vaſorum ſyſtema circumduci, et eodem temporis ſpatio, ſexageſimam circiter eius partem, quatuor circiter uncias, per venam brachii medianam fluere; porro, eodem adhuc tempore, ex inciſa illa vena duodecim eius uncias emitti: patet, octo unciis maiorem eius copiam in communicantem arteriam irruere debere eodem tempore, ſi vaſa eandem retinerent copiam. Illud autem fieri non poſſe, non ſolum ex iis, quae iam dicta ſunt, colligere licet: ſed eius quoque mutationis aliquale certe ſignum ex illa communicante arteria, tangenti digito pleniore et fortiore apparente, deſumi poſſet, ſi tam inſigniter aucta ſanguinis copia uno tempore per illam traiiceretur: ſed nihil adeſſe inſoliti deprehenditur; ideoque et inde pateſcit, ſanguinem nec maiore quantitate, neque fortiore impetu in vaſa illi inciſo vicina irruere; ac inflammationem igitur, ſi qua ibi praeſens ſit, aut aliquam forte fluxionem dictam inde non augeri; quin ea potius vaſcula, quae cum illo inciſo communicant, exhauriri. Quid? Quod veri ſimile ſit, p. 27.
ipſam arteriam inciſae venae reſpondentem, tantam poſt venae ſectionem haud recipere copiam, ac ante illam adduxerat. Qua occaſione in b. FREIND, BVTLER, aliosque animaduertit Cl. Auctor, eos in errorem inde ſe deduci paſſos fuiſſe, quod, anteriore ſeu proxime reſiſtente ſanguinis columna per ſanguinis miſſionem ademta, eius ipſius nunc maiorem quantitatem allici exiſtimauerint, ad emiſſam illius copiam haud ſatis reſpicientes; quippe quae triplo minimum maior ſit illa copia, quae ante venae ſectionem per illa vaſa fluxerit. An volumini illius partis, e qua mittitur ſanguis, ab exhauſtis vaſis diminuto,

minuto, adſcribendum erit, quod ligatura, inciſo loco applicata, poſt aliquod tempus ut plurimum laxior fieri ſoleat?

Arteriotomen praeferre non nulli ſolent phlebotomiae. Num iure? Iidem fere utriuſque eſſe videntur effectus: in eo tamen caſu, ubi incidendum aliquod vas immediate communicat cum obſtructis, humorem, ſtaſi ſua iam corrumpi coeptum facilius educere poſſe videtur phlebotomia. Vulnuſculo venae clauſo, ſanguinis circulatio ad priſtinum ſtatum illico reuertitur, ſiue quoduis vaſculum iuſtam, qua cordis vi reſiſtit, ſanguinis iterum recipit quantitatem, adeo ut venae ſectionis uſus in ſingulari aliqua parte expectandus, ipſo durante ſanguinis profluuio diutius haud perſiſtat. En ſpes inde vana in tumoribus iam diu praeſentibus aut inueteratis doloribus!

p. 29. Particularis etiam venae ſectionis uſum ex iam dictis a priori, ut aiunt logici, intelligendum, confirmat adhuc experientia. Sanguis enim, per nares prorumpens, quantum ſaepe leuat morbos capitis? Inter prognoſtica eius ſigna, ceruicis dolorem, grauitatis ſenſum in temporibus, obnubilationem viſus, rubicundum faciei colorem, e. ſ. p. refertur etiam a multis medicis hypochondriorum calor atque tenſio, ex quo ſigno certum aliquem inter nares atque hypochondria conſenſum intulit Ill. VAN SWIETEN, quod tamen a repulſione potius et accumulatione ſanguinis ad maiora cordis vaſa facta, propter alia in ſuperiori vaſorum ſyſtemate obſtructa, oriri Noſter p. 33. autumat. Spontaneus interim ille naturae motus adeo ſalubris eſſe obſeruatus fuit, ut inde arterias temporales venaſue iugulares aperiendi occaſionem ſibi dari exiſtimauerint vix non omnis ferme aeui medici. Quin et veri eſſe videatur ſimile, veteres ſingulari aliquo, licet notis haud cognito, uſos fuiſſe modo, quo narium haemorrhagiam arte chirurgica excitauerint. Anginae poro egregie mederi venae

ſectiones

ſectiones in vicina aliqua parte, v. c. venis raninis, ab initio morbi inſtitutas, experientia ſaepe docuit; licet in hoc etiam morbo alii medici, et inter eos quoque Ill. VAN SWIETEN, ex illa iam ſaepe dicta opinione praeconcepta, largam ſanguinis miſſionem in remota aliqua parte antea ſuadeant. Niſi enim ita, ut exhauriat proximum locum, haec ipſa iuuet operatio; ſin potius ſanguinem attrahere tumoremque inflammatorium augere valeat, ſuffocationis metum ea nullo non tempore afferet; id, quod tamen et ii, qui contrariam defendunt ſententiam, ipſi fieri negant. Aliae porro tum arte factae, tum quoque na- p. 41. turales euacuationes in particularibus morbis ideo utiles eſſe videntur, quod illae prorumpant e vaſis, quae cum aliis affectae partis communicant, haecque nimis repleta exinaniant. v. c. Haemorrhoidum fluxum in viſceribus abdominis obſtructis; ſic et ulcera exteriorum corporis partium arte excitata, in omnibus internis ſuppurationibus; uti et ſcarifationem laeſae alicuius partis, prodeſſe conſtat.

Ante vero, quam de his euacuationum generi- p. 45. bus, quatenus eorum effectus ſuam de ſanguinis miſſione confirment ſententiam, amplius loquatur, oppoſitioni cuidam, quam ipſi a non nullis moueri poſſe praeuidet, obuiam it Cl. Auctor. Spontaneae nimirum, dicere quis poſſet, haemorrhagiae ut plurimum ſiſtuntur, ſanguine in extrema aliqua corporis parte miſſo: Nonne inde colligere licebit, ad inflictum illud vulnuſculum omnem ſanguinis molem magis attrahi? Verum enim vero illum huius ſanguinis miſſionis effectum ſoli plethorae imminutioni tribuendum eſſe inde patet, quod in copia ſanguinis imminuenda ſaepe ſola haemorrhagiae curatio poſita eſt, ideoque haec ipſa ſaepius ſponte ceſſat. Deinde, id, quod maioris adhuc eſſe videtur ponderis, ex eadem ratione, qua ad inciſam venam ſanguis ruere dicitur, ad illam quoque ſponte factam vaſorum aperturam

omnis

omnis tendere poſſet cruoris copia ibique effluere, vita illius aegri vix non ſemper peritura; quod tamen contra omnem pugnat experientiam.

p. 47. Prima igitur ex iam dictis euacuationibus ſanguinis miſſioni analogis, in cuius naturam inquirit Cl. Auctor, eſt formatio abſceſſus ſeu praeparatio puris, quippe quae, quo demum cunque modo fiat, certe inflammationis ſymptomata imminuit et, pure deinde emiſſo, prorſus tollit. En immediata via, quam ipſa incedit natura ad deplenda, quae diſtendebantur nimis, vaſa! adeo ut, ſuppuratione diu protracta,
p. 49. pars iſta affecta valde emacietur. Ex egregiis inde obſeruatis effectibus factum etiam eſſe videtur, ut ſimilia ulcera per fonticulos aut ſetacea, ſimilique arte efficerent medentes; de quibus tamen omnibus nulla fere inter medicos umquam orta fuit diſſenſio, illa eo eſſe utiliora, quo propius a parte affecta applicari queant *. Quin et populi omnium artium imperiti, rudes atque ignari, ideoque nullis ſeducti doctrinarum hypotheſibus, ſed ſoli tantum innixi experientiae, ſemper ad laeſam partem tam prope, quam fieri poterat, talia efficiebant. Praeter id etiam parca illa humoris copia in eius generis ulceribus excerni ſolita, innuere videtur, vicina tantum, quae iam affecta

* In his aeque ac ſequentibus, quae de ulceribus arte, in primis per uſtionem factis, dicta ſunt, Cl. Auctor nimis parum ad illam reſpexiſſe videtur irritationem, quae in neruis fit, et qua non vicinae ſolum partes ad fortiorem contractionem ſtimulari, ſed et inde maior omnino humidorum copia allici, ideoque verae reuulſioni, vel ſimili certe morbi mutationi, locus dari, videntur, qua morboſi humores nunc in alio loco, ulcere nimirum facto, copioſius ſe-et excernantur, quam antea fiebat, ubi illi fere omnes ad illum locum deferebantur, qui, forte propter diuturnitatem morbi, reliquis partibus laxior, ideoque ad illos recipiendos et excernendos aptior factus fuerat.

fecta ſunt, vaſcula inde exhauriri; v. c. in rheumatiſmo fixo, dolore iſchiadico, ſcrophuloſis tumoribus, e. ſ. p ut morbis a vaſis obſtructis nimiaque grauatis morboſorum humorum copia ortis: illud ſiue fiat per obſtructorum vaſculorum eiusue lateralium oſcula immediate in ulcus hiantia; vel per eorum communicationem ſeu *inoſculationem* dicendam; ſublata nunc in extremis reſiſtentia, cordisque ideo vi morboſum humorem facilius propellere potente. In cuius rei confirmationem narrat Cl. Auctor exemplum feminae, cui cancroſus tumor in brachio fuerat exſtirpatus, dein vero repullulare viſus, fonticulo prope illum locum excitato, perfecte ſanatae p. 54.

Vlcera quoque artificialia, in anteriore colli parte excitanda, contra binos alios aeque funeſtos morbos commendat, bronchocelen et hydrophobiam; quum illa a faucium regione et glandula potiſſimum thyroidea nimium tumidis factis; haec vero, ſymptoma eius certe pathognomicum, aquae ſcilicet horror, a rima glottidis vicinisue partibus ſpasmodice conſtrictis, veneno hydrophobico critice quaſi ad has partes depoſito, oriri videantur. Eadem huc uſque p. 56. dicta de methodo per cauteria vel etiam ſcarifationem curandi morbos, quoque valent, quae tam prope, ac fieri poterunt, a parte affecta cum felici ſucceſſu applicabitur.

Si quis autem interroget, quaenam inter has iam p. 58. iam recenſitas euacuationes, iſtamque per venae ſectionem praeſtandam intercedat conuenientiam? is ſcire debet, eas omnes modo *quoad plus et minus*, vel in ratione demum ad diuerſam emittendi humoris copiam habita, a ſe inuicem differre, ita, ut reſpectu tum phlebotomiae, cum aliarum euacuationum, generalis valeat regula: eas omnes, ſi aegro debeant eſſe proficuae, fieri debere ex illis vaſis, quae proxime ipſi parti laeſae adiacent.

p. 63. Poſtquam deinde ipſas iam expoſitas reuulſionis atque deriuationis notiones a non nullis auctoribus inter ſe commutari animaduerterat Cl. Auctor: ipſemet illas ita determinat, ut *reuulſionem* eorum remediorum dicat eſſe operationem vel effectum, quae partes, quibus applicantur, ſtimulando, maiorem ſanguinis copiam ad eas inuitant, ideoque, ſi illae fuerint remotiores, circulationis vim a parte affecta auocant; *deriuationem* vero illorum vim, quae obſtruentes humores per proximam aliquam partem a loco affecto deriuant atque emittunt. Ad illam itaque pertinent cathartica, veſicatoria, ſinapiſmi, e. ſ. p.; ad hanc autem ſanguinis miſſio, fonticuli, ſetacea, e. ſ. p. Venae ſectionis itaque effectus citi ſunt et tranſitorii; illi autem fonticulorum ſimiliumque euacuationum lenti magis atque tardi; hinc illi in acutis, hi potius in chronicis morbis, locum habebunt. Inter reuulſionis remedia prima et reliquis efficaciora ſunt cathartica; poſt haec veniunt veſicatoria, eo tamen in primis reſpectu magni habenda, quod partibus corporis quibuscunque applicari queant; circa quae tamen, ut uſitatis illis remediis veſicantibus alia ſubſtituantur magis tuta, Cl. Auctor optat. En totius tractatus ſumma, de quo, ut argumento difficili inter omnes certe medicos nondum penitus confecto, ferendum iudicium lectoribus noſtris relictum eſto!

XII.

XII.

Quaeſtio medica: Vtrum *Aquitaniae* minerales aquae morbis chronicis? Praeſide IOANNE BAPTISTA BASSEVILLE; proponebat THEOPHILVS DE BORDEV, theſeos Auctor. Pariſiis, 1755. 4. pl. 9½.

Theſeos huius Auctor, ſi recte quidem iudicamus, eſt idem, qui quaeſtionem: *An omnes organicae corporis partes digeſtioni opitulentur?* quam praecedenti volumine* adduximus, propoſuit. Omne in quinque partitum eſt ſectiones opuſculum. A p. 2. primis medicinae principiis orditur Cl. Auctor, et in *prima* ſectione, quae XLVIII theſes continet, phyſiologiam, morborumque pathologiam praemittit, quibus tamen omnibus facile ſuperſedere potuiſſet, niſi paradoxas eique prorſus ſingulares interdum foueret opiniones, quas, quia ſequentes ex hiſce cogit, ut lectores antea ſcirent, neceſſe erat. GVILIELMI BALLONII, celebris praeteriti ſeculi medici, in primis ſequi videtur principia, quem ideo multum laudat. Veterum medicorum monumenta diligenter legit, ſaepiusque citat: eorum tamen placita ad ſuam plerumque vertens mentem. Sunt ſecundum p. 6. illum, in qualibet vera inflammatione unicum aut plura centra, veluti *nuclei*, aut textus cellularis lamellarum compreſſiones, hinc coalitiones. Organum igitur cellulare, *textusue mucoſus* praebet ſedem in inflammatione: praebet praeter ea textus ille cellularis *muſcoſam* materiem, aut *gelatinoſam*, ex qua coalitio fit et augetur. Materies illa ſuccus eſt nutricius, in lamellas adhuc non recte extenſus, qui multis in morbis turget in ſanguine, dum a textu cellulari non excipitur. In omni itaque fere morbo adeſt in ſanguine plethora ſucci nutricii, et, quae ſanguini innatant,

* Vol. III. P. II. p. 266.

tant, concretiones in acutis et chronicis, nil niſi ſuc-
cus idem redundans, quoniam textus cellularis nu-
tritioni non vacat.

p. 13. In morbi cuiuslibet curatione intendere debet
medicus, ut morbus praeuertatur atque ſoluatur,
quantum fieri poteſt, veluti excretio ſimplex aut na-
turalis digeſtio. Omnis enim morbus, dum ſanatur,
praeſertim ſecundum naturae normam excretione ali-
quali deſinit, aut ſoluitur, ſiue ſit acutus, ſiue chro-
p. 15. nicus. Morbus tandem chronicus illi eſt, omnis af-
fectio, acuta fieri non potens; vel morbus, qui fa-
cile concoqui nequit; acutusque vel intempeſtiue ca-
ſtratus, vel non omnino terminatus, chronicus fit,
ex ſimpliciſſimo etiam affectu ad morbum uſque ma-
gis complicatum adſcendens.

In ſectione *ſecunda* obſeruationes LXXII. referun-
tur, quae diuerſos morbos continent, qui *Aquitaniae*
aquis ſanati ſunt. *Aquitaniae* autem fontes, de qui-
bus hic potiſſimum agit Cl. DE BORDEV, quinque
ſunt numero: *Bareges; Bannieres; Cauteres* (*dans le
Bigorre*); *les eaux Bonnes*; *les eaux Chaudes*, (*dans
le Bearn*). Ob calorem, quem poſſident, thermae
nominandae. Quatuor ex his odorem habent veluti
ſulphureum; argentum nigro colore tingunt. *Ban-
nieres* vero nec odorem illum habent, nec alium,
neque argentum inquinant. Et haec fere ſunt omnia,
quae de harum aquarum natura ac indole habet Cl.
Auctor. Examen enim phyſicum aut chemicum,
cum his aquis inſtitutum, uti equidem ſperabamus,
hisce pagellis nullibi inuenimus. An hoc fortaſſe fa-
ctum ſit in opuſculo, quod 1746 ſub titulo: *Lettres
contenant des Eſſais ſur l'hiſtoire des eaux minerales
du Bearn et du Bigorre*, edidit, et quo aquas has, uti
ipſe ait, medicus expendit, ignoramus, quia dictas
videre litteras nobis nondum licuit.

Obſeruationes autem, vel ipſe in fonte collegit
Auctor, tunc mineralium omnium aquarum in *Aqui-*

tania,

tania, Inſpectoris Regii officio fungens: vel ex Cl. MEIGHAN, qui 1742 opus circa aquas *Bareges*, anglico idiomate: *a Treatiſe of the nature and powers of Bareges baths and waters*, *London*, *1742*. publicauit, excerptae: vel ex Cl. Patris, ANTONII DE BORDEV, Medici Monſpelienſis opere, *Diſſertation ſur les eaux minerales du Bearn*, *à Paris*, *1748*. reuocatae ſunt. Morbi, quos prae aliis hae aquae ſanarunt, p. 18.
fuere morbi ventriculi, inteſtinorum, lienis et hepatis obſtructi, uteri inordinate fluentis, pectoris debilitati, haemorrhoides, catarrhi, aſthmata, hemicrania, rheumata. Hos morbos *ſympathicos* nominat Cl. Auctor. Sequuntur nunc morbi partium ſolida- p. 32.
rum, ſeu ſtricti et laxi, quos *idiopathicos* appellat et ſectione *tertia* tractat: licet ipſe fateatur idiopathicos cum ſympathicis ſaepe complicari, ut inter eos nequeat afferri diuiſionis punctum. Plures quam quinquaginta affert obſeruationes, quibus probat eiusmodi morbos his aquis curatos eſſe. Huc pertinent tumores oedematoſi, varicoſi, fluxus pituitoſi, mucoſi ex veſica et partibus genitalibus; nec non partium imminutio, exſiccatio, marasmus. Sic mulieri luxatus fuit humerus in ſuperiori articulo, brachium poſtea emaciabatur, contrahebantur et exſiccabantur tendines, digiti adunci fiebant. Stillicidium p. 39.
Bareges, balnea aliquot temperata, potusque aquarum parti motum priſtinumque ſtatum conciliarunt. Viri femur ex pertinaci rheumatismo contabuit: parti medelam attulere aquae *Bareges* more ſolito adhibitae per tres annos. Vlcera quoque, proprietate ſpecifica, ſanare dicuntur aquae *Bareges* et *Bonnes*. In nulla corporis parte ulcera ſanata non vidit Cl. Auctor. Calloſitates vero illis aquis reſiſtunt, licet aliquae illis ſoluantur.

Commotionem in primis febrilem excitant aquae p. 42
Bareges et *Bonnes;* praeter ea ad partem affectam humorum copiam emittunt, nec deeſt forſan, ſe-

 cundum.

cundum Cl. Auctorem, humoribus illis vis cicatricem fundens, unde cicatrix vetus aperiatur, neceſſum eſt, noua cicatrice orta, quae ſpatium vacuum replet. Vteri haemorrhagiam, dolores, motusue conuulſiuos, ex utero duro et indolente oriunda, compoſuere balnea et iniectiones *Bareges*. Vteri ulcus, quod abdominis muſculos perforauerat, ita, ut aqua iniecta in vaginam, per infimi ventris parietes exiret, et vice verſa, *Bareges* ſanatum eſſe contendit Cl. Auctor. Per vulnus ad pubem in veſica glande plumbea inflictum, urina fluebat ſponte. Huic fiſtulae ſanationem conciliaſſe dicuntur aquae *Bareges*, quid? quod duo ulcera veſicae confirmata, a cauſa interna, ſanata ſe vidiſſe credit Cl. DE BORDEV. Iuuenes, quorum glandulae meſenterii tumebant, aquae *Cauteres* admodum ſubleuarunt. Lienem tumidum in puero tum et in adulto diſcuſſerunt aquae calidae *Bareges* balneaque temperata. Ex peripneumonia puris ſputator febre laborans cum macie et debilitate potu aquarum *Bonnes* exſcreationem copioſiorem primo expertus eſt, poſtea pelliculas, ſcilicet vomicae cyſtidem cum ſputis elicuere aquae eaedem pectusue expe-
p. 46. diuere, viribus et obeſitati conſulendo. Cataractam aquis *Bannieres* reſolutam fama quidem haberi profitetur: morbum tamen hunc *Bareges* et alibi obſiſtentem vidit. Aſt cicatriculas, aut calloſitates in cornea, inflammationis effectus, imminutas aliquatenus obſeruauit, aquis *Bareges* et *Bonnes*. Paralyſi affectos ſeptem numero annotauit *Bareges* anno 1751, qui quidem ſatis ſubleuati, non tamen omnino ſanati ſunt. Senis, hemiplegia tentati, crus, non autem
p. 48. brachium, ſubleuarunt aquae *Bannieres*. At enim vero, quum morbi incurati et incurabiles multum doceant rerum peritos, in *quarta* ſectione *inſanatos* harum aquarum ope, *inſanabiles* et *dubios*, ſcilicet eos, qui ſunt in ambiguo, refert, nec ſuos, nec aliorum tacens errores. Sic paralyticos plurimos obſeruauit,

ſeruauit, quorum aliis nil proderant, aliis autem euidentiſſime nocebant aquae ſupra laudatae. Et quoniam thermae in genere caput magnopere replent: in epilepſia et vertigine non niſi caute thermas harum aquarum admittendas eſſe ipſe fatetur. Morbos pectorales in corde idiopathicos, pulmonum affectus idiopathicos, cum haemoptyſi et aſthmate coniunctos, inter morbos ponit *incurabiles.* Hiſce adiungit ulcera, cariem, marasmoideasque diſpoſitiones.

Poſt ea de morbis agit, in quibus nondum ſatis p. 52.
compertum eſt, quid praeſtent aquae illae minerales: morbos eos *dubios* appellat. Huc refert morbos articulares, rheumatismos, podagram, calculos renum atque veſicae, quos interdum excerni aquis hiſce affirmat. Vlceribus herpeticis et cancroſis nihil profuere aquae, potius malum auxerunt. Gonorrhoea virulenta et lue venerea laborantes plures curatos, quam incuratos, animaduertit Cl. Auctor: ſed panaceas ſuas, mercurialesque inunctiones in uſum ſaepius vocauit: hinc dubium, utrum aquae, an mercurius malum abſtulerint. Ipſe enim hanc obiectionem praeuidens adiicit: *haec hiſtorice narrata* p. 60.
ſunto, nec dicant nos morbum venereum aquarum noſtrarum ope curari contendere; id enim neque putamus, nec proponimus.

Tandem contra HOFFMANNVM, qui minerales aquas in ſcorbuto multum commendauit, aſſerit illas in hocce morbo minime eſſe adhibendas, quia ter vidit ſcorbutum, cui aquae ſaepe dictae fuere lethales. Sed, ſi recte equidem iudicamus, b. noſter HOFFMANNVS de alio loquitur ſcorbuto, qui hypochondriacis valde infeſtus eſt, et mineralibus omnino curari poteſt aquis, licet, ut verum fateamur, inadaequate ſcorbutus audiat, quam de quo Cl. DE BORDEV egit. Harum aquarum adhuc explicanda rema- p. 63.
net vis et actio, qua morborum excretionibus (mor-

bus enim omnis excretionis labor habendus) fauent vel nocent, quod in ſectione *quinta* praeſtare annititur Cl. Auctor. Quibus praemiſſis, aquas *Bannieres* diureticas, purgantes, tonicas pronuntiat: aquas *Bonnes* bechicas: aquas *Bareges* diaphoreticas, relaxantes utrasque habet: aquas *Cauteres* et *Chaudes* veluti medias inter aquas *Bannieres*, *Bonnes* et *Bareges*, easque ſtomacho potiſſimum dicatas iudicat. Verum mineralis aqua, ſi omnis ad ſanguinis vias transmittatur, num mineralia ſua ſecum vehat, valde dubitat. In viſceribus enim minerales aquas digeri, diſſolui, decomponi ſuſpicatur, vel ex eo, quod earum multae excrementa nigricante colore inquinant etc. defaecatam igitur et ſubtiliorem aquam forſan ſolum lacteas vias ſubire credit: Mineralia, qui ad ſanguinem transuehi affirmet, ſaltem a ſalis GLAVBERI et marini minima quantitate effectus fere nullos produci fateatur, neceſſum eſſe: Salis enim marini, tum et GLAVBERI, aut ſalium terreorum quantitatem maiorem in prandio uno ſaepe aſſumi, quam in mineralium aquarum (ſaltem harum) per dies quatuor potu: Aquarum igitur *ſpiritus*, gas, aut quidquid ſit, ad ſanguinem transferri dicendum, et ad organa, quae excitat: neque per circulationis vias duci ſe pati putandum.

p. 72. In fine harum adhuc thermarum gradus caloris, in thermometro Farenheitiano annotatos, adiicit. *Bannieres* fontes, ſunt autem triginta aut triginta duo, reperiuntur calidi a gradu 82 ad 124 circiter: *Bareges*, octo fontes, a gradu circiter 86 ad 115: *Cauteres*, fontes ſeptem aut octo, a gradu 102 ad 120: *Bonnes*, fontes tres, a gradu 90 ad 102: *Chaudes*, fontes tres, a 92 ad 114. gradus, eosque quandoque paululum augeri, aut imminui calore, expertus eſt Cl. Auctor.

XIII.

XIII.

Phyſicaliſche Beluſtigungen. Erſtes bis vier und zwanzigſtes Stück. Berlin, bey Chriſtian Friedrich Voß. 1751. 1752. 1753. 1754. Erſter Band 2 Alph. 3 Bogen, Zweyter Band 2 Alph. 4 Bog. Ein bis vier und zwanzigſtes Stück, 20 Bogen.

id eſt:

Deliciae phyſicae. Pars I ad XXIV. 1751 ad 1754.

Has quidem *delicias* vel eam ob cauſam ſilere non poſſemus, quia de ſcriptis, quorum partes per interualla prodeunt, omnibus dicendum nobis exiſtimauimus; ſed praeter ea illae etiam rerum ubertate et praeſtantia ſe commendant, ut commemoratu digniſſimae ſint.

Primus illarum auctor CHRISTLOB MYLIVS fuit, poſt cuius obitum adhuc, etſi lentius, continuantur. Licebit vero hac occaſione de MYLIO ipſo quaedam dicere, ubi utemur ſcripto, quod memoriae eius ſeruandae deſtinauit Cl. KAESTNER, et primo quidem ſeparatim edidit, poſt deliciarum harum parti viceſimae tertiae inſeruit. Vſus vero eſt KAESTNERVS illis, quae habet Cl. MYLIVS A.M. Ienenſis in Hiſtoriae ſuae Mylianae, Ienae 1752. editae, Part. I. §. 14. p. 105. a defuncto accepta; ſed plura etiam, quod ipſe MYLIO familiariter uſus eſt, addidit.

Natus erat CHRISTLOB MYLIVS Reichenbaci, in pago Luſatiae ſuperioris, patre verbi diuini ibidem miniſtro, d. 11. nouembr. 1722. Litteris praeter ſcholas inferiores unice Lipſiae vacauit, medicinae operam nauans, ſed omnium, quae natura continet, feruidus et indefeſſus ſcrutator, mathematum etiam, ſine quibus naturae cognitio nulla eſt, perquam ſtudioſus. Ita cum in botanica aſſiduus eſſet, ſimul in-

ſecta ſedulo collegit et accurate contemplatus eſt, tum metamorphoſes illorum obſeruando, tum ipſa cultro anatomico ſubiiciendo. Foſſilia quoque et mineralia ut cognoſceret, laborauit, Cl. KAESTNERVM aliquando Freibergam ſequutus, ſicque ex omnibus naturae regnis theſauros non contemnendos accumulauit. Coeleſtium vero videndorum curioſiſſimus, eclipſeos annularis gratia 1748 Berolinum abiit, ibique deinde conſedit, donec ardori illi, quo regiones exteras inuiſendas ſemper optauerat, ſocietas quaedam ſubueniret, directore Ill. DE HALLER, impenſas ei ſubminiſtratura, quo per triennium Americae partes quasdam, illas praecipue, quae Anglis et Batauis incoluntur, et iis vicinas ignotiores permigraret, quaecumque natura ibi offert, obſeruaret et deſcriberet, colligeret etiam diuitias eius generis, inter eos, qui ſumtus itineris faciebant, diuidendas. Eo igitur fine, martio 1753 ineunte, Berolino abiit, Lipſiae primo valedicens, deinde Saxoniam inferiorem peragrans, in Hollandia etiam, et tandem Londini commoratus, ubi peripneumonia nocte inter 6 et 7 martii 1754 obiit. Scripta eius, quae plura edidit, ad naturae cognitionem non omnia pertinent; nam elegantiores etiam litteras aſſidue nec infeliciter tractauit, saepius adeoque naturae elegantiam ſtilo poetico depinxit. In primis vero a nobis hic commemorandae ſunt plagulae dimidiae, ab eo ſingulis ſeptimanis hic per integrum annum 1748 editae, *Phyſici* titulo. (*der Naturforſcher*) In *deliciis* etiam *litterarum ſeueriorum et elegantiorum*, quae ante aliquot annos Lipſiae prodierunt, (*Beluſtigungen des Verſtandes und des Witzes*) quaedam eius phyſica habentur; quae cum aliis iunctim nuper Berolini *Miſcellorum* MYLII (*vermiſchte Schriften*) edidit Cl. LESSING. Londini HOGHARTI *analyſin pulcritudinis* vertit, et zoophytum quoddam, ex mari Groenlandico adlatum, in epiſtola ad Ill. DE HALLER deſcripſit; legitur

gitur illa *deliciarum* Parte 24. Ea occaſione, cum Cl. MYLIVS anglis innotuerit, nam et ſcriptum hoc anglice redditum eſt, ſilere non debemus, eum perperam pro *Boruſſo* habitum eſſe: huius enim gentis nomen ipſi Cl. MATY, in bibliotheca Britannica, uno alteroque loco tribuit.

Iam ad *delicias* ipſas progrediamur. Nihil vero prodeſſet plurium, quibus conſtat, ſcriptorum breuium longus catalogus: igitur pauca quaedam ſaltim indicabimus.

In praefatione monet Cl. MYLIVS imitaturum ſe, quantum poſſit fieri, *promtuarium Hamburgenſe*, excerpta ex libris tamen non daturum, utilia ſectaturum, praecipue quae ad oeconomiam et commercia pertinent, non tamen neglecturum, quae philoſophum delectent, cum et haec ſuo modo utilia ſint, et ex iis ſaepe numero illa vulgi utilitas exſiſtat.

Part. I. art. 3. habetur, MYLIO auctore, idea *obſeruatorii meteorologici* inſtrumentis ſcilicet inſtructi, quibus ventorum directio et vis, pondus atmoſphaerae et reliquae conditiones, ſimiliaque cognoſci poſſint. p. 11.

Art. 5. Coccionellae hiſtoria, documentis illuſtrata. Ex Batauo vertit MYLIVS. Oſtendit praecipue coccionellam inſectum eſſe. In ſequentibus partibus continuatur. p. 43.

Art. 8. Modi duo traduntur, *aues collectioni volucrium deſtinatas ſeruandi.* Cl. REAVMVR eos Cl. BOSIO perſcripſit. Minores auiculae ſeptem vel octo dies in aquam, quam *reginae Hungariae* vocant, deponuntur, deinde rei cuidam molli imponuntur, attenditurque, ut pennae in ſitu naturali remaneant. Maiorum exenteratarum venter et collum calce viua in puluerem redacta replentur. Si aeſtate aliorſum transmitti debeant, receptaculo, cui induntur, ſtratum calcis viuae inſpergitur; hieme eo opus non eſt. p. 76.

Monet

Monet Cl. Auctor ſic ornatum quidem, quem farctae aues praebeant, non tamen id, quod eſſentiale collectionis eſt, perire. Vidiſſe ſe auiculas Surinamenſes tabaco repletas, quae ſitum naturalem ſatis bene retinuerint, addit idem.

p. 81. *Part. II. art. 1.* legitur *hiſtoria palmae dactyliferae*, quae cum octoginta fere annos Berolini floruiſſet, fructus etiam tuliſſet, ſed abortiuos, maturos tunc demum tulit, cum flores maſculini, Lipſia ex horto CASPARIS BOSII miſſi, ſpathis femininis appenſi fuerint. Adiicit Cl. MYLIVS obſeruationes, ſexum plantarum confirmantes alias, a Cl. MICHELMANNO, horti regii inſpectore, mature nimis exſtincto, in lentiſco et terebinthina inſtitutas. Varietates ex puluere antherarum, in plantam alius ſpeciei delato, naſci, etiam experimentis probabile reddit.

p. 161. *Part. III. art. 1.* Cl. LEHMANN, iam conſiliarius rei metallicae regis Boruſſiae, *lapidis ſterilis in mineram cupri mutationem* narrat, variaque ad ſimiles mutationes pertinentia ſubiicit. Sunt huius viri plures in his *deliciis* diſſertationes, de re metallica cum fructu legendae, deſcriptiones etiam, ut *fodinarum lapidis calcarei Riedersdorfenſium Part. VI, thermarum Freyenwaldenſium et cocturae aluminis, quae ibi perficitur, Part. VII.* cet.

Cl. HOPPII etiam, mercatoris Gerani, naturae curioſiſſimi, leguntur variae obſeruationes, de dentibus ceruinis aurei coloris, regionis circa Geram deſcriptio, de ligno petrefacto Coburgenſi, de memorabilius plantarum, cet.

p. 448. In epiſtola quadam, quam Cl. MYLII ad Cl. KAESTNERVM eſſe coniicimus, etſi nomina addita non ſint, (*Part. XVI. art. 4.*) illud palmae floribus maſculinis fecundandae experimentum, alio modo repetitum ſiſtitur. Fecundatio ſcilicet florum maſculinorum

linorum ope peracta eſt annis 1749. 1750. 1751. Anno 1751, nullis floribus maſculinis applicatis, fructus non maturuerunt, ſed exigui et immaturi permanſerunt, uti ante anno 1749. Palma tamen hoc anno egregie floruit, ut ab eius quidem parte nihil maturitatem fructuum impediuerit. In eadem epiſtola ſingularis cauſa diarrhoeae, a Cl. LINNAEO Cl. MYLIO perſcripta, narratur. Auditor aliquis Cl. LINNAEI in hunc morbum repetitis vicibus incidit. Praeceptoris igitur conſilium ſequutus, excrementa examinauit, et in illis acarorum (*Mülben*) exiguarum myriades reperit. Eas poſtea in vaſe, ex quo potum hauriebat, etiam inuenit, et ſemper diarrhoea rediit, quoties ex hoc vaſe potarat. p. 453.

Part. XVIII. art. 3. memorabiles *electricitatis in morbis tollendis effectus* deſcribit D. PAVL. PAVLSOHN, medicus Dorpatii in Liuonia. Pauper quidam aetatis circiter 30 annorum, ante ſeptem annos, Petropoli graui morbo linguae uſum omnem perdidit; ſenſus vero et motus lateris dextri ſolum perierunt. Vnice ſonum hunc: *te*, *te*, edere poterat, brachium dextrum contractura laborabat, ſenſu carens et exſiccatum, nullaque vi digiti in rectum extendi poterant, oſſa cute ſola tecta, nulla interpoſita carne videbantur. Similiter comparatus erat pes dexter. Huic homini, datis primo per tres ſeptimanas generalibus, quae ſecretiones et excretiones promouerent, electricitas quotidie hora integra vel dimidia applicata eſt; paucos poſt dies pungi ſe, cum manus durante operatione electrica tangeretur, ſenſiit, nono die loqui coepit, balbutiens ſcilicet, tempore minutorum quinque, voces has: *Maria Bochorodiza*, *Maria Deipara*, pronunciauit. Electricitate applicata, eadem verba nullo temporis diſpendio repetiit, et hymnum ſacrum exorſus eſt. Cum definiret electricitas, rigeſcente veluti lingua, nihil am- p. 511.

plius

plius proferre valuit, redeunte ſtatim loquela diſtincta, cum repeteretur electricitas. Continuata electricitate, magis magisque lingua et membris uti didicit, etiam repetere potuit voces auditas, quaerere multa, et hymnos canere, quos denuo didicit: omnium enim oblitus erat, et hinc difficulter loquebatur, verbis non ſuccurrentibus; canebat vero facilius, quam loquebatur. Brachium ſentit, extendi poteſt et capiti imponi, manus etiam denuo carnoſa ſpectatur, pes ſanus eſt. Haec vero eo magis miranda ſunt, quod durante hac curatione, homo ille ob paupertatem toto die nuces, cepas et ſimilia, vitae utcumque ſuſtentandae cauſa vendens ſteterit, ſummum frigus perpeſſus, et veſperi ſaltim rigens a frigore, electri-
p. 514. citati ſe obtulerit. Nobili cuidam perſonae decenni, tonſillarum tumore laboranti, accidit, ut labium inferius ſenſu omni priuaretur, nulloque dolore affligeretur. Cl. PAVLSOHN, nullo medicamento adhibito, tangi eam aliquoties ab electrico homine iuſſit: nihil vero ſentiebat. Quindecies in loco ſenſu carente tacta, pungi ſe aliquantulum percepit, hacque operatione pluribus diebus repetita, ſenſus perfecte tandem rediit. Plures alii ſalutares electricitatis effectus legi apud ipſum Cl. PAVLSOHN poſſunt.

p. 529. *Part. XVIII. art. 1. 2. 3.* plures obſeruationes habentur Cl. IOACH. FRID. MVLLERI, Med. Lic et Phyſici Lenzenienſis in Priegnitia. Dimidio milliari a Lenzenio in pago *Moedlich*, ad albim ſito, cadauera duo ſunt putrefactioni nondum obnoxia, ARNOLDI GIESEL DE LYRE, olim Archithalaſſi Regis Portugalliae, 1676 anno aetatis 97. mortui, et filiae eius paullo poſt ipſum defunctae. Haec igitur cadauera plus, quam 70 annos, ibi requieſcunt, nihil plane adhuc a putrefactione perpeſſa, paucis ſaltim foraminulis in faciebus conſpicuis, quae vermibus tribui poſſent. Inuoluta ſunt linteis albis Batauis, et orna-

ta

ta faſciis nigris, quae tam firma ſunt, ut decerpi pars nulla poſſit. Patris cadauer, ut decrepiti, gracile et tabidum, filiam pinguem et obeſam fuiſſe apparet. Balſamationis indicia nulla ſpectantur. Locus ceteroquin, quo reconduntur, humidus eſt et in ipſo coemeterio cadauera facile putreſcunt, haec vero in ſepulcro quodam templo adiecto reperiuntur. Idem Cl. MVLLERVS aquas deſtillatas congelationi p. 535. obnoxias obſeruauit; cum enim hieme anni 1749 in vaſis ſimilibus et aequalibus aquas menthae criſpae, anethi, roſarum, et conuallariae in camera quadam repoſuiſſet, ianuarii die ſexto anni 1750 aquam roſarum totam in glaciem mutatam reperit: reliquis eodem in loco conſiſtentibus id non accidit. Suſpicatur ergo aquarum deſtillatarum alias aliis facilius in glaciem abire. Oleoſum enim, cui quid in aqua menthae et anethi tribui poſſet, conuallariae aquae non ineſt, niſi hic aliquid contulerit id, quod extracto ex conuallaria vim purgantem conciliat, cuius tamen principii reſinoſo-gummoſi parum ineſſe aquae poteſt, et roſarum pallidarum idem cum hoc extracto eſt effectus.

In eiusdem Partis art. 4. CONR. DIETER. GVTIKE, M. D. Perlebergenſis, *os ſingulari modo diffractum* ſiſtit. Miles aetatis quadraginta annorum, p. 540. qui olim baccho et veneri ſtrenue litauerat, a pluribus annis motus haemorrhoidales ſenſit, fluxum vero haemorrhoidum nullum. In expeditione Sileſiaca profundum vulnus capiti infligebatur, cumque ſimul ſpiritum vini fortiſſimum auidius hauriret, motus illi haemorrhoidales increuerunt, accedentibus doloribus podagricis, praecipue dolorem, quem *ſurdum* appellabat, in medio oſſis femoris ſiniſtri ſentiebat. Hic dolor perpetuo augebatur, ut tandem inſiſtere pedi ſiniſtro vix auderet, metuens, ne diffringeretur. Neque vanus fuit metus; cum enim equo potum praebiturus in ſtabulo amphoram tolleret, in medio oſſis

oſſis femoris partem inferiorem ſenſim exteriora verſus curuari, tandemque diffringi ſenſit, ut conſidendum in terra ipſi eſſet. Chirurgus coniungere partes oſſis rurſus tentauit, elapſisque ſeptimanis quatuor, tollere pedem aeger potuit, neque multum tumoris adfuit; mox vero intumeſcere inſigniter coepit pes in loco, ubi diffractus fuerat, hominis craſſitiem adaequans. Remedia efficaciſſima fruſtra adhibebantur, et humoribus omnibus ad pedem ſiniſtrum confluentibus, reliquum corpus contabuit. Vrinae etiam fluxus ſiſtebatur; ſcrotum vero inſigniter expandebatur ab humore foetente, magna copia per cutem ſcroti tranſſudante. Vxor tamen et amici clam et copioſe adferunt vini ſpiritum, donec moreretur. Praeter hunc potum, venenum venereum os hoc exediſſe in aprico eſt. Diſſecare cadauer non licuit.

p. 543. *Art. 5. de fluxu urinae praeternaturali* commentatur idem. Femina triginta annorum, paucos dies, poſtquam partum enixa eſſet, in regione veſicae vehementes dolores et ſpaſmum ſenſit. Hinc nata urinae retentio, quam dolores maiores comitati ſunt. Inexſpectato ventrem madefieri ſenſit, et animaduertit urinam per exiguam aperturam in medio umbilico tanta exire copia, quanta ſanis hominibus quotidie fluere ſolet; dolores tamen non ceſſarunt. Preſſionibus continuis urinam in viam conſuetam reducere laborauit, tandemque id obtinuit. Profluens vero e via ordinaria, urina ſub initium pure multo mixta erat, unde colligere licet, circa ſphincterem veſicae ulcus fuiſſe, exeunte vero pure, ſpaſmos deſiiſſe, ut urina exire conſueto modo rurſus potuerit. Fluxus ille per umbilicum plane ceſſauit, urina etiam a pure libera fluxit. Vrachum in femina hac adhuc apertum fuiſſe intelligimus, naturam vero ſolam veſicae morbum ſanaſſe. Vlcus a preſſione infantis in collum veſicae, aut alia quadam vi in partu adhibita, naſci

naſci potuit. Iam femina bene valet, neque incommoda haec redierunt, cum denuo peperit.

Qui ſcopum itineris Myliani et conditiones, qui- p. 708.
bus ſuſcipi debebat, legere cupiunt, has in *Parte XX* reperiunt, quae voluminis ſecundi ultima eſt. Singulis enim voluminibus partes decem deſtinatae ſunt, hocque volumine Cl. MYLIVS fere curam operis depoſuit, niſi quod, inchoato iam itinere, vel obſeruata quaedam, vel verſa ex diariis anglicis, miſit. Cl. KAESTNERVS tertio volumini praefationem praemiſit, et aliqua ipſe ſubminiſtrauit, vel, ut verterentur, curauit, ex hodoeporico etiam Cl. MYLII MSto, quod poſt mortem auctoris nactus eſt, quaedam ſelegit.

Part. XXI. art. 3. obſeruationes thermometricae p. 831.
a Cl. MYLIO in mari inſtitutae leguntur. Vſus eſt thermometris duobus, ab inſigni artifice PRINS fabrefactis, quorum ſcala eſt Fahrenheitiana, omnia vero haec thermometra exacte ſunt concordantia. Maius thermometrorum ſuorum Cl. MYLIVS in aere libero ſoli expoſuit, minus mari immiſit, profunditatem, ad quam immergeretur, ſimul dimenſus, obſeruationi cuilibet minuta horaria quinque tribuit, ut ad caloris gradum componere ſe thermometra poſſent. Secundas obſeruationes in medio fere inter Batauiam et Angliam mari, cum traiiceret, inſtituit auguſti 20. 1753; primas eiusdem menſis 17, in cornu quodam Moſae fluminis miliari circiter ab eo loco, ubi in ſinum, *Haringvliet* dictum, cornu illud exoneratur. Dabimus ſecundarum, inter Batauiam et Angliam inſtitutarum, tabulam:

Thermometra.

Aug. 20. 1753	maius in aere grad.	minus in mari grad.	profunditas minoris. ped.
pom. hor. 3. min. 5	$71\frac{1}{2}$	$64\frac{1}{2}$	6.
3. 15	72	$63\frac{1}{2}$	11.
3. 22	73	64	15.
3. 30	70	63	13.

p.934. *Part. XXIII. art. 2. Echo notatu dignum prope pagum Immerode inter Goſlariam* et *Guelpherbytum* deſcribit Cl. MYLIVS, aliaque duo commemorat, alterum in cella vinaria ſub curia Bremenſi, alterum in eccleſia diui Pauli Londini.

Part. XXVI. art. 2. ex Cl. MYLII hodoeporico *ſingularis feminae cuiusdam ad ſpiritum vini potandum impetus* recenſetur, ab eodem, cum pagum *Grobſtad* tranſiret, obſeruatus. Vetulam ibi reperiit ab hoc potu iam ebriam, adhuc plus ſitientem. Eo veluti raptu ſingulis annis vel bienniis, quatuor vel ſex ſeptimanas agitur, nihil aliud tunc agens, nec dormiens. Ipſa de hoc ſuo malo queſta eſt, et peregrinos, ut conſulerent ſibi, immo ut pro ipſa preces funderent, orauit, mentis ſuae plane compos, etſi ebria. Libera ab hoc malo, laborioſa, et ſana femina eſt, potumque illum quam maxime auerſatur. Adiicit Cl. MYLIVS, cauponis Reichenbacenſis uxorem (ſine dubio in patria ſua) hac occaſione in mentem ſibi veniſſe, quae cum ſimilibus raptibus agitata aliquando eſſet, negato ſpiritu vini, deſperans vitam ſuſpendio finiit.

Ex eodem Cl. MYLII hodoeporico *iter in Bructerum montem*, aprilis viceſimo die, anno ſupra milleſimum ſeptingeſimum quinquageſimo quarto, ab eo ſuſceptum, hic legitur *art.* 4. Mons omnis niue tectus erat. Noctem in domo, iis, qui ceſpitem effodiunt, inſeruiente, tunc vacua peregit; altero mane, ad ſummum montis adſcenderunt. Cl. MYLIVS a motu feruens et ſitiens, fontis, in ſummo montis exſiſtentis, aquam claram et boni ſaporis bibit menſuram integram ad minimum, (*quart*) nullo ſui damno, etiam ſi nix fontem totum circumdabat. Niuem etiam, cum deſcenderet, indemnis comedit. Hoc quidem mane hora ſexta, coelo ſereno, vento S. O. leni, ſed acuto, tamen barometrum in montis extremo

extremo vertice ſtetit ad digitos 24 lineas 11 pariſ. Thermometrum ad grad. 36 ſupra 0 FAHRENHEITII. Naturae theſauros in bructero ob niuem inueſtigare non potuit; muſcos tamen, egregie coloribus variegatos, et lichenes, florentes hos et illos, item gramen papposum, alpinum, iunceum (SCHEVCHZERI *Agroſtogr. p.302*) copioſe florens et e niue emergens reperiit. Geniſtam, ericam, et myrtillum creſcere ibi vidit, myrtillum flori propinquum. Paucae pinus, ad montem reperiundae, exiguae ſunt, graciles, et ob ventum acrem plerumque foliis orbae. Ceſpite plenus eſt mons. In ſuperiori parte, praecipue bructeri minoris, (*der kleine Brocken*) lapides maximae molis iacent, plerique lichene viridi flaueſcente tecti. In domo, ubi noctem commoratus eſt, papilionem erucae vulgaris, ſetoſae, flauo nigrae, (*die gelb und ſchwarze Dornraupe*) reperiit. Ad pedem bructeri, proprie ſic dicti, ad domum ſcilicet ponti oderae adiacentem (*Oderbrückenhaus*) hora octaua et dimidia reperit barometrum ad digit. 26. lin. $3\frac{3}{4}$. thermometrum grad. 54. FAHRENHEITII.

XIV.

Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. Zweyter Theil, mit Kupfern. Danzig und Leipzig. 1754. in Lankiſchens Buchhandlung. 4. 3 Alph. 2 Bogen, 6 Kupfertafeln.

id eſt:

Tentamina et Commentarii ſocietatis naturae indagatorum Gedanenſis. Tomus II.

Qua multae iam ſuperbiunt Europae urbes gloria, quod eruditas inter muros ſuos foueant ſocietates, eam quoque ſibi ſuo iure vindicat celebris Pruſ-

ſorum metropolis, Dantiſcum. Floret enim ibidem, per tria circiter luſtra, virorum inter eruditos magni nominis ſocietas, in naturae operibus inueſtigandis ſolum et cum laude occupata. Teſtantur abunde de egregiis eorum laboribus, et qui iam aliquot annos ante prodiit, tentaminum et commentariorum horum tomus prior *, et, quem indicare adgredimur, ſecundus. Prius autem, quam id ipſum faciamus, neque inutilem neque iniucundum lecturis ſuſcepturi videmur laborem, ſi non nulla de origine et inſtitutis laudatae ſocietatis praemittamus **. Aliarum ciuitatum exemplo ad imitandum ſuos quoque ciues primus excitauerat ISRAEL CONRADT, medicus Gedanenſis pereruditus, lecta anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo, menſe februario, coram illuſtri concione de frigoris natura et effectibus diſſertatione ***; ſed votis non reſpondit euentus, obiitque ſenex anno praeſentis ſeculi decimo quinto, fundatae ſocietatis orbus adhuc gloria. Cuius poſt obitum, anno viceſimo eiusdem ſeculi, conuenerunt non nulli viri eruditi, factoque foedere ſeptem circiter annos conuentus ſuos atque labores continuarunt, diſciſſo mox hoc vinculo, poſtquam plures ſocii, aliis iisque grauioribus ornati dignitatibus, ab hiſce, inuiti licet, auocabantur laboribus. Scripta eorum edita umquam vidiſſe nos non recordamur. Tandem vero alia hic orta eſt ſub finem anni ſupra milleſimum, ſeptin-

* *Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. Erſter Theil. Danzig, 1747. gedruckt in der Schreiberiſchen Buchdruckerey. 4. mit Kupfern.*

** Conf. MATTH. GEORG. PFANNS *Sammlung verſchiedener merkwürdiger Fælle* &c. *Nürnberg.* 1750. 8. ubi ſub finem libri, breuis ſed manca, de ſocietate hac dantiſcana legitur relatio. vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 312.

*** Prodiit Gedani typis et ſumtibus monaſterii oliuenſis. 1677. 4.

ſeptingenteſimum, quadrageſimi ſecundi, ſocietas, ſancitis ante legibus, ac varii generis inſtrumentis phyſicis coemtis, conuentuum ſuorum etiam ianuarii ſecundo die, anni ſeculi huius quadrageſimo tertio, coepit primordia, eosque adhuc ſingulis hebdomadibus continuauit. Edidit etiam breui poſt, uti ſupra dictum eſt, anno quadrageſimo ſeptimo, tentaminum et commentariorum ſuorum tomum primum, qui tanto cum plauſu exceptus fuit ab omnibus, ut alterum breui proditurum exoptarent intentius. Quod quum varia diutius iuſto prohibuerint oborta impedimenta, tandem tamen alter hic tomus quoque prodit, moramque compenſat inſigni non minus rerum, quas offert expoſitas, varietate ac praeſtantia. Porro inſtitutum ſocietatis quod attinet, ſequentia nos docet ipſa, quae ſecundo huic tomo praemittitur, praefatio. Nimirum propoſuit ſibi ſocietas tamquam laborum ſuorum unicum finem, naturae contemplationem, ſumſitque eas modo, quae et ſcientiam et hiſtoriam naturalem ſpectant, inueſtigandas veritates. Membra eius ſunt vel ordinaria, vel libera. Illa in conuentibus nunc aliorum repetunt, nunc ſua inſtituunt tentamina, nunc commentarios praelegunt. Haec contra veri quidem videndi cupidi viri, eruditi tamen nomen non adfectantes, congreſſibus intereſſe, illorumque labores iuuare variis modis ſtudent. Huc uſque quidem non niſi ciues ſuos membra habuit ſocietas, exteris tamen etiam patere aditum, eosque ipſam ſuſcipere velle, ut membra honoraria et ordinaria, publice declarauit in dicto praefamine. Solet inſuper ſub finem anni cuiuslibet eligere ſibi ex membris ſuis directorem, eiusque vicarium, ſecretarium, aerarium et quatuor vel ſex membra, quae ex facto inter ſe ordine, per omnem annum ſingulis ſeptimanis ſua proponunt tentamina vel commentarios. Haec ſufficiant dixiſſe

de ſocietatis noſtrae inſtitutis; iam ipſos eius labores contemplari conuenit paullo attentius.

p. 1. *No. 1. De formatione, cremento et coloribus teſtarum, quae ſunt cochlidum et concharum,* exponit Cl. IACOB THEODOR. KLEIN. Quam diſſertationem, latino ſermone conſcriptam, in patrium translatam, hic inſeruit Cl. KLEIN, iisdem additis iconibus, nullaque prorſus facta mutatione; alio vero iam tempore eam fuſe ſatis in noſtris commentariis recenſuimus *.

p. 68. *No. 2. De incendiis pulueris pyrii ope exſtinguendis* agit Cl. MICH. CHRISTOPH. HANOW. Ignem vero igne reſtinguere mira licet res ſit, ipſa tamen illud homines natura docuit, eamque iſti imitati ſunt feliciter. Incendia, quae fulgur ſuſcitauerat, ſaepe aliud iterum quum exſtingueret fulgur, eius ad exemplar hominibus inſeruire poſſe viſus eſt puluis pyrius, ut eodem non minus, ac aqua, reprimant ignis vim.
p. 73. Inuentor huius artis fuit ZACH. GREYL, caelator argenti Auguſtanus, machinamque excogitauit, huic operi aptam. Qua etiam Auguſtae Vindelicorum, Vindobonae, Ratisbonae, Dreſdae, et Pariſiis, annis huius ſeculi decimo ſexto, viceſimo primo et ſecundo, publice et cum ſucceſſu experimenta inſtituta fuerunt. Multi multis in locis imitati GREYLII inuentum, ſimiles pararunt machinas, ſimili non ſem-
p. 81. per cum ſucceſſu. Inter quos eminet IAC. FRID. ROTH apud Vlmenſes ſignifer, emendare illam qui ſtuduit; id, quod fuſe narrat Cl. HANOW, deſcripta ſimul pictaque in tabulis additis machina. Eſt haec dolium, cui aqua infunditur, quod media in parte aliud in ſe recipit vas, puluere pyrio plenum, firmiuſque

*. Conf. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 274. et 286. ubi Eiusdem tentamen methodi oſtracologicae, cui haec acceſſerat, exhibetur.

uſque dein in ſuperiori loco obturatur. Illud igitur, ſi quod ortum fuerit, in incendium immittitur, et ſimul ac puluis pyrius accenſus diſplodit vas, aquamque una diſpergit, omnis flamma ſubito exſtinguitur. Quae quantaque commoda adferat haec machina, et quo modo explicandi ſint eius effectus, egregie declarauit Cl. Auctor. Nimirum aerem, a flamma iam rarefactum, ab accenſo puluere pyrio intenſius adhuc rarefieri, flammam inde exſtingui, idque magis ab aqua vaporum ſub forma ad omnes plagas ſubito diſperſa, externi tandem aeris acceſſum et in illum renixum ignem ſupprimere penitus, demonſtrat. Plura addit Cl. HANOW memoratu omnino digna, quae tamen huc transferre non licet; curioſos ad ipſam diſſertationem remittimus.

No. 3. Obſeruationes meteorologicae Gedani factas a Cl. GOTTFRIED REYGER. Non nulla de tempeſtatum varietate et cauſis, atque de obſeruationum, hunc in finem inſtituendarum, commodis aeque ac impedimentis generatim ubi diſſeruit Cl. REYGER, earum, quae ipſe ab anno huius ſeculi triceſimo ad quadrageſimum nonum Gedani inſtituit, ita recenſet ſeriem, ut quae ſingulis diebus per totum annum fuerit aeris ventorumque viciſſitudo, in primis adnotauerit, ad barometrum, pluuias niuesque minus attentus; quibus addit adnotationes quasdam, ex obſeruatis ſuis deductas. Conſtat inde Gedani hyemem plerumque mitiorem, multo quidem, ſed fugaci, ſtipatum frigore, raro ſaeuire violentius; ianuario menſe maximum frigus ſecum ferre auſtrum et eurum, ſuper rigeſcentes gelu dum aduehantur terras; mitius autem ſequi aquilonem et fauonium; idem obſeruari quotannis Archangelopoli. Februarius eſſe ſolet varius et humidus, aquilone tunc niues geluque adferente. Martius riget frigore, quod facit plerumque aquilo et auſter. Ver accedit p. 104. p. 141.

raro amoenum, ventorum, frigoris caloriſque ſubi-
p. 146. ta et iterata ſtipatum viciſſitudine. Aprilis ſaepe adhuc horridus gelu, ſub finem euadit mitior. Maius quoque hyemem prae ſe fert, niuibus, pluuiis comitatus et aquilonibus. Iunium humidum frigidumque reddit boreas, ſubito aeſtum et fulgura ferente noto. Aeſtas moderato vrit calore, diu non durante ob mox ſequentes pluuias et refrigeria aeris. Siccam quidem ſerenamque tempeſtatem facit boreas, pluuias tamen ſimul adfert, vapores in aere diſperſos impetu congregans. Nebulas, quas aeſtas quoque habet ſolis ſub occaſum, plerumque excipiunt fulgura. Auctumnus mox ſequitur, multis pluuiis, niuibus et frigore quamuis ſtipatus, ſerenos tamen amoenosque ſaepe numerat dies. Nebulae tum a meridie ortae, primo mane adſcendunt, raro ex oriente. Ex quibus omnibus facile apparet ventos praecipuas viciſſitudinum aeris eſſe cauſas: cur autem ſingulis anni temporibus ille, nec alius, flare ſoleat ventus, forte tunc demum intelligi poterit, ſi quando liceret aeris temperiem integrarum regionum uno quaſi intuitu cognoſcere, vel e factis ubique collatisque obſeruationibus praeſagire. Dubium eſt, eamdem determinatum poſt annorum numerum redituram eſſe aeris temperiem; veri potius ſimile illud eſt, quod, quum omnia quoad tempus et ſpatium coniungi queant mille modis, numquam prorſus eadem, ac olim, ſequutura ſit aeris temperies.

p. 160. *No. 4. Aquam communem ad congelaſcendum uno eodemque frigoris gradu indigere* demonſtrat Cl. HANOW. Quamuis eam, qua aqua in glaciem coit, aeris frigiditatem ſiue punctum glaciale in barometris ſemper et ubique idem obſeruauerant plurimi naturae ſcrutatores; fuere tamen etiam alii, in primis Cll. DE MAIRAN, FAHRENHEIT, TRIEWALD,

MICHELI,

MICHELI, IALLABERT, qui aquam multo frigidiorem eſſe poſſe, ac alias eſt, quando congelaſcit, ſine eo, ut in glaciem coeat, ex variis factis tentaminibus adfirmarunt. Quae ubi hic examini ſubiecit diiudicauitque Cl. HANOW, e ſuis, quae ipſe vario modo inſtituit, tentaminibus illud tandem accurate comprobat, aquam haud prius umquam congelaſcere, quam punctum ſuum conglaciationis attigerit.

No. 5. Cancrum quaſimodogenitum ſeu *crumenalem nudum ex inſula Vecti* deſcribit pingitque Cl. IAC. THEODOR. KLEIN. Mouerat olim in epiſtola ad Cl. COLLINSON, qui de cancris marinis in dicta inſula obſeruationes factas, in Actis Anglicanis * enarrauerat, hoc dubium, num ne cancri aequorei cruſtas deponerent; in primis quum lapides, quos aſtaci habent praeparandis nouis teſtis aptos, nondum in cancris marinis inuenti fuiſſent. Aſt remouit mox dubium illud Cl. KLEINII miſſus nuper a Cl. COLLINSON una cum depoſitis integumentis recens veluti natus gammarus, e mari prope inſulam *Vectim* extractus. Hunc igitur hic aeri inciſum accurate deſcribit Noſter, confirmatque Cl. COLLINSONI obſeruata, additis variis, quae cancrorum hiſtoriam illuſtrant, adnotationibus. Accedit his noua plane, haud audita prius, obſeruatio, ab eodem amico ſuo communicata: Exuuias nempe duas ſcorpionis, quas idem Cl. COLLINSON miſit, quasque hic depictas exhibet, teſtari abunde de cutis ſcorpionum renouatione conſueta, non modo ſibi perſuadet Noſter, ſed illud etiam inde colligit, ſquillas reliquaque inſecta cruſtata, quae vocantur entoma, ſua ſimili modo quotannis mutare integumenta. p. 187.

V 5

* Conf. Philoſ. Tranſact. n. 478. p. 70. et eorum Vol. XLVII. ad annos 1751 et 1752. p. 40. nec non Comment. noſt. Vol. III. P. I. p. 9. 10.

menta. Atque ita errorem, quem ſe alio loco commiſiſſe confitetur, emendandi datam non praetermiſit occaſionem veritatis vindex ſeuerior, Cl. KLEIN.

p. 209. *No. 6. Examen tentaminis optici, a Reuer. P.* SCHEINER *facti,* inſtituit Cl. HENRICVS IACOB DE LA MOTTE, M. D. Gedanenſis. Reuer. ille SCHEINERVS docuit in oculi ſui ſeu fundamenti optici P. II. lib. I. Exper. 5. quo modo uno oculo rem eamdem ſimul bis, ter aut quater diſtinctiſſime videre liceat, absque ullo adhibito alio diaphano: nimirum ſi diſcum quemdam duobus vel pluribus perfores foraminulis, in ea diſtantia, ac pupillae diameter exigit, et tunc his admoto oculo, rem aliquam perluſtres, ſemper eamdem bis vel ter, pro numero foraminulorum, videbis. Repetiit illud ſemel iterumque Cl. DE LA MOTTE, ſed absque ſperato euentu; tandem amicus myops acceſſit, idemque repetens tentamen, eamdem rem ter; vitro concauo armatus, unicam; Noſter contra hoc vitro uſus, ter vidit eamdem rem. Quae dein accuratius et ſaepius ubi repetiit, cauſam phaenomeni huius in diuerſa latere oculi cuiusuis diſpoſitione, inde intellexit. Prout enim magis minusue conuexa ſit cornea vel lens cryſtallina alicuius, eo magis minusque variare ſolet huius et illius viſus acies. Multum igitur omnino intereſſe colligit Cl. DE LA MOTTE, in primis in inſtituendis experimentis opticis, ut, qui haec inſtituat, oculi ſui diſpoſitionem ſimul indicet accuratius.

p. 220. *No. 7. Quae aeris temperies fuerit anno 1750,* exponit Cl. GOTTFR. REYGER. Quas ſupra indicauimus, obſeruationes iam factae confirmant: nam mitiorem breuemque hyemem; ver amoenum frigidiuſculum; aeſtatem moderate calidam; auctumnum frigore niuibusque horridum obſeruauit Cl. REYGER.

No. 8.

No. 8. Cl. HANOVII *adnotationes circa lances, frumento librando inſeruientes, factae.* p. 226. Eiusdem argumenti commentario, primo horum, quae indicamus, tentaminum et commentariorum tomo inſerta, nunc continuata hic legitur, egregia valdeque utilis nobis viſa; breuiter tamen ut huc referamus eius contenta, mathematicae rationes ubique interſperſae non permittunt.

No. 9. IAC. THEODOR. KLEINII *diſquiſitio: an muſculi animalis cuiusuis intercoſtales, tandem oſſeſcere, aut veluti coſtae in os mutari queant?* p. 252. Miſſa quum aliquando eſſet Cl. Auctori, ut eam diſquireret, coſta animalis cum muſculis intercoſtalibus, in oſſa mutatis, nec non, teſtis inſtar, IAC. BIRCHERODII hiſtoria naturalis quatuor coſtarum bubularum, quibus quae ſuperinducta caro fuerat, in veriſſimum os eſt conuerſa. Hafniae 1723. 4. c. icone. Miram hanc rem ſeueriori ſubiecit examini, multis autem circumſeptam fabulis inueniens eam prorſus negauit, partes illas inuentas arbitratus potius fuiſſe fragmenta fornicis oſſei teſtudinum, ſiue terreſtres ſiue marinae fuiſſent.

No. 10. Aeris temperiem, quae anno 1751. Dantiſci et Berolini obſeruata fuit, p. 263. inter ſe comparauit Cl. GOTTFRIED REYGER. Ex facta altitudinum barometri et thermometri, ventorum reliquarumque aeris viciſſitudinum, quae occurrerunt utraque in urbe, comparatione, tandem intellexit Cl. REYGER illam, quae Berolini fuerat, huic, quam ipſe Dantiſci obſeruauit, aeris temperiem multum fuiſſe ſimilem, quamquam etiam a loci utriuſque ſitu aliisque cauſis orta, ſimul acceſſerit varietas.

No. 11. Libram chinenſem argentariam deſcribit et examinat Cl. HANOW. p. 272. Vectem homodromum eſſe docet,

docet, eiusque conſtructionem, uſum et vitia fuſe exponit Cl. Auctor, addita ſimul alius ſimilis, quam ipſe fecit, librae deſcriptione.

p. 292. *No. 12. Echinitem* TESDORPFII depingit Cl. IAC. THEOD. KLEIN. Quamuis in diſpoſitione naturali Echinodermatum, quam edidit, inter plures notas, quae ab aliis haec diſtinguerent, eam quoque certam poſuiſſet, quod non niſi quinque geminatis lineis ornata eſſent, a ſuperiori parte deorſum ad os quinquangulare concurrentibus *; hancce tamen iam limitandam eſſe lubens fatetur Cl. KLEIN, poſtquam par illud echinodermatum, quod nuper ipſi miſit Cl. TESDORPF, naturalium rerum cultor aſſiduus Lubecenſis, quodque ſex eius modi lineis et ore ſexangulari inſtructum erat, a poſita regula exceptionem fecerat. Cui adeo nouae echinitum ſpeciei nouum etiam impoſuit nomen: *globulus* TESDORPFII. Elegans quoque exhibetur icon.

p. 294. *No. 13. De generatione pediculorum, in foliis plantarum occurrentium*, agit Cl. REYGER. Non niſi ex duplicis ſexus concurſus omne gignitur animal. Cui vero regulae limites ponit nuper detecta polyporum generatio. Idem confirmant pediculi foliorum, genus ſuum absque ullo congreſſu cum ſui ſimili propagantes, teſtibus Cll. LEEVWENHOECKIO et REAVMVRIO. Cl. BONNET idem euicit experimentis. Quem ſequuti alii eadem cum ſucceſſu repetierunt tentamina. Id, quod ipſe ſuis luſtrare oculis Cl. REYGER pariter tentauit, in ea pediculorum eius modi ſpecie, quae ſambuci foliis inſidet. Cuius ramulum cum duobus foliis ab omni inſecto vel ouulo immunem et integrum, in vas aqua plenum immiſit, ut diutius vigeret ramulus; vas vero in

* Conf. Eiusd. Naturalis Diſpoſitio Echinodermatum. Gedani 1734. §. 49. p. 24.

in aliud collocauit vaſculum, aqua plenum, ne quid ab inferiori parte poſſet adſcendere. Ramulo huic dein unicum eius modi pediculum impoſuit, et breui poſt vidit viuum ex hoc naſci ſimilem pediculum. Matre enecta et remota, recens natum ſolum reliquit in ramulo; qui mox prorepit in illo, depoſitaque ter cute ſua, aliquot diebus poſt, viuum animalculum ſui ſimile, ſequentibus diebus plura adhuc peperit. Vnde genus ſuum ſine praegreſſo coitu, propagare hos pediculos, certo certius ipſe expertus eſt Cl. REYGER, ſuaque obſeruatione phaenomenon hoc phyſicum illuſtrauit, confirmauitque.

No. 14. *Methodum inueniendi menſuram uniuerſalem, magnitudini corporum quorumcunque adaptatam*, proponit Cl. HANOW. p. 349.

No. 15. *De conchis anatiferis ſimulque de pholadibus* exponit Cl. KLEIN. Multa commenta tandem delet dies. Exemplo ſunt conchae illae anatiferae, quas ridet noſtra aetas, quas vero generare animalia credidit antiquitas. Sunt quidem ipſae duobus concharum generibus, ſolenum et pholadum, quoad tubulum, quo gaudent, analogae; inde tamen inter ſe differunt, quod anatiferae polyconchis, ſolenes et pholades tantum diconchis adnumerentur *. Pholades ad littora maris copioſae dantur, ſaepiusque ab undis ad rupes et ſaxa impetuoſius proiectae enecantur, interdum in limoſa rupium terra, ſi qua inueniant animalia, tubuli ope inde cibum petentes. Sed, quod veteres putant, ſaxa ipſis inſeruire domicilii loco, fabula eſt. Similis narratur de anatiferis conchis fabula, ab anatibus, quas dicuntur gignere, ita vocatis. Eſt etiam anatum quoddam genus, *Brenta minor* dictum, quae magno numero, per p. 349.

* vid. Eiusd. Method. Oſtracolog. p. 163. et 174. et Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 284. 285.

per inſulas Scotiae arcadicas aliasque, hyemem vagantur, iterumque, vere ineunte, ad alia loca migrant. Quas ibi oua ponere et excludere ubi nullus viderat, ad has inſulas nondum appulſis nauibus; lignis vero in mari natantibus inſidentes easdem, atque conchas illas lignis copioſe adhaerentes ubi nautae conſpexerant, harum tubulum pro anatis roſtro, pedes piſciculi piloſos pro alis, reliquum huius corpus pro pullo anatis habuerunt confidentius, quin credulis nautis vel magni nominis eruditi viri poſt adhibuerunt fidem. En! fabulam excuſſae iam noſtra aetate ſuperſtitionis teſtem!

p. 355. No. 16. *Hiſtoriae electricitatis ſectio altera*, auctore DANIEL GRALATH. Commentationem, cuius ſectio prior legitur in tentaminum et commentariorum Societatis Dantiſcanae Tomo primo *, iam pertexere ulterius, et quae electricitas, in primis ab anno ſeculi huius quadrageſimo quarto ad quadrageſimum ſextum uſque, ceperit incrementa, ex ſcriptis et experimentis clariſſimorum virorum enarrare copioſo ſermone pergit Cl. GRALATH.

p. 460. No. 17. *Diuerſitatem ponderum medicorum* perpendit Cl. HANOW. Quum medicorum et pharmacopoeorum multum omnino interſit, ut ponderum, quae adhibentur in librandis medicinis, probe cognoſcant rectitudinem, inſignem propter ea apud ipſos ſibi promeruit Cl. HANOW gratiam, quod magnam, quam habent haec pondera, diuerſitatem non modo indicauit, ſed etiam, quo modo ſub examen vocari et comprobari poſſit eorum rectitudo, egregie docuit. Occurrit autem in primis duplex diſcrepantia; altera ab eorum, qui eadem parare ſolent, incuria aut ignorantia plerumque pendet; altera a varia gentium diuerſarum, vel mutata unius eiusdem-que

* No. 6. p. 175. ſeqq.

que populi per tempus conſuetudine ſuam trahit originem. Prior illa ut detegatur diſcrepantia, duplici ingrediendum eſt via, nimirum vel ope librae alius medicae, quae ſigillo magiſtratuum inſignita eſt, longoque uſu ſuam comprobauit rectitudinem, vel librae exactae argentariae (*Ducatenwage*) ſeu, ſi non ſuppetat haec, aureorum pleni ponderis auxilio. Suſpectam inde libram examinare ſi cupias, eam cum illa compares ad ſtateram, vel cum aureis, atque facile inuenies differentiam. Modum exponere hic diffuſum nimis foret. Ad alteram iam reſpiciendum p. 470.
eſt librae medicae diuerſitatem, a varia populorum conſuetudine pendentem. Vt igitur hanc declararet Noſter, ad Graecorum, Romanorum, Aegyptiorum uſque tempora reſpexit non modo, ſed ad Gallos, Hiſpanos, Angloſque etiam progreſſus eſt. Quae ſingulis his populis fuerit ponderum ratio quaeue temporum mutatione acceſſerit varietas, docte et copioſe exponit, eadem inter ſe comparat, inuentamque ita differentiam demonſtrat. En! tabulam optimam differentiae huius teſtem!

Vncia medica pendet	gran. pariſ.	drachma adeo pendebit
in Germania et Venetiis	562 - -	$70\frac{1}{4}$
in Gallia noſtro aeuo	580 - -	$72\frac{1}{2}$
priſco aeuo	480 - -	60
in Hiſpania olim	504 - -	63
nunc	538 - -	$69\frac{1}{2}$
Romae olim	520 - -	65
poſthaec	534 - -	69
in Graecia	506 - -	$63\frac{1}{4}$

atque libra una, ſi uncias duodecim continet, pendebit

	gran. pariſ.	differentia a Germanorum libra
in Germania	6744	
in Anglia	6960	+ 216 gr.
in Gallia olim	5760	— 884
nunc	6912	+ 168
in Hiſpania olim	6048	— 696
nunc	6456	— 288
Romae olim	6240	— 504
poſthaec	6408	— 336
in Graecia	6072	— 672

p. 480. No. 18. *Tentamina de vi, quam exercent fila vel ſimplicia vel inter ſe contorta* auctore, BENIAMIN GOTTLIEB VON SCHROEDER, M. D.

p. 525. No. 19. *Bibliotheca electrica. Pars prima*, auctore DANIEL GRALATH. Cuius hiſtoriam electricitatis ſupra indicauimus, iam breuiter etiam bibliothecae eius facienda eſt mentio. In priori illa nimirum propoſuerat ſibi Cl. GRALATH tantum ad temporis normam, electricitatis enarrare originem, progreſſum, effectus memorabiles, aliaque, quae eius incrementum vel adauxerint vel impediuerint, neglecta tamen ſcriptorum, quae eam illuſtrent, recenſione. In hac autem, quotquot edita iam ſunt, vel adhuc edenda, electricitatem pertractatura, ſcripta recenſere animus eſt, temporis ceterum parum obſeruato ordine, quo, ſi qui omiſſi ſint ſcriptores veteres, facilius inſeri queant in ſequentibus bibliothecae ſuae partibus. Ab antiquioribus ſemper facturus exordium, recentiora ſubiungere, eorumque contenta exponere breuiter allaborabit.

p. 553. No. 20. *Ope electricitatis curatum malum hyſtericum conuulſiuum* obſeruauit Cl. IACOB DE LA MOTTE. Anno praeſentis ſeculi quinquageſimo quarto, medio februario, ad ipſum accedebat femina, viginti octo annorum, plethorica, ad triſtitiam prona, nondum nupta viro; mox illo correpta malo, proximam in ſellam ſe proiecit. Valde concutitur caput; oculi ſeſe claudunt; faciei et oris in primis muſculi conuelluntur, absque ulla tamen in ore ſpuma; poſt etiam manus, itemque pedes, totum denique corpus, ita tamen, ut alternis haec omnia ſe exciperent vicibus. Manus, licet conuulſae, liberae tamen manebant haud contortae. Superatis his poſt decem minuta temporis motibus, tandem ad ſe rediit aegra, valde languida, difficileque ſpirans, praeter capitis dolo-

dolorem et faciei ruborem, multo perfuſa ſudore, atque omnium, quae perpeſſa erat, ſibi adhuc conſcia. Tanti mali cauſam rogata poſt, a vehementi refrigerio, continuis curis et moerore nouem iam annos toleratis, deriuauit. Initium mali inter coenandum ſenſiſſe ſe, et praeter oſcitationem et flatus, in faucibus globulum quaſi haerentem, remouere tuſſiendo, ſed fruſtra tentaſſe narrabat. Saepe redeunte ita malo, iteratisque tuſſiendi conatibus, conciliauit ſibi dyſpnoeam, et breui poſt haemoptyſin; qua licet iterum ſublata, ſuperſtes tamen fuit malum vetus. Acceſſit anno ſeculi huius quinquageſimo tertio, paullo ante paſchatos feſtum, ſubito vocis defectus, miſſo autem ſanguine per venam, vox rediit. Aucti fuerunt dein conuulſiones artuum reliquique corporis, et bis per diem redierunt, fruſtra tentatis remediis omnibus. Menſtrua rite fluxerunt, ſed, ubi imminet malum illud, fluunt copioſius. Appetitus moderatus fuit, ſomnusque bonus. Animi pathemata auxerunt malum. Vt igitur eidem obuiam iret, per tempus aliquod dedit Noſter viſcum, quod ſuaſit Cl. COLBATH, ſed ſine ſucceſſu; electrica dein cum aegra tentauit experimenta, atque, quum olim inducta pectoris labes obſtare videretur, primum a ſimplicioribus cepit initia, ad pectoris, ſi qua occurreret, mutationes ſollicite attendens: nihil tamen incommodi ſenſit ipſa in pectore, ſcintillae licet multae educerentur e manibus et capite. Erat dies duodecimus februarii anni 1754. Domum poſt ea quum iuiſſet, iuſſuque Cl. DE LA MOTTE lectum, ſudoris mouendi obſeruandique cauſa, petiiſſet, die decimo ſexto februarii, redux facta hilaris narrauit ipſa ſe tum multum ſudaſſe, urinam ſanguineo rubram cum ſedimento, quae alias aquoſa fuerit, dimiſiſſe, et malo ſuo prorſus liberatam fuiſſe. Repetitis dein et ſenſim fortioribus factis experimentis lubens ſe ſubiecit aegra, nihil amplius de malo ſuo ſentiens. A

 dato

dato leni laxante redierunt ſpaſmi et concuſſiones, mox iterum ceſſantes. Continuat adhuc Noſter, dum haec ſcripſit, ſingulis hebdomadibus ſemel tentamen electricum, quo certior euaderet curatio atque tutior. Si quid memoratu dignum occurrat in hac morbi hiſtoria atque curatione, ad tria potiſſimum nos iubet reſpicere ipſe Cl. Auctor momenta ſequentia: quod electricitas nihil mali attulerit pectori feminae, quae haemoptyſin olim paſſa fuit; dein quod a purgante redierint ſpaſmi; denique celeris illa urinae mutatio certum efficaciae, quam habuit electricitas, indicium.

XV.

Diſſertations ſur l'incompatibilité de l'Attraction et de ſes differentes loix avec les phénomenes; et ſur les tuyaux capillaires. Par le P. GERDIL, Barnabite, Profeſſeur de Philoſophie-Morale en la Royale Univerſité de Turin, et de l'Inſtitut de Bologne. A Paris chez Deſaint et Saillant. MDCCLIV. 12. mai. 18 pl. 1 tab.

i. e.

Diſſertationes de Attractione eiusque diuerſis legibus contra phaenomena pugnantibus, tum de tubulis capillaribus. Auctore R. P. GERDILIO. etc.

Doctiſſimus huius libri Auctor copioſe diſputat contra eos philoſophos, qui attractionem ſtatuunt eſſe vim primitiuam, et proprietatem materiae eſſentialem, ac phaenomena inde pendentia mechanice explicari poſſe negant. Et in prima quidem libri parte omnes ingenii neruos in id intendit, ut demonſtret, iſtam ſententiam cum experientia pugnare. Primo

earum virium attrahentium, quae a grauitate differunt, et rationem diſtantiae plus quam duplicatam ſequuntur, leges in natura rerum locum habere non poſſe, ſed naturae, inuitis phaenomenis, a Newtonianis obtrudi, contendit. Quum enim talis attractio in contactu infinities ſit maior, quam in quauis, utut exigua, corpuſculi attracti a corpore attrahente diſtantia: ſequi inde exiſtimat, ut aut vi infinita fo- p. 24.
ret opus, ad particulam alicuius corporis ſolidi a toto diuellendam; id, quod tamen experientia ſecus eſſe docet: aut in quamuis exigua diſtantia prorſus inſenſibilis eſſet attractio; etiam contra phaenomena. Plura abſurda porro ex illa ſententia elicit, quibus enarrandis ſuperſedemus, quoniam veremur, ne iſtis conſequentiis nauiter intercedant Newtoniani, easque calculis ab Auctore perperam ſubductis imputent. Maiorem attentionem meretur, quod admonet, ſi p. 37.
talis, qualem paullo antea memorauimus, attractio materiae omni eſſet ingenita, nullum in natura locum fore repulſui, quem tamen inter diuerſas materias dari non nunquam, experientia conſtat. Hac occaſione Cl. Auctorem diſſertationis *de Lumine* aggre- p. 40.
ditur, eiusque hypotheſes de conſtitutione et inſitis viribus corporum ſub examen reuocat, nec non contra celebratam illam in mechanicis et phyſicis legem continuitatis varie diſputat. Secundo argumento p. 44.
contra vim attrahendi, materiae inhaerentem, hoc utitur, quod, quum, per magni NEWTONI expe- p. 71.
rimenta, pilus vel filum metallicum radios lucis in notabili diſtantia vi, grauitatem multum ſuperante, ad ſe trahere, et a recto tramite deflectere poſſit *, duo tamen eius modi fila, libere ita pendentia, ut adhuc minus a ſe mutuo diſtent, ad ſe inuicem accedere non videamus. Tertio conſiderat phaenome- p. 76.

 non

* Haec parum accurate dicta exiſtimamus. Non trahit pilus ad ſe radios lucis, ſed a ſe repellit. Vid. NEWTONI Opt. L. III. Obſ. I.

non cohaeſionis duorum marmorum, ſuperficiebus ſuis planis, politis, et paullum humectatis, ſe inuicem contingentium. Si vis attrahendi cauſa huius phaenomeni ſit, conſequens eſſe videtur, ut, quum duorum illorum marmorum ſuperius ſuper inferiori, ſi illud in directione ad planum contactus parallela impellatur, facillime moueri poſſit, pari ratione duae partes unius integrae maſſae marmoreae, plano tantum imaginario diſtinctae, facile queant de ſitu ſuo dimoueri, ſi alteri applicetur vis ad planum illud imaginarium parallela. Contra ea obſeruamus duas quaslibet maſſae marmoreae partes ingenti vi cohaerere inter ſe, et vi, eas in qualibet directione ſeparare conanti, fortiſſime reſiſtere. Quaerit etiam Cl.
p. 91. Auctor ex Newtonianis, quo modo cum legibus attractionis conciliari poſſit phaenomenon illud attractionis magneticae, quum, ſecundum Auctoris quidem experimentum, duarum acuum chalybearum, ex eadem altitudine in magnetem demiſſarum, minor citius in magnetem incidit, quam maior, ſecundum MVSSCHENBROEKII vero experientiam idem magnes non niſi certam ferri molem maxima vi attrahit, in minorem vero maioremue remiſſius agit? Quarto, quum Newtonianis attractio in phaenomenis lucis et colorum quam maxime dominari videatur, oſtendere allaborat varia incommoda, quibus illorum phaenomenorum per attractionem explicatio
p. 96. prematur. Sic opacitatem vitri fiſſi in loco fiſſurae contradicere putat phaenomeno maculae nigrae, quae cingit punctum contactus duarum lentium conuexarum vitrearum, ſibi mutuo impoſitarum. Si enim in ſecundo phaenomeno nulla ſit radiorum reflexio, propter ea, quod attractio, quam lens inferior in radios exercet, vincat ſuperioris lentis attractionem: multo magis neceſſe eſſe videtur, ut in primo phaenomeno radios lucis ex parte vitri, ſupra fiſſuram poſita, emergentes ad ſe trahat pars altera infra fiſſuram

ſita,

ſita; quum ſuperficies utriuſque harum partium ſint contiguae, lentium autem illarum ſuperficies in loco, ubi macula nigra conſpicitur, ſeſe ne quidem contingant. Similiter ex ea ratione, qua Newtoniani phaenomenon illud modo commemoratum maculae nigrae, et phaenomenon tranſparentiae, quam charta induit, oleo vel aqua imbuta, explicant, colligit Auctor hoc, quod pro abſurdo habet *, poros chartae aliquanto ampliores eſſe eo interuallo, quod eſt inter lentium conuexarum ſibi mutuo impoſitarum ſuperficies in loco maculae nigrae. Silentio praeterimus alia quaedam incommoda, quae GERDILIVS tum phaenomenorum lucis explicationi Newtonianae, tum illi vi primitiuae, quae apud Newtonianos eſt grauitatis cauſa, ſub finem primae partis huius libri obiicit, et ad *ſecundam partem* nos conuertimus. p. 102. p. 124.

In hac Vir doctiſſimus duo ſibi propoſuit, primum, ut oſtenderet, phaenomena aſcenſus liquorum in tubulis capillaribus per principium internum attractionis non ſufficienter explicari, alterum, ut veras horum phaenomenorum cauſas phyſicas, mechanice agentes, demonſtraret. Non negat, quaedam illorum phaenomenorum per attractionum leges, quas Newtoniani vel ſtabiliuerunt vel ſumſerunt, ſatis bene explicari: ſed non nulla ſupereſſe contendit, quae contra ſyſtema attractionum faciant. Huc praecipue refert experimenta hydrargyri, in tubulis metallicis capillaribus a ſemet ipſo capta. Duos aureos tubulos, quorum anguſtioris diameter fuit triceſimae, amplioris viceſimae parti pollicis aequalis, p. 176. p. 194.

 in

* Forſan hac in re nihil adeo abſurdi deprehendent Newtoniani, qui norunt, ex obſeruationibus et dimenſionibus NEWTONI, interuallum inter duarum lentium ſuperficies in margine maculae nigrae, vix centies milleſimam partem pollicis Londinenſis excedere. Conf. NEWTONI Optic. L. II. P. I. Obſ. 6. et 8. et Quaeſt. 29.

in hydragyrum demerſit tumultuarie, ut ſuperiora tubulorum orificia parum prominerent: et vidit, in neutro tubulo hydrargyrum ſponte ſua uſque ad orificium ſuperius aſcendere, ſed potius notabili interuallo infra illud ſubſiſtere; immo tenui filo orichalceo immiſſo deprehendit ſuperficiem hydrargyri in tubulo anguſtiori depreſſiorem, quam de ampliori. Deinde plurimis tubuli amplioris concuſſionibus effecit tandem, ut hydrargyrus ad orificium ſupremum pertingeret: verum nullo modo efficere potuit, ut in anguſtiori tubulo hydrargyrus ad libellam uſque aſcenderet, etiam poſtquam hydrargyrum aliquoties per eundem tubulum vi traiecerat. Idem erat experimentorum euentus, quum tubulis argenteis, et ſtanneis, uteretur, niſi quod in ſtanneis hydrargyrus uſque ad libellam facilius aſcendere videretur. In orichalceis etiam tubulis ſemper infra libellam idem fluidum ſubſtitiſſe
p. 199. expertus eſt. Porro Auctor in ſiphonem vitreum incuruum, bene ſiccum et terſum, cuius alterum crus fuit capillare, infudit hydrargyrum, et, ubi omnia ad quietem rediiſſent, et ſuperficies liquidi in crure capillari multo depreſſior eſſet, ac in altero crure, inclinauit ſiphonem ita, ut hydrargyrus uſque ad orificium ſuperius cruris capillaris promoueretur, deinde lente ac ſine ſuccuſſu reclinauit ſiphonem in priſtinum ſitum, et vidit, ſuperficiem fluidi in crure capillari ſupra libellam fluidi in ampliori crure haerere.
p. 201. Tandem ſimilis ſiphonis internam cauitatem oleo oliuarum inunxit, et infuſo hydrargyro, obſeruauit, in crure capillari hydrargyrum fere ad eandem altitudinem, atque in altero crure, ſurgere. Haec experimenta, quorum rationem Auctor per frictionem, et per mutuam particularum hydrargyri cohaeſionem, ſatis veriſimiliter reddit, quo modo virium attrahentium ſyſtemati aduerſentur, facile, nobis tacentibus, intelligent harum rerum periti. Sed et vulgatum illud phaenomenon difficilis aſcenſus aquae in tubulo,

pingue-

pinguedine intus infecto, per leges virium attrahen-
tium recte explicari poſſe negat GERDILIVS, et hac p. 207.
data occaſione in WEITBRECHTI de tubulis capil-
laribus diſſertationes varias animaduerſiones profert.
Tandem ſuam ipſe ſententiam de phaenomenis tubu-
lorum capillarium, aquam vel alium liquorem ſugen-
tium, ediſſerit. Tres enumerat cauſas illorum phae-
nomenorum, 1) inaequalitatem preſſionum, quas aqua p. 222.
intra et extra tubulum ſuſtinet, 2) atmoſphaeram tu p. 284.
buli, aere ſubtiliorem, quae totam fere eius cauita-
tem replere, atque in aquam facilius, quam in ae-
rem, ſeſe inſinuare ponitur, 3) vaporem, quem li- p. 315.
quor continue exhalat, quique aerem, in tubulo con-
tentum, rarefacere poſſe videtur. Cauſas haſce non p. 331.
ſolum ab obiectionibus aduerſariorum diligenter vin-
dicat, ſed etiam in ſpatio aeris vacuo easdem locum
habere contendit; et, haec agens, ubique ſolicita
cura annotat phaenomena, quae ſyſtemati virium at-
trahentium contraria ſunt. Quum per ſingula huius
diſſertationis capita ire nobis non liceat: ſuffecerit,
hoc unum monuiſſe lectores, quod Auctor hoc ar-
gumentum ita tractauerit, ut, quanquam expectatio-
ni noſtrae ex aſſe non ſatisfecit, tamen inter praeci-
puos auctores, phaenomena tubulorum capillarium
intelligibili et mechanica ratione explicare conatus,
iure ſuo meritoque cenſendus eſſe nobis videatur.

Ceterum ab omnibus, qui naturam ſine partium p. 367.
ſtudio ſcrutantur, gratiam certe iniit doctiſſimus Au-
ctor, quod elegantiſſimam commentationem, qua
cohaeſionem hemiſphaeriorum Magdeburgicorum ab
interno attrahente principio haud pendere demonſtra-
uit, et quam in Diario Pariſiorum, *Journal des Sa-
vans*, ad an. 1752. menſe maio publici iuris fecerat,
huic volumini dedit appendicem.

XVI.

New Experiments and Obſervations on Electricity made at Philadelphia in America. By BENIAMIN FRANKLIN, Eſq; communicated to P. COLLINSON, Eſq; of London, F. R. S. and read at the Royal Society June 27, and July 4, 1754. To which are added a Paper on the ſame Subject by J. CANTON M. A. F. R. S. and read at the Royal Society Dec 6. 1753, and another in defence of Mr. FRANKLIN againſt the Abbe NOLLET, by Mr. DAVID COLDEN, of New York. Part III. London: printed and ſold by D. Henry and R. Cave, 1754. 4. pl. 6.

id eſt:

Noua experimenta et obſeruationes Electricitatis inſtituta Philadelphiae in America. Auctore BENIAMINE FRANKLINO etc.; una cum diſſertatione I. CANTONII de eodem argumento, etc. et DAVIDIS COLDENII Defenſione FRANKLINI contra NOLLETVM.

In hac tertia parte commercii epiſtolici inter FRANKLINVM et COLLINSONIVM de electricitatis phaenomenis primum locum tenet FRANKLINI Epiſtola data Philadelphiae, menſe ſeptembri 1753. in qua primo ſententiam ſuam, quod aqua marina fluidi electrici grauida ſit, quia in vaſe agitata, aliquamdiu lucet, retractat, et ſe huius phaenomeni veram cauſam nondum detexiſſe confitetur. Deinde varia de nubium fulminantium electricitate perſcribit. Statuit nunc, plurimis obſeruationibus inductus, nubes illas

illas raro *poſitiue*, plerumque autem *negatiue*, electrificatas eſſe, h. e. raro maiorem, plerumque minorem fluidi electrici copiam continere, quam quae nubibus naturaliter ineſſe poteſt, ſeu rarius eiicere ex ſe, ſaepius ad ſe trahere fluidum electricum. Hinc prope ab eorum abeſt ſententia, qui non nubes in terram, ſed terram in nubes, emittere fulmina affirmarunt. Ad illud autem phaenomenon explicandum, coniicit, aquam, naturali ſua quantitate fluidi electrici dotatam, ſimulatque in vaporem reſoluatur, plus fluidi electrici capere et abſorbere poſſe; quia unicuique particulae aqueae nunc datur ſpatium, electricam atmoſphaeram circa ſe formandi. De ſolidis certe Auctor experimento ſingulari, quod hic tradit, cognouit, aucto eorum volumine, atmoſphaeram electricam, quae ipſa ambeat, poſſe augeri. Sed totam hanc ſuam hypotheſin eruditorum examini permittit, eosque ſimul rogat, ut, ſicubi recentes fulminis effectus obſeruandi copia ipſis fiat, probe attendant ad ictus directionem. Inter ea perſtat in ſua ſententia, virgas metallicas, quarum diameter quartam pollicis partem circiter aequet, a culmine aedium ad terram uſque pertingentes, poſſe aedes a fulminum periculo tutari, vel reſtaurando aequilibrium inter fluidum electricum in nubibus et in terra, tam celeriter, ut explosio ignis impediatur, vel ducendo hunc ignem via expedita, de qua eum nihil cogat deflectere, donec in ſummo virgae apice in aerem exeat, aedibus illaeſis.

Sequitur alia epiſtola FRANKLINI, in qua ſcribit, nouis experimentis confirmatam eſſe ſuam ſententiam, quod nubes fulminantes, ſaepius negatiua, quam poſitiua electricitate praeditae ſint.

Proximum locum occupant COLDENII animaduerſiones in Cl. NOLLETI epiſtolas, ad FRANKLINVM datas, conſilio defendendi FRANKLINI ſcriptae. In experimento Muſſchenbroekiano non ſolum

lum internam ampullae vitreae ſuperficiem, ſed externam quoque, abundare fluido electrico, NOLLETVS contra FRANKLINVM demonſtrare voluit inde, quod etiam haec externa ſuperficies ſigna electricitatis omnia edat. Reſpondet COLDENIVS, initio quidem, quum ampulla nondum intus plena eſt fluidi electrici, poſſe aliquem, in pice ſtantem, tangendo exteriorem ſuperficiem, electrificari; quoniam initio experimenti materia electrica, in externa vitri ſuperficie latens, etiam ſecundum FRANKLINI ſententiam, eiicitur: ſed, poſtquam ampulla intus plena facta et electricae materiae (quod cognoſcitur ex ſcintillis, quae tunc ex tubo ferreo, ex quo ampulla pendet, elici poſſunt) hominem, ſcabello cereo inſiſtentem, neutiquam electrificari, anterioris ſuperficiei ampullae contactu. Quod autem NOLLETVS forſan obſeruauerit, leuia corpuſcula ab exteriori ſuperficie ampullae electrificatae attrahi, id non abundantiae fluidi electrici circa hanc ſuperficiem videri tribuendum, ſed potius defectui, cui ſupplendo materia electrica in illis corpuſculis impendatur. Ceterum nouo experimento FRANKLINI ſententiam confirmare allaborat. Deinde diſſentit etiam NOLLETVS a FRANKLINO negante, vim illam ingentem percutiendi, quae in eodem experimento percipitur, in aqua vel limatura ferri, quam ampulla continet, reſidere. Sed NOLLETVM hac de re ita aduerſus FRANKLINVM diſputare, ut ſtatum controuerſiae immutet, cenſet COLDENIVS. Ad reliquas NOLLETI obiectiones cunctas ita reſpondet, ut ſimpliciter affirmet, experimenta, ad quae NOLLETVS prouocat, a ſe repetita longe alium euentum habuiſſe, eis tamen exceptis, quae in vacuo capta ſunt, quippe quae repetendi occaſionem ſibi defuiſſe fatetur.

Vltima huius libelli plagula exhibet Cl. I. CANTONI experimenta nouem electricitatis, Societati Regiae

giae Londinenſi praelecta, quibus non nulla capita ſyſtematis FRANKLINI confirmari videntur. Excogitauit ea Auctor admodum ingenioſe, theoriae perficiendae gratia: dubitamus tamen, num explicationes, quas addit, omnes tam probabiles ſint, ut intelligentium omnium aſſenſum ſint laturae. Quum de ſingulis his experimentis breuiter dicere nequeamus: ſatius eſt, ea lectoribus noſtris commendare, in hoc ipſo libello legenda.

In breui Appendice COLLINSONIVS narrat meleagridis trucidationem, de qua nos alibi * mentionem facere meminimus.

XVII.

Quaeſtiones medicae Pariſinae. Groningae, typis Iac. Bolt. 1754. 8. pl. 15.

Quod diu iam optauit orbis eruditus, ut, quae minoris molis ſunt, eruditorum ſcripta et ad multorum cognitionem, in primis exterorum, non perueniunt, haud raro tamen aliquam ſcientiae partem illuſtrant, coniuncta typis exſcribantur, plurium uſui inſeruitura, et quod BOERHAAVIVS in primis de quaeſtionibus Pariſinis cogitauit, ſed non expleuit, eius voti nunc ex parte compotes nos reddidit, cuius alibi ** mentionem fecimus G. NIC. HEERKENS. Inter eas enim quaeſtiones, quae Pariſiis ſpeciminum academicorum ſub forma publici fiunt iuris, multae inueniuntur, penetralia ſcientiae medicae recludentes feliciter, et doctrinae partem aliquam dilucidantes. Quae quidem ratio fuit, ut variorum in noſtris commentariis adduxerimus rationem, etiam quarundam ex illis, quae hic denuo exhibentur. Solas propoſitas quaeſtiones ſine ulteriori explica-

* vid. noſtr. Commentar. Vol. III. Part. I. p. 25.
** vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 539.

explicatione ad annum huius ſeculi quinquageſimum ſecundum dedit Cl. BARON *, eas vero, quas Cl. Auctor nunc congeſſit, ſunt autem earum decades duae, maximam partem ita prodeunt, prout ab eorum auctoribus olim fuere exhibitae, niſi quod, ipſo monente in epiſtola nuncupatoria, ad Emin. Card. QVIRINI data, loca, quae aut nimis vulgata aut minus utilia aut parum clara occurrere, excerpſerit, omiſerit, in quibusdam etiam ſermonem caſtigare laborauerit. Quo quidem iure, quod Galli ſaepe nimis ſibi arrogant, eo minori cum detrimento uti potuit, quod exinde utilium rerum peritia non deſtituamur, eas vero eleganter et amoene prolatas cum voluptate excipiamus. Omnium quaeſtionum uberiorem a nobis non requiret beneuolus Lector expoſitionem, earum tantum dabimus ſummam, et de ultima, quae a Cl. Auctore eſt confecta, plura dicemus.

Continet ergo *decas prima ſequentes*: 1) An mulieres pluribus obnoxiae morbis quam viri? Praeſ. GABR. ANT. IACQVES, proponit *Le-Thuiellier*, et affirmat 1743; 2) An renouatus aer ſanitati ſaluberrimus? Praeſ. M. FL. COLDE VILARS, proponit Car. *Franc. Theroulde de Toulouſe de Valon* affirmando 1747; 3) An cibus deterior ſed iucundus et aſſuetus, meliori ſed ingrato et inaſſueto, potior? Etiam affirmando propoſita ſub praeſ. M. IVL. BVSSON, a *Ludov. Anna Lavirotte*, 1751. 4) An legumina prae ceteris alimentis ſalubria? Sub praeſ. IAC. ANTON. MILLET, propoſuit *Barth. Murry* et affirmauit 1735. In ſubiecta Cl. Auctor nota exemplis veritatem theſeos ſimul corroborat. 5) An eunuchus ut corpore ſic et mente minor? praeſ. M. VRB. LEAVLTE, proponit *Claud. Car. de Iean*, affirmatque 1733. 6) An chocalatae uſus ſalubris? proponit STEPH. BACHOT, et affirmat, ſeculo ſuperiore. Simulque hic Cl. Auctor CORNARVM aduerſus

BACO-

* Conf. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 344.

BACOTIVM defendit. 7) An a frequentiore potu Café vita breuior? Praeſ. M. LVD. GVILIELM. LE MONNIER, proponit *Edm. Thomas Moreau* 1751. affirmando. 8) An tabacum lentum ſit homini venenum? Praeſ. IO. MAR. DE LA SONE, proponit affirmando *Io. Bapt. Bariolle*, 1751. 9) An ad ſanitatem equitatio? Praeſ. M. CAR. DIONIS, proponit *Claud. Guilbert de Preval*, 1751. affirmando. 10) An in curanda lue venerea ſuffimigia rite adhibita, remedium optimum? Affirmando ſub praeſ. M. LVD. RENAT. MARTEAV proponit *Nat. Andr. Cheſnau*, 1745.

In *decade ſecunda* vero collectae ſunt hae 1) an Venus hyſtericis? Propoſuit eam affirmando STEPH. BACHOT. Haec atque ſexta primae decadis ex parergis BACOTII, 1686. Pariſiis editis, repetitae fuerunt. 2) An obeſis ſomnus breuis ſalubrior? Praeſide THO. RENAT. GASNIER, propoſuit *Oliv. Bougourd* 1733 affirmando. 3) An carbonum vapor in clauſis cameris ſedulo vitandus? Concedendo praeſ. M. FRANC. POVSSE, proponit *Anna Car. Lorry*, 1747. 4) An ab omni re cibaria vaſa aenea prorſus ableganda? Praeſ. CAM. FALCONET, propoſuit *Franc. Thiery* 1747. affirmando. 5) An omne eſculentum vegetabile cultura ſalubrius? Sic iudicat praeſide STEPH. L. GEOFFROY, proponens *M. Anton. Iuſſieu*, 1747. 6) An gymnaſtica, morborum contumacium, optima medicina? Praeſ. PETR. IAN. BVRETTE, propoſuit *Balth. Tuſſau le Clerc*, 1746. 7) An Pariſinis frequens potus theae frequenti potu caffae ſalubrior? Praeſ. IO. FRANC. COVTHIER, proponit *Ant. Garnier*, affirmando 1749. 8) An ſenibus chocolatae potus? Praeſ. HIAC. THEOD. BARON, proponit *Io. Franc. Clem. Morand*, affirmando, 1748. 9) An diu poſſit homo, ſine cibo potuque et viuere et valere? Propoſuit FRANC. DE PAVLA COMBALVSIER,

1750.

1750 *. 10) An ſepultura in urbe et templis prohibenda? Affirmando propoſuit GER. NIC. HEERKENS, 1754. De hac autem, cum a Cl. Auctore propoſita ſit, praecipua iam adducemus momenta.

Peruerſum illum morem, cadauera in templis aſſeruandi, increpaturus Cl. Auctor, quantum quidem ſit, qui hominis nomen tueri voluerit, officium demonſtrat, quo demortuorum corpora honeſto terrae mandentur modo, multiplici porro eruditionis literariae apparatu declarat, quanta et priſcorum in exequendo hoc officio olim fuerit ſollicitudo, quibusue cauere ſtuduerint modis, ne viuis a neceſſaria, quae in corruptionem pronum animale cadauer manet, putredine inducatur noxa. Aegyptii enim et ab hac arcere ſtudebant corpora, balſamatione, concremabant eadem aliae gentes, Romani ſepulturam et uſtionem cadauerum intra urbem lege prohibebant, ut ex his et nociuis praecipue, morborum peſtiferorum auctore, effluuiis aerem inquinantibus extra urbem et templa relegandam eſſe ſepulturam pateat, ne noceant ciuitati, qui prodeſſe non poſſunt.

Quum autem nunc tantum Cl. Auctori, cui ſe praecipue laudabili cum ſtudio dicauit, diaeteticas placuerit colligere commentationes, ut illas, ad alias etiam ſcientias medicas pertinentes, et ex his laudem promerentes velit colligere, peramanter exoptamus atque hortamur.

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 121.

XVIII.

XVIII.

Diſſertation en Forme de Lettre, ſur pluſieurs Maladies populaires, qui ont regné depuis quelques années à Châlons-ſur-Marne, et dans une partie du Royaume. Avec des Reflexions Phyſiques ſur l' Operation des Remedes, qui ont été employés pour les guerir. Par M. NAVIER, Docteur en Medecine, et Aſſocié Correſpondant de l'Academie Royale des Sciences de Paris. A Paris, 1753. Chez la V. Cavelier, et Fils. In 12. plagul. 11. ſine praefat.

id eſt:

Diſſertatio epiſtolaris de variis morbis epidemicis, qui Catalauni et in quibusdam regni gallici prouinciis ex aliquot annis graſſati ſunt. Vna cum meditationibus phyſicis de adhibitorum remediorum operatione. Auctore Cl. NAVIER.

Totum opus duabus epiſtolis conſtat, quarum prior de dyſenteria, altera vero de variolis, morbillis, febre ſcarlatina et tuſſi ferina infantum agit. Pecorum epidemicus morbus, qui Catalauni anno 1744 graſſari coepit, inſequentis quaſi epidemicorum morborum ſeriei praeludium fuit. Anno enim 1747 maligna febris, ſudor anglicus dicta, inſecuta eſt, quam aphtha gangraenoſa, tot infantes e medio tollens, excepit, et, hac terga dante, dyſenteria anno 1749 et 1750 in ſcenam prodiit, qua euaneſcente variolae, boni tamen caracteris, ſub finem anni 1750 et ineunte anno 1751 apparuere. Hanc, p. 2. quae epidemica quidem, neutiquam vero contagioſa fuit, dyſenteriam, non ab aeris viciſſitudinibus, ſed a pere-

peregrinis miaſmatibus, per aerem, ſaliuae, cibis, vel etiam ſanguini in pulmonibus ſe immiſcentem, in primas vias delatis, ibidemque plus minus magnam phlogoſin excitantibus, originem duxiſſe credit
p. 7. Cl. Auctor. Mitis quidem in principio, ſub finem vero menſis auguſti anni 1750 longe grauior longeque difficilior curatu fuit. Venae ſectio enim, abdominis fomentationes, potus demulcentes, clyſteres, ipecacuanha et rhabarbarum tollere quidem morbum videbantur, ſed mox de nouo et maiore cum furore apparuit. Maxima aegrorum pars circa morbi finem febrem intermittentem tertianam duplicatam paruis manuum pedumque refrigerationibus et oſcitationibus quibusdam ſe manifeſtantem ſenſit; quam ob rationem quoque hanc dyſenteriam ex fermento febrili, in inteſtina depoſito, ortam eſſe cum SYDENHAMO credit Cl. Auctor. Corticem igitur peruuianum rhabarbaro, ipecacuanhae, nitro, et interdum etiam camphorae grano ſemis ſociauit, et ſub boli forma duorum vel trium dierum interuallo, vel crebrius etiam pro febris exigentia exhibuit, interpo-
p. 29. ſitis cardiacis, demulcentibus, anodynisque. Opiata vero, clyſteribus nimia doſi addita, ſtuporem generalem produxerunt. Caſus quidam adſtringentium
p. 31. noxam ſatis demonſtrauit. Dyſentericus viginti quinque vel triginta annorum, qui comeſtis primo ſtatim die multis cydoniis, una cum aliis pyris, coctis, alui fluxum per viginti quatuor horas cohibuerat, poſt tres vel quatuor dies vehementiſſimos pedum dolores paruamque totius corporis intumeſcentiam, et biduo poſt, eosdem dolores in manibus carpisque, itidem intumeſcentibus, et dein in toto corpore, longe vehementius tamen in articulationibus, ſenſit. Poſt purgationes vero, a Cl. Auctore inſtitutas, quae dolores valde mitigarunt, diarrhoea, aliquot dies durans, et dolores tollere viſa, inſecuta eſt, qui vero, ceſſante eadem, ſtatim recruduerunt. Purgantia igitur

per

per vices continuata cum potu abundante diapnoico, poſt ſex demum ſeptimanas, aegro, membrorum motum antea prorſus abolitum, priſtinamque ſanitatem, reſtituerunt. De reliquo in vermium praeſen- p. 33. tia bolo ſuperius deſcripto aquilam albam (ſeu flores ſalis ammoniaci) adiecit, et veſicatoriorum applicationem ob peregrina miaſmata neceſſariam iudicauit, ſuppurationem vero largam theriaca, recenti butyro mixta, et neutiquam noua cantharidum inſperſione ſuſtentauit Cl. Auctor. Vitrum antimonii ceratum, p. 40. quod in hac dyſenteria nihil iuuit, ad grana ſex, cum aequali portione gummi tragacanthae, in forma boli, feminae triginta quinque annorum dyſentericae exhibuit. Hicce bolus nebula inuolutus deglutiri debebat, cum eundem vero aqua calida diſſolutum aſſumeret, decies vel duodecies exinde vomuit, et plus quam vicies aluum depoſuit. Neutiquam igitur vitrum antimonii ceratum in aqua calida aſſumi debet *. Regulinae enim vitri antimonii partes, cerae ramentis inuolutae, ab aqua calida, ceram diſſoluente, adeo rurſus denudantur, ut emeticam ſuam virtutem libere exercere poſſint. Emetica etiam virtus praeparatorum antimonii non in ſulphure, ſed in regulinis partibus haeret. Kermes porro minerale, p. 53. ſeu ſulphur antimonii auratum, prodigioſa quantitate partium regulinarum armatum eſt. Quodſi enim huius pars quaedam, vitri fruſtulo indita, carbonum igni, in loco obſcuro, imponatur, fuſa et ardens coeruleam flammam ſulphurei odoris reddet, et vitrum tandem, ab igne remotum et refrigeratum, materiem albam admodum leuem exhibebit, quae, micro-

* Clariſſ. vero GEOFFROY aquam calidam ſuperbibendam ſuaſit, ſi vitrum antimonii ceratum vomitus excitet. vid. Philoſ. Tranſ. Vol. XLVII. artic. 41. p. 273 ſeq. et Commentar. noſtror. Vol. III. Part. I, p. 33.

microſcopio examinata, nil niſi contextum regulinarum partium, in ſpicula admodum tenuia diſpoſitum, oſtendet. Sic in tartaro emetico ne minimum quidem ſulphuris veſtigium detegere potuit; ex uncia una vero eiusdem, cuius doſis grana ſex erant, drachmam unam et grana quadraginta ſex reguli extraxit. Emetica quoque virtus vetuſti pulueris *de tribus*, cornachini alias dicti, ex unione cremoris tartari cum diaphoretico minerali unice pendet, ex quibus, tractu temporis, corpus ſub forma ſalis medii,
p. 60. in aqua calida admodum ſolubilis, oritur. Indidit enim Cl. Auctor filtro papyraceo in infundibulo vitreo vetuſtum puluerem cornachinum, eidemque aquam ebullientem affudit, quae filtrata, biduo poſt, multas cryſtallos, in acus extreme tenues formatas, et ſub papillarum, ſeu paruorum globulorum forma, cuſpidibus, erinacei in modum, armatorum, depoſuit. Miſcuerat quoque anno 1738 cremoris tartari et antimonii diaphoretici bene abluti ana unciam ſemis, quae, uſque ad finem anni 1750 quiete repoſita, in maſſam ſplendentem mutata erant. Hanc vero maſſam filtro et infundibulo, uti ſuperius, inditam, aqua ebulliens affuſa, omnem, excepta drachma una cum ſemiſſe materiei albae non ſalinae, ſoluit. Filtrata aqua nullas quidem depoſuit cryſtallos, inſpiſſata vero in balneo maris, ſplendentem maſſam, in aere parum ſeſe humectantem, produxit, quae ad grana ſex, nauſeas, ad grana vero viginti quatuor data, vomitum unum vel alterum, et alui fluxum, excitauit. Hinc cremorem tartari per unionem, cum calce antimonii, vel forſitan cum qualibet calce metallica, ſolubilem fieri, et, ex eadem ratione, purgatricem pulueris cornachini virtutem, potius augere, quam diagrydii corrigens eſſe poſſe, concludit Cl. Auctor. Praeterimus vero variolarum et morbillorum, qui exeunte anno 1750 et ineunte 1751, Catalauni graſſati ſunt, curationes. Methodum enim,

enim, qua Cl. Auctor uſus eſt, ex SYDENHAMII, FREINDII, BOERHAAVII, HELVETIIque methodis compoſitam, lectoribusque noſtris diu cognitam eſſe deprehendimus. Ipſae variolae ſatis benignae fuerunt. Varioloſum vero fermentum putridae naturae eſſe, et hinc per ſpecificum acidae vel acidulae naturae exſtingui poſſe ſperat. Aetherem nitroſum et liquorem mineralem anodynum HOFFMANNI ſpecifica, per excellentiam huic ſcopo apta, eſſe arbitratur, et quaerit, cur SYDENHAM acida non in principio morbi exhibuerit, cum tamen eorumdem bonos effectus in progreſſu morbi adeo laudauerit? Certiſſima eius remedia, quibus variolae et morbilli praecaueri, aut ſaltem ad bonum characterem curatuque facilem reduci poſſunt, in eo conſiſtunt, ut, cum ambo morbi ſint inflammatorii, fluida ſolidaque noſtri corporis in eius modi ſtatu ſeruentur, in quo minimae inflammationis capacia eſſe poſſunt, ſeruando nimirum ſolida in magna flexibilitate, et ſanguinem reliquaque fluida in magna dulcedine, id quod obtineri poſſe arbitratur, vitando longas vigilias, intenſos corporis animique labores, iram, immoderatum gaudium, triſtitiam, omnesque violentas animi paſſiones, aromatibus conditos cibos, et ſuccos animalium concentratos, cibos ſalitos, fumo induratos, exceſſum vini, in primis ſpirituoſi, ſpiritus vini, potus caffée, chocolate etc. et obſeruando victum ſimplicem, dulcem, vegetabilem et animalem, potionem aquoſo-acidulam, fructus horaeos maturos, balnea ad tranſpirationem promouendam, et in omnibus tandem moderationem, ne ventriculus oneretur. Quis vero eſt, qui haec omnia ad vitae uſque finem obſeruare velit, vel, ſi etiam velit, poſſit? Variolis tandem, a mediocri orto frigore fere prorſus exſtinctis; tempeſtate dein paulo mitius facta alius apparuit epidemicus morbus variolis longe magis inflammatorius, febris nimirum rubra, ſcarlatina dicta. Hic morbus per

p. 73.
p. 91.
p. 179.
p. 208.

 febrem

ſebrem admodum vehementem ſe manifeſtauit, quae animi deliquiis, laſſitudinibus ſpontaneis, capitis, fauciumque doloribus, deglutitionem impedientibus, comitata erat. Secundo die et ſaepe poſt viginti quatuor vel triginta horas in toto corpore maculae rubrae, viuido ſcarlatino colore, largae, manus magnitudinem ſaepe excedentes, figurae irregularis, et dorſum, pectus, femora et nates ſaepe ita tegentes, ut unica tantum eſſe videretur, apparuerunt. Hae maculae, quouis fere momento diſparentes, ſe in alia loca eryſipelatis more conferre videbantur, in quibus antea non fuerant. Manus easdem tangens calorem viuidum et ardentem, praecipue in adultis, ſentiebat, et cutis ruberrima digito compreſſa albeſcens, remoto digito ſtatim rurſus rufeſcebat. Pulſus paruus et frequens erat, et reſpiratio difficilis et intercepta et ſingultuoſa in plurimis eſſe videbatur. Halituoſus vapor e pulmonibus egrediens adeo calidus et urens deprehendebatur, ut unusquisque hunc percipiens faciem ab aegro ſtatim auertere cogeretur. Haec febris etiam interdum cum manuum et brachiorum inflatione coniuncta fuit, integrasque familias aut inſimul aut ſucceſſiue inuaſit. Vidit Cl. Auctor infantes, hoc morbo laborantes, quibus prodigioſa leucophlegmatia ſuperuenit. Quidam hac febre laborans et uſque ad palpebras leucophlegmaticus, parciſſimam brunam urinam reddens, qualem in hac febre ſaepiſſime, imo interdum ſanguinolentam ſecedere aſſerit Cl. Auctor, praemiſſis praemittendis, ab omnibus ſymptomatibus, veſicatorio-
p. 211. rum applicatione, liberatus fuit. Quidam ventrem flatibus diſtentum (*dans un état de météoriſme*), et linguam valde ſiccam, plurimi vero humidam habent. Iis, qui emergunt, epidermis quinto vel ſexto die per ſquamas decidit, quin imo adoleſcenti tredecim vel quatuordecim annorum tota manus pedisque cuticula, exceptis unguibus decidit, quarum unam adhuc

huc Cl. Auctor aſſeruat. Niſi aegro ſtatim in primo morbi impetu ſuccurratur, eſcharae gangraenoſae in fundo faucium verſus arcus et velum palati ſuperueniunt, et hiſce ortis pauci emergunt; haec gangraena oeſophagum aſperamque arteriam ſaepe ante occupat, quam illam percipere illique mederi queamus. Progreſſum vero huius internae gangraenae quam certiſſime impedit gargariſma ex oxymelle cum adiecto ſpiritu vini camphorato, qui vero HOFFMANNI methodo ſale alcali praeparatus eſſe debet, ne aquoſis mixtus lacteſcat. Quidam hac febre rubra affecti quarto vel quinto die eodem modo pereunt, ac ſi per inflammationem gangraenoſam pulmonum ſuffocati eſſent; alii poſt vehemens delirium morientes magnam ſaniei quantitatem per os et nares reddunt, et rubrae antea maculae poſt mortem in quibusdam prorſus violaceae conſpiciuntur. Haec ſymptomata vero in infantibus longe minus violentia ſunt, remediisque facile cedunt. Cauſam huius morbi non ſolum cum illa, quae ſudorem anglicum, aphtham gangraenoſam, dyſenteriam etc. excitauit, eandem eſſe dicit, ſed in miaſmate, quod cum morbilloſo comparat, acri, cauſtico, et putrefaciente, conſiſtere, ipſumque morbum analogiam alere perhibet cum morbo epidemico pecorum. His enim conualeſcentibus pili et epidermis eodem modo deciderunt, ac hominibus cuticula, et in cadaueribus pecorum apertis ſemper viſcera quaedam gangraenoſa inuenit Cl. Auctor. Ex pecorum igitur morbo hanc febrim per contagium ortam eſſe arbitratur, eandemque cum variolis ideo quoque conuenire aſſerit, quia magnus infantum numerus eandem breui ante vel poſt variolas habuerit. Virgo quaedam poſt hanc febrem variolis diſcretis benigniſſimis laborauit. Venae ſectio interdum ob vehementiam inflammationis ſumme neceſſaria eſt. Praefert vero venae ſectionem in brachio; illam enim in pede inſtitutam varia ſaepius exceperunt in-

p. 212. p. 213. p. 214. p. 223. p. 225.

commoda, in primis ſi viſcera, quod ſaepiſſime
fieri aſſerit, inflammatione quadam affecta fue-
runt. In delirio vero vel comate iugularem quo-
que ſecare curauit. Serum lactis tamarindinatum
plantisque nitroſis ſociatum, pro potu largo et clyſma-
te iniiciendum, poſt inſtitutam venae ſectionem maxi-
p. 230. me commendat. Si purgantia propter ſymptoma-
tum violentiam exhiberi non poſſunt, veſicatoria in-
ter ſcapulas vel in ſuris optimi effectus eſſe deprehen-
duntur. Ad refraenandum ſtatum ſolidorum ſpas-
modicum paregorica parua doſi, poſt purgationes vero
p. 239. maiori exhibuit. Infantes, hac febre ſcarlatina decum-
bentes, ordinarie ante febrem tuſſi ferina laborarunt,
quae vero cum febre ſeſe imminuit, et cum illa quo-
que euanuit. Quodſi vero febris cum cardiacis tra-
ctabatur, tunc poſt febrem longe vehementior euaſit
p. 242. tuſſis. Et licet pauci exinde mortui ſint, plurimi ta-
men pulmonici facti ſunt, id quod ex ſectionibus ſa-
tis apparuit; modo enim ſuppuratos, modo inflam-
matos, modo ad pleuram adhaerentes inuenit Cl.
Auctor pulmones. Hanc tuſſim epidemicam cum
morbillis, febre ſcarlatina etc. eiusdem quidem natu-
rae, longioris vero durationis et difficilioris curatio-
nis eſſe arbitratur. Expectoratio quidem negligi
non debet, praefert vero veſicatoria omnibus becchi-
cis. His iungenda ſunt lenia purgantia reiterata.
Paregorica parca manu et magna cum circumſpectio-
ne adhibenda ſunt. Infantibus tandem, hoc morbo
laborantibus, lac nullos uſus praeſtare ſaepius obſerua-
uit Cl. Auctor.

XIX.

C. E. ESCHENBACHS *d. A. D. Chirurgie. Mit Kupfern. Roſtock und Leipzig, bey Johann Chriſtian Koppe, 1754. 8. 3 Alph. 6 Bog. 7 Kupfertafeln.*

id eſt:

CHRISTIANI EHRENFRIED ESCHENBACHII Chirurgia. Adiectae ſunt Tabulae aeneae VII.

Paucos forte latet, Cl. Auctorem, cuius chirurgiam iamiam lectoribus noſtris indicare conſtituimus, ante octennium edidiſſe elementa chirurgiae in uſum praelectionum academicarum, ideo, quia tum nullum exſtaret huius artis compendium, lingua noſtra patria conſcriptum, tironibus chirurgiae exponendum. Ex eo vero tempore Cl. HEISTERVS ex maiori ſua chirurgia contulit ea, quae inſtituendo tironi ſufficere ei videbantur, linguaque noſtra vernacula compendium edidit chirurgiae. Antequam vero prodiret iſte tractatus HEISTERI, ediderat iam inſtitutiones chirurgiae, germanice conſcriptas, b. Ill. PLATNERVS, cuius memoria nobis eſt deſideratiſſima, et cuius fama, quam conſequutus eſt ſcriptis ſuis, artem chirurgicam illuſtrantibus, per ſe nota eſt, neque laude noſtra indiget. Habemus itaque confitente Cl. Auctore noſtro ipſo, praecepta et inſtitutiones chirurgicas, ab conterraneis noſtris conſcriptas, dignitate, eruditione, ordine concinno et inuentis nouis, quibus abundant, etiam exterorum ſcriptis non poſtponendas. Fatetur hinc Cl. Auctor, videri, ac ſi actum ageret, cum molitur, nouam conſcribere chirurgiam, ſupra adductis egregiis libris iam editis. Inter ea comprobandus eſt Cl. Auctor conatus, ſecundum quem, elementa chirurgiae ſuae, aucta et emendata, variisque experientiis, quae ex

eo tempore fecit, poſtquam libellum primum ediderat, confirmata, denuo in lucem emittit. Arbitrarias eſſe docentium methodos cuique notum eſt; hinc etiam Auctori noſtro, ordine proprio ſuoque modulo praecepta artis, quae manu medetur, proponere placuit. Ex eo enim fundamento, quod cum plerisque non inique adſumit, chirurgiam eſſe veram medicinae partem, recte opinatur, poſſe et hanc ſcientiam illo modo, quo medicina traditur, exponi diſcentibus. Scientia enim remediorum, quae ſanitatem praeſentem conſeruat, prophylactica nuncupatur, morbos vero praeſentes quae tollere ſuſcipit, therapeutica ſalutatur a medicis: quid ergo impedit, quo minus etiam ad mentem Cl. Auctoris, hac diuiſione adſumta, corpus doctrinae chirurgicae ita exponatur et tironibus huius artis tradatur, cum idem finis, integritas et corporis humani cura, utrique doctrinae communis ſit. Diuiſionem, quam adduximus libri huius, in quo Cl. Auctor primum agit de auxiliis et remediis chirurgicis, ſanitatem praeſentem conſeruantibus et deinde de iisdem, morbos ipſos tollentibus, non improbamus, cum cuilibet liberum ſit, voluntaria methodo diſponere dicendorum ſummam, praeſertim, ſi auctori ſuo facilitate quadam ſuperare videtur reliquas, prout et Noſtro de ſua expoſitione illud adfirmare libuit. Inter ea nec haec in laudem Auctoris reticere poſſumus, quod ſerio diſſuadeat chirurgo nouitio, adhaerere tantum praeceptis doctoris, quem ſibi elegit; ſed potius eum recte edocet, cuncta, quae ei in arte ſua obueniunt peragenda, ſedulo conſiderare, neque quidquam ratione ſufficiente deſtitutum ſuſcipere. Iſta vero artis certitudo, quam inculcat Noſter, acquiritur, partim ſedula obſeruatione, partim lectione indefeſſa auctorum, utrumque tamen circumſpecte inſtituendum eſt. Praeeuntem habent, qui haec imitari cupiunt, Cl. Auctorem, qui varia eruditionis copia, et ſententias

tentias veterum, et placita recentiorum ſedulo et magno labore collegit, et ea adſertis ſuis, ut clariora euaderent, ſubiecit et adpoſuit, quibus inſimul etiam probare annititur, non nulla inuenta recentiorum antiquioribus ſcriptoribus iam fuiſſe cognita, imo non nulla clarius expoſita olim, ac nunc fieri ſolet. Latine equidem adpoſita ſunt teſtimonia haec auctorum, pro chirurgis huius doctae linguae non ignaris; maiori tamen iure lectioni medicorum commendanda. Non ſuperfluum eſſe putamus indicare hic quoque, lectionem huius libri illis eo faciliorem fore, quo maiori ſtudio ex anatomia Cl. Auctoris, in qua ex nominibus artis graecis germanica fecit et recepit nomina, nota et familiaria ea ſibi reddiderint, cum iisdem hic quoque uſus ſit.

Praemiſit operi ſuo inſuper Cl. Auctor perſpicuam expoſitionem iconum appoſitarum, quae ſiſtunt faſcias non nullas chirurgicas, neque ab HEISTERO, neque a BASSIO delineatas. *Tabula* itaque *prima* modum tenendi faſciam conuoluendam figura repraeſentat. *Secunda* faſciam, monoculum dictam, et aliam pro utrisque oculis. *Tertia* faſciam in morbis naſi cum ſplenio ſupponendo. *Quarta* faſcias mammarum duas. *Quinta* faſciam mammarum compoſitam. *Sexta* faſciam herniarum, vulgo bracherium vocant, in bubonocele ſiniſtri lateris una cum partibus, hanc componentibus. *Septima* ſubligaculum, ex arcu ferreo confectum et faſciam, loco bracherii adhibendam. Conſtituimus non immerito, quo eo clarius ordo, quem tenuit Cl. Auctor in tractatu hoc, pateſcat, ipſam operis ſciagraphiam, breuem hic quoque adducere, quia inſimul hac ipſa argumentum libri exponitur. Non nulla tamen ex introductione praeliminari commemoranda ſunt. Poſtquam Cl. Auctor chirurgiam ipſam deſcripſit, et media, quibus opus habet chirurgus, ut dextre agat, inſtrumenta nempe et medicamenta, indicauit, progredi-

tur ad eius hiſtoriam et ad enarrandas diuerſas huius artis aetates et incrementa, adducens quoque auctores plurimos, ſcriptis ſuis illam illuſtrantes, ubi merito recentiores praefert antiquioribus, et primarium chirurgi futuri laborem in addiſcenda ſtructura corporis humani eſſe ſtatuit, et in coniuncta cum hac cognitione remediorum, quibus olim neceſſe habet. Quibus omnibus demum ipſe adiiciat eorum, quae ſuſcipit, conaminum, rationes probabiles vel veras, et experientiam rationalem et fidam. Cum pauci proſtent libri, materiam externorum remediorum exponentes et indicantes, laudanda eſt Cl. Auctoris induſtria, quod medicamentorum, ſic dictorum chirurgicorum, indicem et ſyllabum, una cum accurata horum deſcriptione et virium enumeratione, tam ſimplicium, quam compoſitorum, tironibus exhibuerit. Simili modo ac ratione etiam adducit reliquam ſuppellectilem, chirurgo neceſſariam, quorſum referuntur inſtrumenta varii generis, faſciae et vincula, variis corporis humani partibus, diuerſo modo adplicanda. Reliqua forte, quae adhuc ex hac introductione commemorare poſſemus, exponunt copioſe chirurgi ſtudia, mores et vitae genus, quod ſibi eligendum habet, ſi dextre et cum laude officio ſuo rite defungi velit.

Tota autem tractatio in duas, quod iam adnotauimus, abit partes, ex quibus *prima* remedia et auxilia chirurgica, recenſet, quae ſanitatem conſeruant, et in quatuor iterum articulos ſubdiuiditur, quorum *primus* de ſanguinis detractione ex venis et arteriis, nec non per ſcarifationem et hirudines exponit, *ſecundus* fonticulum, ſetaceum et veſicatorium deſcribit, *tertius* enematum, ſuppoſitoriorum balneorum, humidorum atque ſiccorum, fotuum et frictionum rationes expendit, *quartus* tandem infuſionem ſanguinis et medicamentorum in venas, ſimulque excutiae ventriculi et inoculationis variolarum

rum naturam explanat. *Pars* porro *ſecunda* proponit remedia, morbos ipſos ſanantia. Horum autem triplex inſtituitur conſideratio, ſimplicium nempe morborum chirurgicorum deinde compoſitorum, tandemque partium ſpecialium. Ad ſimplices pertinent, inflammatio, ſuppuratio, abſceſſus, ulcus, gangraena et ſphacelus. Compoſitis vero adnumerantur vulnus per ſe, vulnera porro tendinum, neruorum, ligamentorum, arteriarum et venarum, ulcus fiſtuloſum ſeu fiſtula, tumores folliculoſi, ſarcoma, ſcirrhus, cancer, oedema, ancyloſis, emphyſema, ſugillatio, aneuriſmata, varix, luxatio et fractura. In ſpecialioribus partium morbis initium faciunt capitis vulnera et faciei, ſequuntur hydrocephalus, emphyſema capitis, tinea. Morbi palpebrarum deinde exponuntur, glandulae et ſacci lacrymalis, praeter hos morbi oculi et cataracta. In naribus morbi varii exoriuntur et polypus ſpeciatim. Os externum praeter alia mala foedatur labio leporino. Dentes, lingua, os internum et collum, varios patitur morbos, a quibus, ſigillatim deſcriptis, tranſitus eſt ad vulnera thoracis, morbos mammarum, empyema, hydropem et gibboſitatem. In abdomine obueniunt vulnera varia, hydrops et herniae variae ſpecies, nec non calculus. Deinde et ſuis adficiuntur incommodis partes genitales et anus, in quo praecipue fiſtulae occurrunt. Vltimo deinde loco poſt partus difficilis diſquiſitionem artuum extremorum morbi finem libro faciunt.

Poſtquam itaque uniuerſalem huius libri conſpectum exhibuimus lectoribus noſtris, nexumque morborum et horum curationes, ſecundum ordinem, quem elegit Cl. Auctor indicauimus: tranſeundum nunc eſt ad ſingularia quaedam capita, ex quibus, enarranda ſunt, quae Cl. Auctori vel ſunt propria dogmata, vel quae cum aliis adſumſit, experientia tamen confirmata. Speciminis loco ſit expoſitio eius

de

de inflammatione, morbo omnium fere frequentiſſimo et chirurgiae ſtudioſo quam maxime neceſſario. p. 177. Inflammationem itaque partem aliquam comprehendiſſe docet, ſi rubor, ardor, dolor, pulſatio arteriarum, tumor et tenſio cum aliqua duritie in parte conſpiciuntur. Haec ſigna, ut plurimum praeſentia, ſemper adiunctam habent febrem, vel uniuerſalem, vel partialem, cuius nullam tamen inſimul mentionem facit Cl. Auctor. Videtur nobis inſuper, ac ſi ſigna inflammationis, quae CELSVS enarrat, et quae alii pro indicanda inflammatione ſufficere putant, eaque tantum adducunt, Cl. Auctoris indicata quoque ſub ſe complectantur, cum ardor, pulſus arteriarum moleſtus et tenſio partium unica doloris dictione exprimantur, qui pro gradu morbi ipſius varius eſt. Neque tenax iſta ac albida ſanguinis pellicula ſemper adeſt in inflammatione adfectis, neque etiam certum huius morbi indicium exhibet, et ſi reperitur, nonne etiam pro effectu inflammationis haberi poterit? Bene quidem monet, ſe in chirurgia ſua pertractare tantum conſtituiſſe morbos externos, hinc etiam de inflammatione partium externarum hic age- p. 185. re atque neceſſaria exponere velle: An vero ſecundum mentem Cl. Auctoris cauſae internae, inflammationem aliquam externam producentes, non indicandae ſint tironi chirurgiae, de eo aliter ſentimus, p. 183. in primis, cum cauſam proximam, ſtagnationem nempe ſanguinis in ultimis arteriis, quae etiam abſcondita eſt, una cum vitiis reliquis ſolidorum et fluidorum enumeret. Et nos ſumus in ea ſententia, non poſſe commode explicari ortum huius morbi, ſi plane negliguntur cauſae internae, inflammationem efficientes, neque, ſi ad eas non adtendimus, illaſque remouere cogitamus, poſſibile eſſe, inflammationes metaſtaticas, poſt febres continuas ortas, recte intelligere et curare: fiunt etiam ſaepius ſpontaneae humorum dyſcraſiae et ad circulationem ineptae,

quae

quae ſtagnando corrumpuntur et morbis inflammatoriis partialibus initium praebent. Frequentes ſunt tales humorum in variis partibus congeſtiones, quae tumores efficiunt et inflammatione ſemper, vel reſoluuntur vel etiam ſuppurantur, e. g bubones, carbunculi, furunculi: non tamen negare poſſumus, ſubeſſe non leue diſcrimen in origine et cauſis horum morborum, in ſymptomatibus, in cura ipſa: hinc liberum relinquimus Cl. Auctori, referre omnes hos morbos ad inflammationem: ſatius tamen eſſe, nos putamus, praemiſſa doctrina generali de inflammatione, ſigillatim enarrare partes, quibus ſuperuenit, et deinde, quid in unaquaque parte ſpeciatim obſeruandum ſit, cum omnium ſtructura plane inter ſe diuerſa ſit, et cauſarum origo varia. Gradus inflammationis vel leuiores, vel grauiores, dum conſtituit Noſter, primum huius eryſipelas eſſe ſtatuit et phlegmonem alterum, qui facile in pus ſeu abſceſſum tranſeat, illudque eo probare annititur, quod eadem medicamenta, gradu efficaciae et virtutis tantum diuerſa, adhibeantur in utroque morbo: quae adſertio non generaliter valere poterit. Porro denuo eryſipelas diſtinguit in rubrum et album, a vaſis diuerſi generis, in quibus, vel ſanguis, vel lympha haereat; nempe rubrum dici, ſi vaſa ſanguinea, album, ſi lymphatica infarcta ſint humore peregrino. Si cauſa inflammationis eſt ſtagnatio ſanguinis in minimis arteriolis, prout nemo negat, et quidem eo in loco, ubi ſanguis arterioſus in venas transfunditur rubicundus et coloratus adhuc: tunc iſte ſanguis, circulatione citatiore huc delatus et impeditus in motu, efficit inflammationem proprie ſic dictam: hinc clarum eſt, minus commode impeditum circulum humorum lymphaticorum, qui in extremis tubulis cutaneis contingit, et vero ſuo nomine eryſipelas vocatur, ab Cl. Auctore pro mitiore gradu inflammationis ſanguineae haberi, cum cauſa, ſymptomatibus

et

et cura multum inter ſe differant. Antiqui et non nulli recentiorum vocant hoc eryſipelas inflammationem, ex errore loci factam. Si porro eryſipelas non
p. 182. differt ab inflammatione ſanguinea, cur adfirmat Auctor praecurrere febrem morbum ipſum, et febrem, eryſipelas efficientem, morbo eſſe priorem et ab aliis
p. 186. cauſis oriri? Quam cauſam adlegat inflammationis, ſtagnationem nempe ſanguinis rubri, eam obſtructionem adpellat, cum tamen vocabula germanica, (*Stockung und Verſtopffung*), quibus loco citato indiſtinctim utitur, ſingularis ſint ſignificationis, aliumque ſtatum morbi indicent. Stagnatio attenuari et repelli poterit: obſtructio vero vaſis, quae plenariam vaſis obturationem omnemque circulum humorum ſublatum innuit, numquam reſolui poterit, ſed ruptis
p. 187. vaſis et effuſis humoribus, ſemper efficit pus. Scirrhoſas indurationes non numquam poſt male curatam inflammationem remanere certum eſt: ſed an in ſolis lymphaticis vaſis, illud crebro fiat, dubitamus, prout etiam illud forte rarum eſt, poſt inflammationes praegreſſas in venis remanere varices, ibi, ubi valuulae earum conſtitutae ſunt, et quia venarum diameter nimium expanſus fuerit, cum proprie inflammatio venas non adficiat, et motus, qui eis a non nullis tribuitur, ſanguinem repellendi, nondum ex-
p. 190. tra omnem controuerſiam poſitus ſit. Dolorem moleſtiſſimum, partium inflammatarum ſymptoma, ab extenſione ſola arteriarum deducit, qui potius ramificationibus neruorum, parti adfectae intextis, adſcribendus eſt, cum vaſa ſanguifera, etiam diſſciſſa, parum doleant. Perſuadet ſibi Cl. Auctor dolentes arteriarum fibras, vel medicamentis emollientibus ſolis, varia ſub forma adhibitis, vel etiam anodynis et opiatis ſopiri poſſe: hinc et b. PLATNERVM noſtrum, qui opiatorum uſum in inflammationibus recte reiicit, inter eos collocat ſcriptores, qui ſiniſtre de effectu opiatorum iudicant, et miratur, quod nul-

la

la ratio, cur noceant, adiecta ſit, cum tamen horum effectus, quem praeſtant in corpore humano, ſatis ſuperque notus ſit omnibus In omni inflamma- p. 188.
tione, vel incipiente, vel et ea, quae iam increuit, omnis cura eo dirigenda eſt, ut impediatur copioſior adfluxus ſanguinis ad locum iam adfectum, et ut omnes humores, hic ſtagnantes, auocentur et reliquo ſanguini, adhuc circulanti, admiſceantur denuo, conſentiente nobiscum hac in re Cl. Auctore. Huic vero ſcopo adſequendo, quem intendimus, minime conueniunt opiata, quorum actionem in relaxatione ſolidorum et fluidorum motibus cohibendis conſiſtere, ſatis firma et certa experientia comprobauit: hinc in leuiori inflammatione, neque diſcuſſionem, neque in grauiori malo laudabile pus, ut illud vocant chirurgi, viribus vitae elaborandum, fieri permittunt. Si dolor mitior factus, vel plane remiſit, tunc omni opera humores hucuſque ſtagnantes attenuandos et propellendos eſſe, innuit Cl. Auctor et, ut com- p. 193.
mode peragatur, ſuadet, diluentibus internis, externis vero reſoluentibus et roborantibus illud tentare: Sed hac in re forte non inique iudicamus, ſi adfirmamus, nimium tribuiſſe Cl. Auctorem remediis ſuis, varie inter ſe mixtis, cum non ſemper in omnibus hominibus, aetate, habitu corporis et idioſyncraſia ſingulari diuerſis, eumdem effectum ſperatum medicamenta, quem quaerimus ſalutarem exitum morbi, procurare valeant. Ad cauſas externas, inflammationum auctores, quoque refert, contuſiones, ambuſtiones, congelationes partium externarum, cum tamen iſtae adfectiones corporis etiam ſaepius ſine inflammatione partibus variis inhaereant, neque ſemper inflammationem efficiant, vel eam comitem habeant. Praeferimus aliorum inſtitutum, hos morbos ſigillatim exponendi, propter cautelas, quas in cura requirunt.

p. 289. Capite ſecundo partis ſecundae exponit Cl. Auctor morbos uniuerſales, prout eos adpellat, quia in omnibus corporis humani partibus inueniuntur, et propter antecedentes, compoſitos vult adpellari. Huc refert vulnera generatim conſiderata, et alios morbos ſuperius iam indicatos. Statuit Cl. Auctor adeſſe vulnus, ſi a vi quadam externa, recens corpori illata, laeduntur partes corporis humani molles, quod vero etiam in contuſionibus fit: num vero recte dici poſſit, etiam vulnus a cauſa interna oriri, dubitamus, alias neceſſarium foret apoplexiam, rupturam vaſorum lymphaticorum et alias eius modi humorum effuſiones, quae interius in corpore humano fiunt, adpellari vulnera. Poſt ea progreditur ad diuiſionem et accidentia vulnerum, ubi copioſe et erudite refellit diuerſorum auctorum adſerta, de lethalitate vulnerum per ſe et per accidens, prout iam peculiari libro, Roſtochii 1748. 4. emiſſo, illud demonſtrauit uberius, et hic in chirurgia ſua prae reliquis ea docet, quae ad felicem horum vulnerum curationem et exitum pertinent.

(margin: p. 291.)

p. 460. Tranſeamus porro ad luxationes. Data huius morbi deſcriptione, eam diuidit in completam et incompletam, ubi nempe oſſa, articulatione inter ſe iuncta, vel plenarie, vel ex parte a ſe inuicem ſecedunt. Poſtquam ſigna enumerauit, ex quibus praeſens luxatio cognoſci poteſt, progreditur ad enumerationem cauſarum, quae utplurimum externae et
p. 466. violentae, non numquam tamen internae ſunt. Inter has omnino nobis rariſſima iſta viſa fuit, quam Cl. Auctor addit, quod aneurysma, ſub clauicula exortum, valeat propellere eam ex articulatione ſua, cum adeo validis ligamentis vicinis oſſibus iuncta ſit; hinc ea etiam citius frangitur, quam luxatur, ſi illam externa quaedam vis ferit. Quodſi nunc os, ex articulatione emotum, in ſedem ſuam repellendum eſt, extenſione et repoſitione opus habemus, quam, vel

vel manibus, vel inſtrumentis, perficiunt chirurgi. Ad membrorum luxationes ipſas nunc deuenit Cl. Au p. 475.
ctor, et ſpecies non nullas luxationum adducit, ubi vis ſola manuum ſufficit, nempe luxationes manuum et pedum inferiorum: et vertebrarum colli puerorum incompletam et modum eas reſtituendi inſimul exponit, quam comprobare non poſſumus, cum eleuatio iſta totius corporis, apprehenſo capite, admodum periculoſa ſit et peiora mala ex ea prouenire poſſint, prout PLATNERVS ſimile exemplum ex PETITO adducit*; neque omnibus placebit modus Cl. Auctoris in luxatione incompleta maxillae inferioris reſtituenda, dum iubet aegroto infligere colaphum, propter graues dolores, qui exoriuntur, ſi moleſta enchireſi tali repellitur in locum maxilla. Porro enumerat luxationes oſſium naſi, clauiculae, coſtarum et enchireſes eas reponendi breuibus ſtrictimque proponit: in maioribus vero articulis, prout loqui amat, ſola manuum virtus non ſufficit, hinc aliis auxiliis opus eſt, nempe habenis, loris et polyſpaſto. Reſtitutum nunc in articulum, antea emotum, os retinetur, vel ab ligamentis ipſis in ſede ſua, vel deuincitur vinculis, cuilibet membro et luxationi propriis, ſi ſedulo antea proſpeximus ſymptomatibus, quae deligationem neceſſariam impedire poſſunt, qualia ſunt tumor, ſugillatio, vulnus, fractura.

Sed cum faſciarum chirurgicarum variae ſint figu- p. 487.
rae et adpoſitionis modi, has, prout ſingulis ſingulorum membrorum luxationibus iniiciendae ſunt, chirurgiae tironem preſſa oratione edocet, et non tam ad ornatum et varietatem vincturarum, quam ad uſum, nempe conſtrictionem partium, reſpexiſſe videtur, quia inſimul monet, plures eius modi faſcias, in fracturis alias tantum uſuales, etiam in luxationibus adhiberi poſſe commode.

Ad

* Inſtitt. Chir. §. 1123.

Ad caput tertium nunc progredimur, et ex morbis partium ſingularibus, prae reliquis, morbos oculi eligere placuit, quum ſumma diligentia omnia huius organi vitia conſideraſſe, et diuerſas curandi methodos dilucide et erudite explanaſſe inueniamus Cl. Auctorem. Ab externis oculi tegumentis exorſus, recenſet primum palpebrarum aegritudines, quas tum adeſſe cognoſcimus, ſi palpebrae inſolitam magnitudinem, immobilitatem, inuerſionem et concretionem inter ſe habent: ſi inflammantur et ſuppurantur, et ſi, ut aliae corporis humani partes, reliquis quoque morbis uniuerſalibus, alibi expoſitis, adficiuntur, quibus adhuc accedit in palpebris margo ciliorum induratus, cilia inuerſa, vel eorum caſus, relaxata vel nimium propendens palpebra ſuperior,
p. 646. prout Cl. Auctor haec ſigillatim indicauit, et quid in quolibet morbi ſtatu, aetate, et ſymptomatibus ſuſcipiendum vel perficiendum ſit, ſecundum ſeriem explicat. Sub finem huius capitis modum deligandi molliter oculos faſcia Tab. 2. fig. 1. ſi alter oculus, et Tab. 2. fig. 2. ſi uterque male adfectus, tirones artis inſtruit, et faſciarum ductus, quorſum dirigendi ſint, indicat. Abſolutis autem palpebrarum morbis, ad ea, quae interiora oculi comprehendunt mala, morbos nempe glandulae lacrymalis et ſacci lacrymarum et fiſtulam lacrymalem pergit et quidquid modo tam de cognoſcendis rite hiſce morbis, quam etiam curandis illis, neceſſarium eſt ſcire medentibus, magna dictionis ubertate et remediorum copia, diſerte demonſtrat. Neque minori ſtudio reliquos, qui oculum ipſum tangere poſſunt morbos, et quorum magnus eſt numerus, commentario erudito illuſtrat. Sed nimis copioſum foret, ſi ſingula membratim recenſere vellemus, hinc lectores noſtros ad ipſum Auctoris tractatum ablegamus, quem perlegiſſe quemlibet iuuabit, in hac de oculorum morbis expoſitione.

XX.

XX.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores, medicinam docentes.

1) In Academia Iulia Carolina dicta, quae floret Helmſtadii:

LAVRENTIVS HEISTER, Med. D. Sereniſſ. Brunſuic. et Luneburg. Duci a conſiliis aulicis eiusque Archiater; Medic. Profesſ. Publ. Ordinar. et Primarius; Acad. Caeſar. Naturae Curioſor. Adiunctus et Regg. Acad. Berolin. et Societ. Londin. Scient. Sodalis.

PHILIPPVS CONRADVS FABRICIVS, Med. D. Sereniſ. Brunſv. et Luneburg. Duci a conſiliis aulicis; Medic. Prof. Publ. Ordin. Societat. Medic. Helmſtad. Praeſes; Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Sodalis.

IO. GOTTLOB KRÜGER, Med. D. Medic. et Philoſoph. Profesſ. Publ. Ord. Acad. Caeſ. Nat. Curioſ. Sodalis.

His ex Philoſophorum Ordine addendus:

IO. NICOLAVS FROBESIVS, Mathem. et Phyſic. Prof. Publ. Ord. Acad. Iul. Carol. Aedilis.

2) In Academia Francofurtana ad Viadrum.

Profeſſores Ordinarii:

CAROLVS AVGVSTVS DE BERGEN, Med. D. Pathologiae et Therapiae Prof. Publ. Ord. Acad. Caeſar. Nat. Curioſor. et Reg. Scient. Berolinenſ. Sodalis.

IO. FRIDERICVS CARTHEVSER, Med. D. Medic. Anatom. Botanic. et Chymiae Prof. Publ. Ordin

Academ. Electoral. Moguntinae Scient. Vtil. Socius Ordinarius.

Doctores reliqui legentes:

ANTON. PHILIPP. QVEITSCH, Med. D.

FRIDERICVS AVGVSTVS CARTHEVSER, Med. D. Acad. Elector. Mogunt. Scient. Vtil. Socius Ordinar.

Dresdae Vir Cl. CHRISTIANVS HENRICVS HAENEL, Med. D. Medicus huc uſque Aulicus et copiarum Saxonicarum Primarius, ſub initium huius anni a Potentiſſ. noſtro Rege Conſiliarius Aulicus, Archiater, collegiique medico-chirurgici Dreſdenſis Director, nominatus atque conſtitutus fuit.

Gottingae Cl. IO. GOTTFR. ZINN, Med. D. et Profeſſor Botanices huc uſque extraordinarius, quem ſaepius laudandi habuimus occaſionem, a Pot. Magnae Britanniae Rege Profeſſor Medicinae Ordinarius, nuper die nono menſis ianuarii declaratus fuit.

Ab eadem vero, qui *ibidem* floret, Academia Cl. IO. ANDREAS SEGNER, Phil. et Med. D. et Phyſices atque Matheſeos Profeſſor Ord. Vir de re publica literaria bene meritus, *Halam Magdeburgicam* auocatus ibique a Pot. Boruſſorum Rege Phyſices atque Matheſeos Profeſſor Ordin. conſtitutus et Conſiliarii Intimi honoribus, quumque e nobili gente ortus eſſet, in hiſce nobilitatis iuribus atque honore ab eodem Sereniſſ. Rege confirmatus fuit.

Cur etiam de cura, quam uniuerſitatis noſtrae *Lipſienſis* Rex noſter gerit Potentiſſ. laetemur, denuo habemus. Munus enim publice docendi botanicam, quo per multos hactenus annos cum laude functus

fuerat

fuerat Cl. ANTON. GVILIELMVS PLAZIVS *, nunc in Virum Cl. ERNEST. GOTTLOB BOSE, Phil. et Med. D. et Facultatis, quae dicitur, Medicae Aſſeſſorem, quem, uti maximopere meretur, laudaremus, niſi amicitia, quam nobiscum colit, ſuſpectas reddere videretur noſtras laudes, detulit Optimus ille Pater Patriae. Illud is quoque munus nuperrime iam adiit die menſis huius aprilis decimo nono, programmate eum in finem edito *de ſecretione humorum in plantis*, ideoque publice dicta oratione *de ſtudio botanico oeconomo neceſſario.*

Porro medicinam extra ordinem apud nos docere iuſſit Clementiſſ. noſter Rex Viros Cll. IO. CHRISTIAN. TILLING, Med. D. quem alia iam cur laudaremus occaſione, habuimus: hic tamen per aeſtiui temporis menſes, uti per plures iam annos cum merita fama ſolitus fuit, thermas Carolinas adire ibique porro aegros, aquis illis utentes, conſiliis iuuare perget; et HENRICVM OTTONEM BOSSECK, Phil. et Med. D. et Reg. Litt. Acad. Rupell. Socium, IO. BOHNII, celeberrimi, dum viueret, non inter noſtrates ſolum, ſed apud exteros quoque optimo iure celebris facti medici, ex filia nepotem.

Berolini in publico, quem Reg. Scient. Academia die menſis februarii viceſimo ſeptimo habuit, conuentu inter alios, qui ad nos pertinet, Cl DE SAVVAGES, Med. D. eiusdemque in Academia, quae Monte Peſſulano floret, Profeſſorem, adſciuit ſibi ſocium.

Nouum prorſus atque omnium, qui rerum naturalium theſauros perſcrutari ſolent, attentione ac ulteriore inueſtigatione digniſſimum ſemimetallum, *Platina di Pinto* Hiſpanis dictum, pondere ſuo au-

 rum

* Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 163.

rum fere aequans, argentum vero ſuperans ab eoque quoad colorem proximum, ante paucos annos in America inuentum fuiſſe, ſtudioque ANTON D'VLLOA inter noſtrates demum innotuiſſe, olim iam retulimus *. Singulari nunc induſtria in indagandam corporis huius metallici indolem inquiſiuiſſe legimus Anglum quendam, Cl. LEWIS (LVDOVICVM), Medicinae Baccalaureum, hosque ſuos labores cum Reg. Scient. Societate *Londinenſi* communicaſſe, quae ideo nuper triceſimo menſis nouembris die illum ipſi, ut palmam, decreuerit nummum memorialem, ex teſtamento equitis cuiusdam COPLEY quotannis ei tribui ſolitum, qui, ex Illuſtris illius Societatis iudicio, nouis inuentis alios antecelluit. Vberiorem *Ludouicianorum* horum tentaminum notitiam lectoribus noſtris dare poterimus, ut primum ea Societatis eius actis inſerta fuerint.

Regia Chirurgorum *Pariſienſis* Academia praemio, quod b. DE LA PEYRONIE legaſſe conſtat, ad annum ſuperiorem quinquageſimum quartum pertinenti et deſtinato quaeſtionem de amputationis membrorum in vulneribus cum oſſium colliſione et in primis vi ſclopeti factis, determinanda neceſſitate propoſuiſſe olim quoque iam narrauimus **. Commentarios autem ſuper hoc argumento ſcriptos et ad illam Academiam miſſos, voluntati ſuae atque expectationi haud ſatis feciſſe ea ipſa nunc indicauit monens potiſſimum, quod ab eorum auctoribus vix non omnibus quaeſtionis ſumma nec obſeruata neque diſcuſſa ſatis fuerit: quibusnam nimirum in caſibus illico poſt vulnus acceptum, operatio ſuſcipi debeat, et in quibus contra aliis ea differri poſſit? Illud itaque idem argumentum, praemio nummi aurei, qui alias quingenta pondo aequat gallica, duplicato, ad annum proxime

* l. c. Vol. I. P. IV. p. 708.
** l. c. Vol. II. Part. I. p. 178.

proxime futurum, quinquageſimum ſcilicet ſextum, doctorum virorum ſtudio atque inueſtigationi offert; iis, qui ſuas iam miſerunt ad ipſam diſſertationes, alias denuo, vel mutatas ſaltem, transmittendi relinquens poteſtatem, et terminum, intra quem illae iterum recipientur, ad huius uſque, quem iam agimus, anni finem extendens.

Romae lege publica ante breue tempus ſancitum eſſe legimus, quod nemini utramque medicinam, et externam et internam, facere in poſterum debeat eſſe permiſſum, quin ideo examen ſubierit ſuaeque peritiae ediderit documenta; ſiue is hanc artem huc uſque iam exercuerit, ſiue, quod ſuam illi nunc demum operam daturus ſit, profiteatur.

Ibidem porro ut in rei pharmaceuticae incrementum publica, quae dicuntur, diſpenſatoria emendentur, iuſſum fuit, ſuperfluis aut forte nociuis remediis penitus reiiciendis, reliquis autem, quo ea modo rite praeparari debeant, ſedulo examinandis, totique pharmacopoeorum ordini legibus praeſcriptis, ad quas artem ſuam ediſcere et in uſum deducere debeant, ut rei publicae veram afferant utilitatem.

Erfordiae anno iam ſuperiore non nullos viros doctos in ſocietatem ea mente coiiſſe, ut utilium artium atque ſcientiarum ſtudeant augmento, ſilentio praeterire non poſſumus. Ea quoque iam felicitatis parte gauiſa eſt haec ſocietas, ut a Clementiſſimo ſuo Domino, Principe Electore Moguntiae non confirmata ſolum, ſed et variis priuilegiis et titulo *Academiae Electoralis Moguntinae Scientiarum Vtilium* ornata ſit, publico ſimul loco, conuentibus ipſius deſtinato, conceſſo. Omnibus reliquis, praeter theologiam, ius publicum et metaphyſicam, ſcientiis et artibus operam atque ſtudium ipſam daturam eſſe; porro Praeſidem ipſius Generoſiſſimum Virum DA-

NIELEM CHRISTOPHORVM, Liberum Baronem DE LYNKER, Regiminis Electoralis Conſiliarium; Directorem, Cl. Virum, HIERONYMVM FRIDERICVM SCHORCH, I. V. D. S. Palat. Caeſar. Comitem, Iurid. Facult. Aſſeſſorem et Iur. Publ. Profeſſ. Ordinar.; Secretarium denique, IO. GVILIELM. BAVMER, Med. D. et Prof. conſtitutos eſſe legimus. Prolixiorem ſine dubio et inſtituti, et ſociorum atque laborum, ipſa dabit adhuc ſocietas rationem atque notitiam, quam, ſimul ac publici iuris facta fuit, cum lectoribus noſtris communicare haud intermittemus.

In *eadem* urbe uniuerſitas, quae ibi floret, perantiqua iacturam paſſa nuper eſt die quarto menſis nouembris morte viri, dum viueret, clari, IO. HENR. DE STEINMETZEN, Facult. Philoſ. Aſſeſſ. et Phyſices Profeſſ. Ordin. et totius uniuerſitatis Senioris; in cuius locum ſurrogatum et paulo poſt die duodecimo eiusdem menſis Facult. Philoſoph. Aſſeſſ. Ordin. et Profeſſorem Phyſices conſtitutum eſſe Virum Cl. quem iamiam nominauimus, IO. GVIL. BAVMER, accipimus.

Qua occaſione facere non poſſumus, quin alius viri mortem, per omnem fere Europam celebris facti et qui inter phyſicos etiam innotuerat, Cl. SCIPIONIS MAFFEII referamus, quippe qui *Veronae* die menſis februarii undecimo, ſuum diem obiit ſupremum, poſtquam doloroſo ac diuturno morbo, quem aſthma vocamus, confectus fuerat. Memoriae huius viri de re publica literaria maxime meriti nuper decreuere Veronenſes marmoream ſtatuam, eamque nunc erigendam curant.

Pariſiis etiam ante breue tempus ſub finem menſis martii e viuis diſceſſit Cl. DV MOVLIN, Med. D. et

et Potentiſſ. Regis Galliae Archiater, plurium quam nonaginta annorum aetatem adeptus et inſignes, uti fertur, poſt ſe relinquens diuitias.

XXI.

Continuatio ſupplementi indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1753 prodierunt.

CAROL. LINNAEI Diſſ. Demonſtrationes plantarum. Reſp. *I. Chriſtian Höjer.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. Herbationes Vpſalienſes. Reſp. *Andr. N. Fornander.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. Inſtructio muſaei. Reſp. *Dau. Hultman.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. Plantae officinales. Reſp. *Nicol. Gahn.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. Cenſura medicamentorum ſimplicium vegetabilium. Reſp. *Guſt. Iac. Carlbohm* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de cynographia. Reſp. *Lindekranz.* ib. 4.

Eſperienze ſopra la Elettricita celeſte di TOMASO MARINI. Bologna, 4.

Traité de charpenterie et des bois de toutes eſpéces, par M. MESANGE. 2 Voll. à Paris, 8.

ANTON. MICHETTA, Diſſ. de generali medicamentorum cognitione et uſu. Viennae Auſtriae, 4.

ADAM NIETZKI, Progr. de medicina organica quatenus philoſophiam mechanicam ſibi vindicante. Halae ad Salam, 4.

Eſſai ſur l'electricité des corps, par l'Abbé NOLLET. à Paris, 12. c. f.

Eiusd. Recherches ſur les cauſes particuliéres des phénoménes electriques. ib. 12. c. f.

An Eſſay on the general method of treating cancerous tumours, in which the opinions of ſome of the moſt celebrated authors, who have writ on this

this ſubject, are examined and compared. The whole endeavouring to ſhew, what ſtages of this formidable diſeaſe are curable. Illuſtrated with ſeveral extraordinary caſes. By WILLIAM NORFORD. London, 12.

Iſtoria de foſſili del Peſareſe, ed altri luoghi vicini di M. GIAM BATTISTA PASSERI Diſſertazione I. nella quale ſi riferiſce la ſtoria della maggior parte de foſſili, che nel territorio di quella citta ſi ritrovano. Peſaro, 12.

CAROL. EMANVEL SCHELENBERGER, Diſſ. de muſculorum actione. Reſp. *Ioſeph Wencesl. Czikanek.* Viennae Auſtriae, 4.

IO. MELCHIOR STOERCK, Diſſ. de reſpirationis actione. Reſp. *Theodor Offermanns.* Viennae Auſtriae. 4.

Eiusd. Diſſ. de viſus organo. Reſp. *Carol. Krapff.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de ſecretione in genere. Reſp. *Io. Georg. Haſenoehrl.* ib. 4.

THOMAS SHORT, on the cauſes and effects, prevention and cure of corpulency. London, 8.

LVDOLPH. STENHVYS, Diſſ. inaug. de haemorrhagiis in genere. Groningae, 4. mai.

IOS. FRANC. TESTA, Sopra la diſſ. della veneſica indole del rame riſleſſioni dirette al S. P. P. MOLINELLI, Ferrara, 8. mai.

Relazioni d'alcuni viaggi fatti in diverſe parti della Toſcana per obſervare le produzioni naturali egli antichi monumenti di eſſa del GIOVANNI TARGIONI TOZZETTI. Fiorenza, Tom. VI. 8. (*Volumen ultimum*).

Inſtitutiones phyſicae Auctore P. D. IOANNE MARIA DE TVRRE. 2 Voll. Neapoli, 8.

Della veneſica indole del Rame, Diſſertazione di IGNAZIO VARI, in occaſione della violenta morte cagionata da cibo in rame condito. Ferrara, 8.

An

An abſtract of the anatomy of the human body, containing a ſhort, but exact and ſatisfactory deſcription of all the parts which compoſe it together with a plain account of their ſeveral uſes. By VERDIER. Translated from the original French by DALE INGRAM. London, 8.

IO. GOTTSCHALK WALLERII Diſſ. de origine Salium alcalinorum. Reſp. *Io. Sternberg*. Vpſal. 4.

GEORG. WIDMER, Theoria chimificationis, chylificationis et lactificationis, methodo ſcientifica pertractata. Argentorati, 4.

XXII.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754 prodierunt.

Philoſophical Transactions giving ſome account of the preſent undertakings, ſtudies and labours of the ingenious, in many conſiderable parts of the world. Vol. XLVIII. Part. I. For the year 1753. London, 4. c. f.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences, année 1750, avec les Memoires de Mathêmatique et de Phyſique pour la même année, tirés des Regiſtres de cette Académie; à Paris, 4. mai. c. f.

Der Königl. Academie der Wiſſenſchaften in Paris phyſiſche Abhandlungen, 10ter Theil, welcher die Jahre 1733 und 1734. in ſich enthält; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von W. B. A. VON STEINWEHR. *Breslau*, 8. mai.

Ebenderſelben Academie, anatomiſche, chymiſche und botaniſche Abhandlungen, 6ter Theil; aus dem Franzöſiſchen überſetzt von eben demſelben. ib. 8.

Abhandlungen der Königl. Pariſiſchen Academie der Chirurgie. Altenburg, 4. *m. K.*

Kongl.

Kongl. Svenska Vetenskaps Academiens Handlingar för Aor 1754. Vol. XV. Stockholm, 8. mai. c. f.

Der Königl. Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanick auf das Jahr 1749; aus dem Schwediſchen überſetzt von ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *11ter Band. Hamburg*, 8. mai. *m. K.*

Eben derſelben 12ter Band auf das Jahr 1750. ib. *m. K.*

Commentarii Societatis regiae ſcientiarum Gottingenſis. Tomus III. ad annum 1753. Gottingae, 4. c. f.

Acta phyſico medica Academiae Caeſareae Leopoldino-Carolinae Naturae Curioſorum exhibentia Ephemerides ſiue obſeruationes hiſtoricas et experimenta a celeberrimis Germaniae et exterarum regionum viris habita et communicata. Vol. decimum. Accedunt appendix et tabulae aeneae XIII. Norimbergae, 4.

Hiſtoire de l'Academie Royale des Sciences et belles lettres, Année 1752, à Berlin, 4. c. f.

Diſſertation qui a remporté le prix propoſé par l'Academie Roy. des Sciences et belles lettres ſur le principe de l'action des muſcles, avec les pieces qui ont concouru; à Berlin, 4.

Actorum ſocietatis Latinae Ienenſis, editorum ab eius Directore IO. ERNEST. WALCHIO. Voll. III. Ienae, 8. mai. (*Aliqua ad hiſtoriam medicinae pertinentia in illis continentur*).

Eſſays and obſervations phyſical and litterary, read before a ſociety in Edinburgh and publiſhed by them. Vol. I. Edinburgh, 8.

Recueil périodique d'obſervations de médecine, de chirurgie et de pharmacie. Tom. I. à Paris, 8. (*A menſe iulio collectionis huius initium*).

Recueil des Mémoires, ou Collection des Piéces Académi-

démiques, concernant la Médecine, l'Anatomie et la Chirurgie, la Chymie, la Phyſique Expérimentale, la Botanique et l'Hiſtoire Naturelle, tirées des meilleures ſources et mis en ordre par feu M. BERRYAT. 2 Voll. à Dijon, 4.

Curious Remarks and Obſervations, extracted from the hiſtory and memoirs of the royal academie of ſciences at Paris; Vol. II. which concludes the general phyſics; By Dr. PETER TEMPLEMAN. London, 8.

Bibliotheque choiſie de Medecine tirée des Ouvrages periodiques tant françois qu'etrangers; avec pluſieurs autres Piéces rares et des Remarques utiles curieuſes par M. PLANQUE; à Paris, 4.

Neue Anmerkungen über alle Theile der Naturlehre, aus den Engliſchen Transactionen, Actis Eruditorum, *den Gedenckſchriften der Academie der Wiſſenſchaften in Paris und andern mehr geſammlet; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. 2ter Theil. Coppenhagen, 8.*

Allgemeine Hiſtorie der Natur nach allen ihren beſondern Theilen abgehandelt; nebſt einer Beſchreibung der Naturalien Kammer Sr. Majeſtät des Königs von Franckreich; des 2ten Theils 2ter Band. Hamburg und Leipzig. 4. mai. *m. K.*

Sammlung neuer und merkwürdiger Reiſen zu Waſſer und zu Lande; 8ter Theil, worinnen der Herren ARMSTRONG *und* CLEGHORN *Beſchreibung der Inſel Minorca enthalten iſt, und von ihrem gegenwärtigen natürlichen und politiſchen Zuſtande, Alterthümern, Sitten und Gewohnheiten gehandelt wird; aus dem Engliſchen überſetzt. Göttingen, 8.* mai. *m. K.*

Ebenderſelben 9ter Theil; worinnen des Herrn Prof. KALMS *Beſchreibung ſeiner Reiſe nach dem nördlichen America, die er auf Befehl der Königlich Schwediſchen Academie der Wiſſenſchaften unter-*

nommen

nommen hat; aus dem Schwediſchen überſetzt. Erſter Theil. Gœttingen, 8. mai. *m. K.*

Hiſtoire générale des voyages; avec des cartes géographiques, nouvellement composées ſur les obſervations les plus autentiques; des plans et des perſpectives; des figures d'animaux, des végétaux, habits, antiquités, etc. Tom. XII. à Paris, 4. *c. f.*

Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und zu Lande, oder Sammlung aller Reiſebeſchreibungen. 12ter Band. Leipzig, 4. mai. *m. K.*

Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel. 9. 10. 11tes Stück. Baſel, 8.

Neue Verſuche nützlicher Sammlungen zu der Natur- und Kunſtgeſchichte, ſonderlich von Oberſachſen; geſammlet von einem Liebhaber der Wunder und Werke Gottes; bis 32tes Stück. Schneeberg, 8. (Editor CHRISTIAN GOTTLIEB GRVNDIG).

Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. 2ter Theil. Danzig und Leipzig, 4. *m. K.*

Stockholmiſches Magazin, darinnen kleine Schwediſche Schriften, welche die Geſchichte, Staatsklugheit und Naturforſchung betreffen, nebſt neuen Berichten von den Königl. Schwediſchen Academien der Wiſſenſchaften, Hohen Schulen und andern Gelehrten in Schweden. Stockholm, 8 mai.

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. 12ter und 13ter Band. Hamburg und Leipzig. 8. m. K.

Allgemeines Magazin der Natur, Kunſt uud Wiſſenſchaften; 3ter und 4ter Theil. Leipzig, 8. mai. *m. K.*

Journal oeconomique ou Mémoires, notes et avis ſur les arts, l'agriculture, le commerce et tout ce qui peut y avoir rapport. à Paris, 12.

Eſſays

Eſſays on Commerce, Mines, Agriculture, Fiſheries, etc. as alſo the method of breeding ſilk worms in France, and many other parts of Europe, with ſeveral other uſeful ſubjects; translated from the *Journal Oeconomique*, printed at Paris. London, 8.

Oeconomiſche Nachrichten; bis 80tes Stück. Leipzig, 8.

Oeconomiſch-phyſicaliſche Abhandlungen. 7ter Theil. ibid. 8.

Leipziger Sammlungen von allerhand zum Land- und Stadt- wirthſchaftlichen- Policey- Finanz- und Cammer- Weſen dienlichen Nachrichten; bis 124. Stück. Leipzig, 8.

Selecta phyſico-oeconomica, *oder nützliche Sammlungen von allerhand zur Naturforſchung und Haushaltungskunſt gehörigen Begebenheiten;* etc. *bis 13tes Stück. Stuttgard, 8.*

Die wahren Mittel, Länder und Staaten glücklich zu machen; oder groſses oeconomiſches und phyſicaliſches Lexicon. etc. *vornemlich aus des* P. NOEL CHOMELS Dictionaire oeconomique *genommen und vermehret. 6ter Theil. Leipzig, fol.*

Phyſicaliſche Beluſtigungen; bis 24. Stück Berlin, 8.

Geſellſchaftliche Erzählungen, für die Liebhaber der Naturlehre, der Haushaltungswiſſenſchaft, der Arzneykunſt und der Sitten; 4ter und letzter Theil. Hamburg, 8.

Ephemerides cosmographiques, où le cour vrai du ſoleil et des planétes eſt repreſenté et expliqué en détail dans l'apparence de tous ſes arcs conſécutifs par ſa réalité, d'aprés les tables, les calculs, les équations aſtronomiques pour l'année 1754; avec d'importantes obſervations ſur la cosmographie, l'aſtronomie, l'hiſtoire naturelle, la métaphyſique, la phyſique ſyſtématique et experimentale, la theorie des cieux et de la terre, qui forment une ſuite

ſuite aux articles des quatre volumes précedens. Vol. in 16. à Paris, c. f.

The principles of natural philoſophy: with ſome Remarks upon the fundamental principles of the Newtonian philoſophy; in an introductory letter to ſir HILDEBRAND IACOB. London, 8.

Songes phyſiques. à Amſterdam, 12.

Penſées ſur l'interpretation de la nature. 12.

De cauſa deſcenſus grauium diſſertatio phyſica in uſum ſtudioſae iuuentutis. Wratislauiae, 8.

Recherches et obſervations ſur la durée de la vie de l'homme. Premiere partie. à Nancy, 8.

Amilec, ou la graine d'hommes qui ſert a peupler les planétes, Par L'A. D. P. Troiſième edition, augmentée très - conſiderablement; à Luneville, 12. Deux parties.

Amilec, ou la graine d'hommes. Nouvelle édition, avec des remarques amuſantes; à Somniopolis, chez Morphée. 12.

Idem liber. 3 part. à Francfort. 12.

Syſtême Naturel du Régne Animal par claſſes, familles ou ordres, genres et eſpéces avec une notice de tous les animaux; les noms grecs, latins et vulgaires, que les Naturaliſtes leur ont donnés; les citations des Auteurs, qui ent ont écrit; une table pour chaque claſſe, qui déſeigne la famille ou l'ordre, le genre et l'éſpece de chaque animal. Ouvrage enrichi de Figures en taille - douce. Tome I. Contenant les claſſes des Quadrupedes, Oiſeaux, Amphibies; ſuivant la méthode de Mr. KLEIN; avec une notice de celle de Mr. LINNAEVS ſur ces mêmes animaux; et l'ordre des Poiſſons ſuivant la diviſion d' ARTEDI; à Paris 8. mai. c. f. Tom. II. Contenant la claſſe des inſectes et celle des vers; ſuivant la methode de Mr. LINNAEVS; à Paris, 8. mai. c. f.

Gründ-

Gründliche Anweiſung alle Arten Vögel zu fangen, einzuſtellen, abzurichten, zahm zu machen, ihre Eigenſchaften zu erkennen, Baſtarten zu ziehen, ihnen fremden Geſang zu lernen, und ſie zum Aus- und Einfliegen zu gewöhnen, nebſt Anmerkungen über HERVIEVX *von Vögeln, und* IOSEPH MITELLI *Jagdluſt, Nürnberg, 8. m. K.*

A Catalogue of ſeeds and roots, divided under their proper heads; Schewing their different kinds, ſeaſon of ſowing, planting and culture, according to the new ſtile; colours of flowers height and time of flowering; the quantity of graſs ſeeds ſown on an acre of land, and which trees and ſhrubs ſhed their leaves, and which are ever-green. London, 4.

Unterricht von der wilden Baumzucht, welchergeſtalt durch Anlegung nützlicher Pflanzgärten oder wilder Baumſchulen, allerley Holzſorten nachgezogen werden können. Anſpach, 8.

L'art de cultiver les mûriers blancs, d'élever les vers à ſoye et de tirer la ſoye des cocons; à Paris, 8 c. f.

Memoire pour ſervir à la culture des mûriers et à l'éducation des vers à ſoye; à Poitiers, 12.

Deutliche Anweiſung, wie ſich bey Anziehung der weiſſen Maulbeerbäume, ſo wohl bloß durch Saamen, als durch deren Pflanzung und Fortſetzung, allenthalben zu verhalten; ingleichen was bey Zucht und Wartung der Seidenwürmer vornehmlich zu beobachten und wie die Seide zuzubereiten. Zu eines jeden Unterricht öffentlich mitgetheilt. Dreßden, 8.

Traité de la culture des Renoncules, des Oeuillets, des Auricules et des Tulipes; à Paris, 12.

Om medel til Mineralogiens vidare förkofran. Stockholm.

Aquitaniae minerales aquae. Pariſiis, 4. (*Auctor eſt Cl.* DE BORDEV).

Le véritable elixir; des proprietés, qualités et effets du Caffé, avec la maniere d'en uſer tant pour la ſanté que pour certaines maladies; à Bresle, 8.

Eſſai ſur les alimens pour ſervir de Commentaire aux livres diététiques D'HIPPOCRATE; Trois parties; à Paris, 12. (*Cl. Auctor* LORRY).

Von der Schädlichkeit des Kupfergeſchirres in der Haushaltung. Eiſenach, 4.

Dictionnaire anatomique latin-françois, contenant l'explication des termes les plus utiles et les plus connûs avec leurs définitions exactes; à Paris, 12.

Abrégé de l'anatomie du corps humain. Par M.... derniere édition; à Paris, 12. (*Auctor eſt Cl.* VERDIER).

Pharmacopoeia Wurtembergica, in duas partes diuiſa, quarum prior materiam medicam, hiſtorico-phyſico-medice deſcriptam, poſterior compoſita et praeparata, modum praeparandi et encheireſes exhibet. Editio tertia. Stuttgardiae, fol.

Delle ferite della cute del capo, diſſertazione, in cui ſi moſtra l'inſuffiſtenza del di loro preteſo pericolo, ed il metodo di preſto, ſicuramente, e con placidezza curarle. In Venezia, 4. (*Auctor* Cl. PROSPERO MARIOTTI).

Diſſertazione teorico practica dell'utilita del ſalaſſo nel vajuolo. In Verona, 8. (*Auctor* GIOVANNI DALLA BONA).

Penſées d'un Allemand de Noſtalgie addreſſées à un de ſes amis en Suiſſe. à Iene, 4.

The hiſtory of the great plague in London, in the year 1665; containing obſervations and memorials of the moſt remarkable occurrences, both public and private, that happened during that dreadful period. By a citizen that lived the whole time in London. To which is added a journal of the plague at Marſeilles, in the year 1720. London, 8. (*Libri huius iam olim editi, nunc autem*

tem recuſi verus auctor eſſe dicitur ſatis ille clarus DANIEL DE FOE).

Unterricht von der Hornviehſeuche, wie ſolcher vorzubauen, und wie des kranken Viehes zu pflegen. Leipzig, 8.

Sammlung der in Sr. Kœniglichen Preuſſiſchen Majeſtät Landen ergangenen neueſten Verordnungen, Inſtructionen und mediciniſchen Gutachten, die Rindvieh-Seuche betreffend; nebſt einem Vorberichte, worinnen ein zuverläſſiges Mittel wider dieſe Seuche zuerſt bekannt gemacht wird von D. DAN. GOTTFRIED SCHREBERN. *Halle,* 8.

Abhandlung von der Gewalt des Teufels in die Cörper, oder was von Hexen, Zaubereyen, Geſpenſtern und Geiſtern zu halten. zwey Theile. Eiſenach, 4.

Faſciculus diſſertationum ad hiſtoriam medicam, ſpeciatim anatomes, ſpectantium, quem ob raritatem non minus ac utilitatem prodire curauit ERN. GODOFR. KVRELLA. Berolini, 8. (*Auctores earum diſſertationum ſunt:* PHILIPP IACOB. HARTMANN, *Prof. Regiomont. et* IO. HENR. SCHVLZE, *Prof. Halenſis*).

Quaeſtiones medicae Pariſinae. Groningae, 8.

Traductions des Statuts des Docteurs Régens, de la Faculté de Médecine en l'Univerſité de Paris. Par M. MICHEL BERMINGHAM; à Paris, 4.

Die Einrichtung einer Haushaltung, ſowohl in der Stadt, als auf dem Lande. Leipzig, 8.

Kurze, jedoch gründliche Einleitung in die Haushaltungskunſt, worinnen das nützlichſte und nœthigſte derſelben deutlich enthalten iſt. Nürnberg, 8.

Verbeſſerung aller Stubenoefen, wodurch dem vielen Einheizen, wie auch Holznachlegen, abgeholfen, und dennoch die Stube warm gehalten wird. Eiſenach, 8. *m. K.*

GEORGE ANDR. AGRICOLA, *Neu und nie erhörter, doch in der Natur und Vernunft wohlgegrün-*

deter Verſuch der Univerſal-Vermehrung aller Bäume, Stauden-und Blumen-Gewächſe. 2 *Theile. Regenſpurg, fol. m. K.*

MICHAEL ALBERTI, Diſſ. inaug. de athletica fallaci ſanitate. Reſp. *Io. Chriſtian Rohkohl.* Halae Magdeb. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbis incarceratorum. Reſp. *Io. Dan. Hutter.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. de febre intermittente ſenibus lethifera. Reſp. *Nic. Eſmarch.* ib. 4.

B. S. ALBINI Academicarum annotationum liber primus, continens anatomica, phyſiologica, zoographica, phytographica. Leidae, 4. mai. c. f.

PROSPER. ALPINI de praeſagienda vita et morte libri ſeptem; cum praef. HERM. BOERHAAVE. Accurante H. D. GAVBIO. Francofurti, 4.

Breuis relatio de electricitate propria lignorum, auctore P. WENDELINO AMMERSIN. Lucernae, 12.

Des Pater D'ARDENE *Tractat von den Ranunkeln, worinnen nebſt andern phyſiſchen Wahrnehmungen auch zum Feldbau und zur Gärtnerey gehörige nützliche Anmerkungen vorkommen. Aus dem Franzœſiſchen überſetzt von* D. G. E. H. *Nürnberg,* 8. *mit illuminirten Kupfern.*

Plain and familiar inſtructions for perſons afflicted with ruptures, in which are given diſtinct notions of theſe maladies and the moſt proper means of curing them, with rules and directions on the uſe and application of truſſes; to which is added a Diſſertation upon the diſorders of the urethra, by GEORGE ARNAVD. London, 8.

IOH. CHRISTIAN ARNOLD, Diſſert. de calore, motu particularum corporis eoque rotatorio circa axes neutiquam explicando. Reſp. *Laur. Io. Iac. Lange.* Erlangae, 4.

VON ARVIEUX, *hinterlaſſene merkwürdige Nachrichten, worinnen er ſowohl ſeine Reiſe nach Conſtantino-*

ſtantinopel, in Aſien, Syrien, dem gelobten Lande, etc. *beſchreibt; im Franzœſiſchen herausgegeben von* LABAT, *und itzt ins Deutſche überſetzt, dritter und vierter Theil. Coppenhagen, 8.*

IOH. AVNANTS *gründliche Anweiſung zum Seiden-Bau und Maulbeerbaum-Plantagen, wie ſolche in Teutſchland anzulegen; nebſt einem nützlichen Anhange. Zweyte und mit vielen neuen Zuſätzen vermehrte Auflage. Leipzig, 8.*

HEINRICH BAKERS *Beyträge zu nützlichem und vergnügendem Gebrauche und Verbeſſerung des* microſcopii, *mit 17 Kupferblatten; aus dem Engliſchen überſetzt. Augſpurg, 8.*

IO. BAPT. BASSEVILLE, Quaeſt med. Vtrum Aquitaniae minerales aquae morbis chronicis? Reſp. *Theophil. de Bordeu.* Paris, 4. mai.

IO. WILHELM. BAVMER, Diſſ. de animali generatim et ſpeciatim de humana natura. Reſp. *Chriſtoph. Wilh. Emanuel Reichard.* Erford. 4.

Lettre ſur l'electricité par le I. B. BECCARIA, adreſſée à Mr. l'Abbé NOLLET; traduite de l'Italien par M. DE LOR; à Paris, 12.

IOH. IOACHIM BECHERS *kluger Hausvater, verſtändige Hausmutter, vollkommener Landmedicus, auch wohlerfahrner Roſs- und Vieh-Arzt. Leipzig, 12.*

IOAN. V. D. BEKE, Diſſ. de variolis. Traj. ad Rhen. 4.

CAROL. AVG. DE BERGEN, Diſſ. inaug. de nyctalopia, ſeu viſu nocturno Reſp. *Anton. Maximilian. Bach.* Francof. ad Viadr. 4.

Eiusd. Diſſ. de morbis auris externae. Reſp. *Ferdinand. Godofr. Schiebel.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de morbis auris internae. Reſp. *Ignat. Adalbert. Diettrich.* ibid. 4.

Traité d'Oſteologie, par M. BERTIN. 4 Voll. à Paris, 8. c. f.

Eſſai ſur les uſages des montagnes avec une lettre ſur le Nil, par ELIE BERTRAND; à Zuric. 8. mai.

BIDET, *Abhandlung vom Anbau und Verbeſſerung des Weinſtocks, von der Art und Zubereitung des Weins, und was man dabey in Acht zu nehmen habe. Mit Kupfern, vornehmlich zu einer Preſſe von einer ganz neuen Erfindung verſehen. Aus dem Franzœſiſchen überſetzt. Leipzig, 8. m. K.*

ELISABETHAE BLACKWELL, collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum uſum aſſeruantur etc. ELISABETH BLACKWELL *vermehrtes und verbeſſertes Kräuterbuch; bis 306. Blat; illuminirt. Nürnberg, fol.* mai.

GEORG. RVDOLPH. BOEHMER, Diſſ. inaug. de febri, remedio. Reſp. *Io. Traugott Boehme.* Wittenbergae, 4.

Eiusd. Progr. de virtute febris in ſanandis ſpaſmis. ibid. 4.

HERRMANN BOERHAAV, *Phyſiologie überſetzt und mit Anmerkungen vermehrt von* IOH. PETER EBERHARD. *Halle, 8.*

ABRAH. KAVW BOERHAAV, Hiſtoria anatomica infantis, cuius pars inferior monſtroſa. Petropoli, 4. c. f.

FRIDER. BOERNER, de Aemilio Macro eiusque rariore hodie opuſculo de virtutibus plantarum diatribe. Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. de vera medicinae origine potioribusque eius ad HIPPOCRATIS uſque tempora incrementis. Vitembergae, 4.

GE. DAN. BÖSSEL, *Grundlegung zur Hebammenkunſt für die Wehmütter. Flensburg,* 8.

IO. BAPTISTA DE BONIS, Hydropoſia ſeu de potu aquae in morbis libri quatuor. Neapoli, 4. (*Tractatio poëtica*).

Recherches ſur l'uſage des feuilles dans les plantes, et ſur quelques autres ſujets relatifs à l'hiſtoire de

la

la vegetation par CHARLES BONNET; à Gottingue et Leide, 4. c. f.

ERNEST. GOTTLOB. BOSE, Diſſ. de radicum in plantis ortu et directione. Reſp. *Chriſtoph. Gottlieb Trautmann.* Lipſiae, 4.

L'Electricité, ſon origine et ſes progrés. Poëme en deux livres par Mr. GEORGE MATTHIAS BOSE, traduit de l'Allemand par Mr. l'Abbé IOSEPH ANTOINE DE C**; à Leipzig, 12. mai.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens prima corporis phyſici principia. Reſp. *Ioſeph. Mart. Mürling.* Wittebergae, 4.

HENRIC. OTTO BOSSECK, Diſſ. inaug. de malo oſſium ſchemate. Lipſiae, 4.

IOH. MICHAEL BOVRGARD, Diſſ. inaug. de pleuripneumonitide. Argentorati, 4.

IAC. IOH. BRÜHIER, *Abhandlung von der Ungewiſsheit der Kennzeichen des Todes, und dem Misbrauche, der mit übereilten Beerdigungen und Einbalſamirungen vorgeht; aus dem Franzöſiſchen überſetzt, und mit Anmerkungen und Zuſätzen vermehrt; herausgegeben von* D. IOH. GOTTFR. IANCKE. *Leipzig*, 8.

I. H. BRAND, *Sorgfältiger Land- und Bauren-Doctor; vermehrte Auflage. Erſter Theil. Heilbron*, 8.

IOH. GOTHOFR. BRENDEL, Diſſ. inaug. ſiſtens experimenta circa ſubmerſos in animalibus inſtituta. Reſp. *Eman. Ioh. Alb. Evers.* Editio ſecunda. Gottingae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ſeriori uſu euacuantium in quibusdam morbis acutis. Reſp. *Frid. Aug. Schulze.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de phthiſeos hecticaeque diſcrimine et ſetaceorum utrobique uſu. Reſp. *Io. Henr. Riepenhauſen.* ibid. 4.

SIMON. ANTON. BRINGAVD, Quaeſt. med. An, ut ſuppurato reni, ſic calculoſo, ferrum? Reſp. *Theophil. de Bordeu.* Paris, 4. mai.

IOH. FRIDER. DE BROKE, Diſſ. inaug. de veſicae urinariae appendicibus. Argentor, 4. c. f.

An introduction to phyſic and ſurgery. Containing 1) Medicinal inſtitutions, or phyſiology, hygieine, pathology, ſemiotice and therapeutice. 2) A compendious ſyſtem of anatomy. 3) A general account of wounds, ulcers, tumours, operations and dreſſings; as alſo the medicines uſed in ſurgery. 4) Botany and the *Materia Medica.* 5) Pharmacy as well chemical as galenical. 6) A diſpenſatory containing a great variety of the moſt efficacious officinal compoſitions and extemporaneous preſcriptions. 7) A ſyllabus of the ſymptoms off all the diſeaſes incident to the human body. 8) An index of diſeaſes and their remedies. 9) A poſologic table, containing the doſes of all the ſimples and compounds. 10) An explanation of the terms of art, accented as they are to be pronounced. By R. BROOKES. London, 8.

Eſſai ſur l'éducation medicinale des enfans et ſur leurs maladies. Par M. BROVZET; à Paris, Tom. I. II. 12. mai.

IO. PETR. BVCHNER, Diſſ. inaug. de rachitide perfecta et imperfecta. Argentor, 4. c. f.

IO. BALTHASAR VON BVCHWALD, Diſſ. de rationali aetiologia rheumatiſmi et arthritidis una cum methodica noſologia utriuſque affectus, ad normam Sauuageſianam confecta. Reſp. *Ioh. Carl. Chriſtian Pape.* Hafniae.

Diſcours ſur la nature des animaux per M. DE BVFFON, à Geneve, 12.

Fundamenta Materiae medicae ad ſpecialem praxin in primis accommodatae, edita ab ANDREA ELIA BÜCHNER. Halae Magd. 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. de purpura puerperarum ſymptomatica ex uteri inflammatione. Reſp. *Ernſt. Chriſtian. Hartmann.* ibid. 4.

ANDR.

ANDR. ELIA BÜCHNER, Diſſ. inaug. de remediis mercurialibus ſpinae ventoſae medicandae interdum idoneis. Reſp. *Ioachim. Niemann.* Halae Magd. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vitiis menſtrui fluxus perite emendandis. Reſp. *Georg. Werner. Niedt.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morbo periodico generatim. Reſp. *Io. Samuel Raetzdorff.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de differentia actionis medicamentorum medicae et phyſicae. Reſp, *Henr. de Roy.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de morborum ſignis, quae a naribus deſumuntur. Reſp. *Chriſtian. Gottlieb Roll.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de partibus conſtitutiuis ſalis communis huiusque actione in corpus humanum viuum. Reſp. *Frid. Reinhard. Marquard.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de pinaſtro ſiue pino ſylueſtri. Reſp. *Gottlieb. Engelb. Fuchs.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de medicamentorum mercurialium, cum ſalibus paratorum, efficacitate, per adiunctum ſulphur ad certos quosdam morbos magis accommodanda. Reſp. *Io. Erhard. Richter.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de iudiciis aurium in morbis. Reſp. *Io. Gottlieb Dennewitz.* ib. 4.

An account of the preparation and management neceſſary to inoculation; by IAMES BURGES. London, 8.

GOTTFRIED HEINRICH BURGHART, *wohl eingerichtete Deſtillir-Kunſt; neue revidirte Auflage. Breslau,* 8.

A method of cure for the Stone chiefly by injections; with deſcriptions and delineations of the inſtrumens contrived for thoſe purpoſes; by WILLIAM BUTTER. Edinburgh, 12. mai.

PETR. CAMPER, Diſſ. de fractura patellae. Reſp. *Iac. Koole.* Franequerae, 4. mai.

IOH. SALOMON LA CARRIERE, Diſſ. inaug. de qualitate et quantitate alimentorum infantibus a prima natiuitate uſque ad ſeptimum aetatis annum conuenientibus. Ienae, 4.

IO. FRID. CARTHEVSER, Diſſ. inaug. de oleo Kajuput. Reſp. *Carol. Wilhelm. Cartheuſer.* Francof. ad Viadr. 4. mai.

Eiusd. Diſſ. de ſingultu. Reſp. *Carol. Maurit. Küſter.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. chymico-phyſica, de genericis quibusdam plantarum principiis hactenus plerumque neglectis. Reſp. *Io. Laurent. Baudis.* ib. 4.

Piſcium, ſerpentum, inſectorum, aliorumque nonnullorum animalium, nec non plantarum quarundam imagines, quas MARCVS CATESBY in poſteriore parte operis, quo Carolinae, Floridae et Bahamenſium inſularum tradidit hiſtoriam naturalem eiusque appendice, deſcripſit. -- MARCVS CATESBY *Abbildung verſchiedener Fiſche, Schlangen, Inſecten,* etc. *bis 38ſtes Blat; illuminirt. Nürnb. fol. reg.*

A treatiſe on the Bath-Waters: wherein are diſcovered the ſeveral principles of which they are compoſed, the cauſe of their heat, and the manner of their production; by RICE CHARLETON. Bath, 8. c. f.

Graecorum chirurgici libri; SORANI unus de fracturarum ſignis, ORIBASII duo de fractis et de luxatis, e collectione NICETAE ab antiquiſſimo et optimo codice Florentino deſcripti, conuerſi atque editi ab ANTONIO COCCHIO. Florentiae. fol.

IO. HENR. COHAVSENII Commercii litterarii curioſi diſſertat. epiſtolic. Tom. III. Francof. 8. c. f.

Pneumato-Pathologie ou Traité des maladies venteuſes,

teuſes, traduit du Latin de M. COMBALVSIER, par M. I. (IAVLT.) 2 Voll. à Paris, 12.

Memoire ſur l'inoculation de la petite verole par M. DE LA CONDAMINE; à Paris, 12. *Idem liber prodiit ſuecice Stockholmiae.*

Traité des ſenſations, à Madame la Comteſſe DE VASSE par M. l'Abbé DE CONDILLAC; 2 Voll. à Londres, 12.

Der neue Arzt, eine Anweiſung, wie er ſeyn ſoll; entworfen von C. L. N. D. *Leipzig*, 8.

IO. HARTMANN DEGNER, Hiſtoria medica de dyſenteria bilioſa contagioſa, quae anno MDCCXXXVI. Neomagi et in vicinis ei pagis epidemice graſſata fuit. Editio nouiſſima, ab Auctore ipſo reuiſa et aucta. Trajecti ad Rhenum, 8. mai.

Conſultations et Obſervations Medicinales par Mr. ANTOINE DEIDIER; 3 Voll. à Paris, 12.

DEIEAN *gründliche Abhandlung vom Deſtilliren; aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Altenburg*, 8.

IOHANN ANDR. DEISCHENS *Abhandlung, daß weder die Wendung noch Engliſche Zange in allen Geburtsfällen ſicher gebraucht, noch dadurch die ſcharffen Inſtrumente gänzlich können vermieden werden; nebſt einem Anhange von eingeſperrten Brüchen. Augſpurg*, 8.

HENR. FRIED. DELII Diſſ. inaug. de taraxaco, praeſertim aquae eiusdem per fermentationem paratae eximio uſu. Reſp. *Frid. Ioſeph. Wilhelm Schröder.* Erlangae, 4.

Eiusd. Diatribe medica de catalepſi. Editio altera. ibid. 4.

IOH. DAN. DENSO, *phyſikaliſche Bibliotheck. 1tes und 2tes Stück. Roſtock*, 8.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Diſſ. de ſcorbuto Megapolenſium. Reſp. *Georg. Frid. Ziegenhagen.* Roſtoch. 4.

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Diſſ. de haemorrhoidibus veſicae mucoſis. Reſp. *Franc. Phil. Knaudt.* Roſtoch. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de febribus vulnerariis. Reſp. *Conr. Ern. Endter.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de cautione medici circa caſus infanticidiorum. Reſp. *Chriſt. Ioach. Wolff.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de facie a variolarum inſultibus praeſeruanda. Reſp. *Tob. Phil. Hilcken.* ib. 4.

Eiusd. Progr. de haemorrhoidibus hodie quam olim frequentioribus. ib. 4.

LVDWIG MICHAEL DIETERICH *hiſtoriſch-phyſicaliſche Abhandlung von dem berühmten Wildbade zu Abach in Niederbayern. Regenſpurg,* 8. *m. K.*

Publick Virtu, a poem in three books; 1) Agriculture; 2) Commerce; 3) Arts; by R. DODSLEY. London, 4.

GVALTHERI VAN DOEVEREN, Sermo academicus de imprudenti ratiocinio ex obſeruationibus et experimentis medicis. Groningae, 4. mai.

ARNOLD DVNTZE, Diſſ. inaug. complectens experimenta varia, calorem animalem ſpectantia. Lugd. Bat. 4. mai.

FRANC. IOSEPH DVTOY, Diſſ. inaug. de tunica pituitaria, exponens eius anatomiam, phyſiologiam et pathologiam. Reſp. *Bened. Ruppert.* Vetero Pragae. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de ventriculo, exponens eius anatomiam, phyſiologiam et aetiologiam pathologicam. Reſp. *Io. Nepomuc. Schlemmer.* ib. 4.

IO. PETR. EBERHARD, Diſſ. ſiſtens Theſes de viſu. Reſp. *Carol. Guil. Schulz.* Halae Magd. 4.

Eiusd. Diſſ. ſiſtens Theſes de ſenſatione ut natura. Reſp. *I. C. S. Brückner.* ibid. 4.

Eiusd. methodus conſcribendi formulas medicas tabulis expreſſa. ib. 8.

IOHANN

IOHANN GOTTLIEB VON ECKHART, *vollſtändige Experimental-Oeconomie über das vegetabiliſche, animaliſche und mineraliſche Reich. Jena.* 4.

Eſſais de Medecine ſur le flux menſtruel et la curation des maladies de la tête; où par rapport à la premiére partie, on donne une théorie nouvelle ſur le flux periodique des femmes; et par rapport à la ſeconde, on propoſe un reméde nouveau contre les maladies céphaliques; traduits du latin de Mr. ROBERT EMETT; par M. HVRTAVT; à Paris, 12.

IO. MICHAEL ENGELMANN, Diſſ. inaug. de melancholia. Argentorati, 4.

BALTH. ERHARD, *Oeconomiſche Pflanzen-Hiſtorie, nebſt dem Kerne der Landwirthſchaft, Garten-und Arzeneykunſt. Dritter Band. Ulm,* 8.

DOROTHEA CHRISTIANA ERXLEBIA, Diſſ. inaug. exponens quod nimis cito ac iucunde curare ſaepius fiat cauſa minus tutae curationis. Halae Magdeburg. 4.

C. FR. ESCHENBACHS *Chirurgie. Roſtock und Leipzig.* 8. *m. K.*

PHILIPP. CONRAD. FABRICII Progr. quo obſeruationes nonnullas anatomicas nuperis ſectionibus collectas recenſere pergit. Helmſtadii, 4.

Eiusd. *Sammlung einiger mediciniſcher Reſponſorum und Sectionsberichte. Helmſtädt,* 8.

IO. GOTTFR. FALCK, Diſſ. inaug. de epilepſia ſeu conuulſiuis motibus virginum. Gottingae, 4.

A vindication of a Sermon entitled: *Inoculation an indefenſible practice;* in which Dr. KIRKPATRICK'S arguments in favour of the operation, together with his and a certain letter-writer's objections are diſtinctly conſidered and reply'd to, and the practice demonſtrated in the ampleſt manner, highly culpable in a moral, extremely ab-

ſurd

ſurd in a phyſical view by THEODORE DE LA FAYE. London, 8.

GEORG. GVIL. FEVERLEIN, Diſſ. inaug. de ulcerum artificialium in criſibus febrium acutarum imperfectis praeclaro uſu. Gœtting. 4.

Oſſervazioni apologetiche critiche ſopra la relazione d'un malatto della Rocca di S. Caſſiano del CARLENIO FIDANI. Bologneſe, 4.

De ſenio, eiusque gradibus et morbis, nec non de eiusdem acquiſitione tractatus. Auctore IOAN. BERNHARDO DE FISCHER. Praemiſſa praefatione ANDREAE ELIAE BÜCHNERI. Erfordiae, 8.

Oeconomiſche Vorſchläge die Lüneburger Heyde arthaft zu machen, von IOH. IACOB FLEISCHHAVER. *Göttingen.*

Der vernünftige Medicus in der Phyſiologie, Pathologie und Praxi, darinnen gezeigt wird, was ein Medicus nicht allein in der Phyſiologie und Pathologie zu beobachten hat; ſondern auch, wie ſowohl ein Medicus, als Chirurgus, in den Zufällen und Krankheiten des Leibes auf die Bewegungen der Natur, Temperamente, Gewohnheiten der Natur und andere Umſtände ſehen, und ſeine Cur vernünftig darnach anſtellen ſoll; mit Beyfügung bey jedem Zufalle der ſicherſten und bewärtheſten, nach des berühmten Herrn D. STAHLS *Methode eingerichteten Medicamenten verfaſſet und herausgegeben von D.* SAMVEL FORBIGERN. *Vierte Auflage. Leipzig,* 8.

LA FOSSE, *Abhandlung von dem wahren Sitze des Rotzes bey denen Pferdten und denen Mitteln, dieſe Krankheit zu heilen. Frankfurth,* 8.

Obſervations et decouvertes faites ſur des chevaux, avec une nouvelle pratique ſur la ferrure. Par le Sieur LA FOSSE; à Paris, 8. c. f.

FRACASTORII Syphilis ſeu Morbus Gallicus, traduit

duit en Proſe françoiſe par M. M. MAQVER et LACOMBE; à Paris.

IOACH. FRANKENS *Philoſophiſche Abbildung der Arzney-Erkenntniſʒ und des Arzneyverſtändigen. Altona*, 8. mai.

New Experiments and obſervations on Electricity, made at Philadelphia in America; By BENIAMIN FRANCKLIN; Communicated to P. COLLINSON; and read at the Royal Society June 27. and July 4. 1754. To which are added: A Paper on the ſame ſubject by I. CANTON and read at the Royal Society Dec. 6. 1753; and another in defence of Mr. FRANCKLIN againſt the Abbe NOLLET, by Mr. D. COLDEN, of New-York. Part. III. London, 4.

IO. HERMANN FVRSTENAV, Diſſ. inaug. de brachio ſphacelato, ſpontanea naturae vi ab integro reliquo corpore ſeparato. Reſp. *Chriſtian. Rudolph. Bödeker*. Rintelii, 4.

Mit nützlichen Anmerkungen erläuterte Beſchreibung ſeiner im Jahr 1751. *in das Kayſer-Carls-Bad gethanen Reiſe, nebſt geographiſcher Kupferplatte; wie auch einer Nachricht aller von dem Carlsbade bekannten Bücher und Schriften; in einigen Briefen ausgefertigt von* M. C. G. G. *Schneeberg*, 8.

Obſervations on veneral complaints, and on the methods recommended for their cure. By THOMAS GATAKER. London, 8.

C. DE GEER, Tal om inſectes nas alſtring. Stockholm.

CLAVD. IOSEPH. GENDIL, Quaeſt. med. An calvae vehementius contuſae terebra? Reſp. *Io. Nicol. Millin de la Courveault*. Paris, 4. mai.

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac Parte.

1. Commentarii ſocietatis regiae ſcientiarum Göttingenſis. Tom. III. p. 193.
2. DE HALLER Iconum anatomicarum Faſciculus VII. p. 205.
3. ROESELS *Inſecten - Beluſtigungen* p. 215.
4. HERBERT Diſſ. de Caſſauae amarae Surinamenſis radice p. 228.
5. GRAINGER Hiſtoria febris anomalae Batauae annorum 1746 etc. p. 234.
6. LIND a Treatiſe of the Scurvy p. 238.
7. LE ROY an a diuerſa virus ſcorbutici indole et ſede morbi diuerſi? p. 259.
8. LAMBERGEN Ephemeris perſanati carcinomatis p. 261.
9. DEGNER de dyſenteria bilioſo-contagioſa. Edit. Nov. p. 267.
10. BVTTER a Method of cure for the ſtone chiefly by injections p. 273.
11. WATTS a Diſſertation on the ancient and noted doctrine of revulſion and derivation p. 277.
12. BASSEVILLE utrum Aquitaniae minerales aquae morbis chronicis p. 289.
13. *Phyſicaliſche Beluſtigungen*, Pars I. - XXIV. p. 295.
14. *Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. II. Theil.* p. 305.
15. GERDIL Diſſ. ſur l'incompatibilité de l'Attraction etc. p. 320.
16. FRANCKLIN new Experiments and obſervations on electricity. Pars III. p. 326.
17. Quaeſtiones medicae Pariſinae p. 329.
18. NAVIER Diſſ. Sur pluſieurs maladies populaires etc. p. 333.
19. ESCHENBACHS Chirurgie p. 341.
20. Noua phyſico - medica p. 353.
21. Continuatio ſupplementi indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1753. prodierunt p. 359.
22. Index ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1754 prodierunt p. 361.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS IV. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Pariſiis apud
Briaſſon, Patavii apud I. Manfrè, Venetiis in B. Albrizzi et S.
Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome account of the preſent Vndertakings, Studies and Labours of the ingenious, in many conſiderable Parts of the World. Vol. XLVIII. Part. I. For the Year 1753. London. Printed for C. Davis. 1754. 4. 2 alph. 3 pl. tab. aen. XII.

i. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam.

Nouum, quod indicamus, harum tranſactionum volumen, variis ſingularibus obſeruationibus locupletatum, eodem, ac praecedens, modo compoſitum, ut plura de eo praefari non debeamus, nos monet. Hinc ad expoſitas in eo obſeruationes mox accedimus. Occurrit itaque:

1) *Relatio de vortice extraordinario, qui in comitatu Tyronenſi, Hiberniae, per Termonomungan et Vrney a. d. 11. Octobris, 1752 ſaeuiit, data* per GVIL. HENRY, *communicata per Ill.* CADOGAN, Reg. Soc. p. 1.

Membr. *. Quinque minuta prima durans, imbre vehementiore ſubſequuto, ex plaga orienti et meridiei media, ad plagam occidenti et ſeptentrioni intermediam directus vortex aedificia, arbores hortosque deſtruxit immaniter, id, quod exemplis enarratis comprobatur.

p. 5. 2) *Recenſio libri:* P. D. PAVLI FRISII Mediolanenſis, &c. diſquiſitio mathematica in cauſam phyſicam figurae et magnitudinis Telluris noſtrae, qui prodiit Mediolani 1752. Auctore I. SHORT, Soc. Reg. Membr.

p. 17. 3) *Epiſtola Cl.* GEORG. COSTARD, *Membr. Colleg. Wadhamenſis, data Oxonii ad Cl.* BEVIS, *concernens annum eclipſeos, quae a* THALETE *fuerat praedicta.*

p. 26. 4) *Caſum* ANNAE ELISABETH QVERIOT, *Pariſienſis, cuius oſſa diſtorta atque emollita fuerunt, deſcribit* AMBROSIVS HOSTY, *Med. D. Fac. Pariſ. Adſeſſ.* **. Haec femina, cuius etiam iconem, morboſam dislocationem oſſium oſtendentem, addidit Cl. Auctor, triginta duos annos nata, ſana et integra, poſtquam aliquos enixa fuerat infantes, de dolore artuum conqueritur, ineptitudinem incedendi qui producebat, infelici etiam caſu in ſiniſtrum latus, tumorem inferioris extremitatis illius lateris, ſed ſine fractura vel luxatione perſentiſcebat. Noua poſt impraegnatione, nouoque caſu omnia haec mala exacerbabantur, nec non incongruis adhibitis medicationibus ingraueſcebant Nihilo tamen ſecius, partu feliciter abſoluto, ſex menſibus elapſis, adhuc vehementioribus excruciata doloribus, urinam, calcareo ſedimento ſaturatam, emiſit, a quo etiam tempore pollex

* Lecta a. d. 11. ian. 1753.
** Lecta d. 25. ian. 1753.

pollex dextrae manus ad minimum digitum diſtortus videbatur. Sequebantur mox alia diſtorſionis momenta in omnibus fere oſſibus, inferiores praecipue extremitates ita diſtorquebantur, parallela corpori, ut recta extrorſum verterentur, pectus autem vehementer coarctaretur. Cretacea urinae materies cum acidis efferueſcebat. Praeterimus reliqua vitae moleſtiſſimae ſymptomata, obſeruauit autem Cl Auctor, ſputa et exſudantes ex corpore humores in linteis maculas reliquiſſe nigras, quales ab unguento vel datis mercurialibus remediis ſolent ſupereſſe, quibus apparentibus ſedimentum in urina defuit. Credit ita- p. 30.
que Noſter humores qualitatem contraxiſſe mercurialem, ſedimentum urinae vero terream, quae ſolidum oſſibus praebet fundamentum, fuiſſe materiam, per vitiatam fluidorum qualitatem exſolutam atque ex corpore per varia loca eliminatam. Poſt mortem conceſſa cadaueris ſectione, oſſium, flexilium redditorum et diſtortorum perueſtigatio miranda adhuc demonſtrauit phaenomena. Scalpello oſſa facile, etiam duriora, ut apophyſis oſſis temporum petroſa, poterant pertundi, cellularis vel cauernoſa eorum interna tela maximam partem deſtructa, et loco medullae rubra denſaque materia, ſanguinis coagulati inſtar, unguinoſa ſubſtantia mixta, detegebatur. Oſſium latorum ſuperficies ſine diploe ſibi incumbebant, ſuturae cranii abolitae erant, dentes autem duritie ſua naturali adhuc perſiſtebant. In cerebro nulla mutatio, niſi, quod dextrum eſſet ſiniſtro largius haemiſphaerium. Speciales etiam cuiuscunque oſſis conditiones obſeruatae, caſus adeo peculiaris recenſentur.

5) *Deſcriptio arae romanae, cui inſcriptio inſculpta erat, menſe aprili, Eboraci detectae, et ſocietati antiquitatum traditae a Cl.* FRANCISCO DRAKE, *accedit breuis explicatio inſcriptionis per Cl.* IO. WARD. p. 33.

6) *Hiſto-*

p. 42. 6) *Hiſtoriam quorundam hominum, febre carcerum affectorum, in Newgate exorta, modumque, quo infectio uniuerſae familiae communicata fuit*, refert Cl. IO. PRINGLE *. Qui iam ſaepe huius morbi ſollicitam inſtituit perueſtigationem, ut alibi notauimus, Cl. Auctor**, nunc in eo eſt, ut, quid ventilatoris Haleſiani applicatione boni fuerit praeſtitum, per experimenta doceat. Machina quadam, molae, quae vento agitatur, ſimili, illi tribuitur motus, tubique, in conclauia carcerum directi, huius ope putridum aerem hauriunt, nouoque puro ingreſſum concedunt. Hinc euenit, ut breui intercedente tempore notabilis admodum mutatio fuerit percepta, putridi, carceres occupantes, halitus diſſipati, ſanitasque captiuorum confirmata. Immo ex ipſo ventilatore aer, putrido et laedente admodum odore refertus exiiſſe obſeruatus eſt.
p. 45. Exemplum enim adducit Cl Auctor hominis cuiusdam, qui in hoc opere laborauerat, et tubum ventilatoris, per aliquot temporis ſpatium clauſum, iterum aperuerat, ex quo putridus exeuns aer mox eum ita inuaſit, ut nauſea, cardialgia atque mox ſubſequente febre fuerit afflictus. Idem euenit aliis, eodem officio defunctis, in primis iuniori quindecim annorum homini, qui inter ventilatoris truncum, in motu non verſantis, aliquoties conſtitutus, nullam noxam perceperat, eo vero, in motum deducto mox ſuffocationis periculum incurrit, et maligna febre conflictatus eſt. Septem autem enumerantur exempla hominum, per corruptum aerem, extractum mediante ventilatore, affectorum morbo hocce periculoſo, qui ſimul unius ex his uniuerſae familiae contagioſus extitit, ex quo concludit Cl. Auctor, quanta ſit neceſſitas praecauendi, ne putris in carceribus coaceruetur aer, vel in eius modi certe locis, in quibus multitudo hominum ſimul

* Lecta a. d. 1. febr. 1753.
** Conf. Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 396 ſeq.

ſimul anguſtis in locis ſordide viuere cogitur, optimum autem in mutatione depurationeque atmoſphaerae auxilium eſſe repoſitum.

7) *Recenſio ingentis mutationis, quam perpeſſae ſunt* p. 55.
inſulae Silurum (Silley) *ex peruetuſtis temporibus, ratione ſcilicet numeri, magnitudinis ſitusque, contenta in epiſtola data* ad Cl. TH. BIRCH, per Reu. WM. BORLASE. Mutationes autem inundationibus factas fuiſſe ſuſpicatur.

8) *Methodum, aquam marinam dulcem reddendi,* p. 69.
a Cl. APPLEBY *inuentam, additis quibusdam experimentis, cum illa inſtitutis,* ſiſtit GVIL. WATSON*. Huius ſuſcepti tentaminis mentionem alibi iam fecimus**, quod denuo refert Cl. WATSON, et experimenta Cl. CLARK, pharmacopoei, ſubiungit. Proportionem autem ſequentem adducit. Ad viginti menſuras aquae marinae ſumuntur ſex unciae alcali fixi, ex calce viua parati, totidem lapidis infernalis, et oſſium, ad albedinem calcinatorum, in ſubtilem puluerem conuerſorum, lenique igne quindecim menſurae deſtillantur. Cl. CLARK ita fecit tentamina: cochleari aquae deſtillatae, viginti guttas ſoluti in aqua forti argenti inſtillauit, itemque cum aqua communi repetiit, nulla tamen deprehenſa in utraque mutatione, quod abſentiam ſalis marini arguit. Volatilem vero urinoſum ſpiritum adhuc ſupereſſe, manifeſtum euaſit ex inſtillatis decem guttis ſoluti ſacchari ſaturni, quae eam turbidam effecerunt. Simile namque euenit, dum aquae communis cochleari uni duae ſpiritus ſalis ammoniaci guttae adderentur, quae admixtis decem guttis ſacchari ſaturni ſoluti pariter mixturam turbidam reddiderunt. Si porro dictae quantitati aquae communis deſtillatae additur

 unica

* Lecta a. d. 8. febr. 1753.

** Conf. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 556.

unica olei tartari per deliquium guttula, poſt vero decem guttae ſaturatae ſolutionis ſublimati corroſiui, mox euadit mixtura turbida, atque ſolutione argenti praecipitatur et lacteſcit: ut ea propter volatile in illa alcali contineri cenſendum ſit. Solutio enim argenti fixum tantum alcali manifeſtat, prout ſolutio ſacchari ſaturni exiguam ſalis marini quantitatem non detegit, ſolutio e contrario ſublimati utriuſque generis alcali ſigna exhibet.

p. 71. 9) *Epitome literarum* Cl. CAMILLO PADERNI *ad D.* MEAD *ſcriptarum de antiquitatibus, in Herculaneo reperiundis, datarum Neapoli d. 18. novembris 1752.* Breuiſſimis recenſet theſauros quosdam detectos.

p. 73. 10) *Traductio et explanatio quorundam capitum ex libro, qui inſcribitur* Theorie de la figure de la Terre *Auctore* Cl. CLAIRAVT.

p. 86. 11) *Relatio de tempeſtate, tonitru et fulguribus mixto, prope Ludgvan in Cornubia, contenta in litteris* Cl. WM. BORLASE, ad Reu. LYTTELTON. Mirandos motus et effectus recenſitos legimus huius tempeſtatis, in diuerſis locis productos.

p. 94. 12) *Altera epiſtola* Cl. IO. HENRY *ad Cl.* CADOGAN *de fonte cupreo in regione Wicklow, Hiberniae*.* Noua inſtituta obſeruatione confirmatur, aquas huius fontis vere in cuprum conuertere ferrum, hoc, dum corroditur, limi inſtar apparere, illum, ne ab aquarum motu abripiatur, in profundius exſculpto catino coaceruari, claram, ſuper inhaerentem aquam vero poſt conſpici.

13) *De*

* Prima in tranſact. philoſ. Vol. XLVII. p. 500. extat. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 54. Lecta eſt a. d. 15. febr. 1753.

13) *De conſtructione linearum logarithmicarum ad ſcalam* GVNTERI differit Cl. IO. ROBERTSON. p. 96.

14) *Epiſtola* Cl. IO. DOLLANDI *ad Cl.* IAC. SHORT *de emendatione teleſcopiorum refringentium.* p. 103.

15) *Epitome obſeruationum thermometricarum,* a Cl. DEMIDOFF *in Sibiria inſtitutarum, tradita per Ill. Com. de* MACCLESFIELD. p. 107.

16) *Comparatio diuerſarum obſeruationum thermometricarum, in Sibiria factarum,* auctore Cl. GVIL. WATSON. p. 108.

17) *Catalogus quinquaginta plantarum horti Chelſeyani, ſocietati regiae exhibitus, a ſocietate pharmacopoeorum,* per IO. WILMER, *horti Chelſeyani praefectum et praelectorem botanices.* p. 110.

18) *Obſeruationes de Corallina, notatu dignae, per litteras Cl.* IO. ELLIS *communicatae* Reu. THO. BIRCH *. p. 115. Deſcribit nimirum Cl. Auctor corallinam, a Cl. COLLINSON ſibi traditam, quam, quod a copioſius circa Angliae littora deprehendendis corallinis differt, americanam forte eſſe credit. Oritur ex tubis angulatis, quibus adhaeſiſſe videtur aliis corporibus: hi in cauliculum uniuntur, intus cellulas efformant, et in dichotomos ramos abeunt. Vnusquisque eorum ex duplici ſerie cellularum, inter ſe iunctarum, componitur, quae iuxta ſe eo modo poſitae ſunt, ut unaquaeque duas alias a latere comprehendat, et prioris fundus cum alterius apice cohaereat. Ex una parte aperiuntur, et oualis ſunt figurae, latiores ſunt ſuperius et angulis ſeu duabus ſpinis armantur. Quum occaſio ſuppeteret Cl. Auctori, varia huius corallinae ſpecimina diſquirendi, inuenit: tubulos

* Lecta a. d. 17. mart. 1753.

bulos ab initio vegetantis plantae luteolo ſucco repletos, in perfectiori et adultiori ſtatu tranſparentes; cellulas cum tubis communicantes, verno tempore maculas nigras oſtendere, futuros embryones putatas, eodemque tempore ſingulae cellulae orificium teneriore membrana contegi; has maculas increſcentes corpora ſphaerica teſtacea euadere, per membranam, iam dictam, erumpere, cellulaeque orificio imponi, ligamento, quod umbilicale nominat, adfigi. Conueniunt figura ſua hae cochleae cum nautilo, ſimilesque ſe in anglica corallina inueniſſe adſerit Cl. Auctor, atque utrumque ſpecimen in additis iconibus delineari curauit, nec non ex tenerioribus corallinis atque coralliis craſſioribus varia huius generis animalcula originem ſuam habere putat.

p. 117. 19) *Relatio de foſſilibus ſingularibus corporibus* Auctore Cl. HENR. BAKER *. Oxonii illa inuenta a Cl. FRANKCOMBE Noſtroque transmiſſa ſunt, ita tamen comparata, ut de eorum origine tantum coniecturae locus ſit. In propoſitis iconibus eorum aliquam dedit declarationem Cl. Auctor. Oſſeae fere duritiei illa ſunt, nigra, fragilia, non tamen corroſa. Inferior quorundam ſuperficies regulari ordine dentium exaſperata obſeruatur, variae indolis, magnitudinisque, latior tuberculorum, quibus inhaerent, baſis ſenſim leuatur et latera ſtriata oſtendit. Poſt expoſitam eorum figuram de ſtratis terrae, quibus haec corpora detinebantur, refert Cl. Auctor, et ob duritiei formaeque analogiam ex capite animalis cuiusdam deſumta fuiſſe coniecit, nec iniuria forte ad piſcium genus pertinere autumat, quippe inter quos aliqui in palato dentes habent, hancque ſuam opinionem argumentis confirmare annititur.

20) *Epitome*

* Lecta a. d. 29. mart. 1753.

20) *Epitome ſermonis, cui titulus:* Hiſtoria impe- p. 124. ratoris Tetrici, explanata et illuſtrata per nummos, *gallice conſcripti per* CLAVD. GROS. DE BOZE, *tranmiſſi ad Cl.* MEAD. Auctore Cl. IO. WARD.

21) *Relatio de tractatu, academiae regiae tradita,* p. 140. *inſcripto nomine:* Florae Sibericae ſiue hiſtoriae plantarum Sibiriae To. II. Cl. GMELIN*, per W. WATSON.

22) *Epiſtola ad Cl.* W. WATSON, *data per* PHIL. p. 153. MILLER *attingens errorem Cl.* GMELINI, *circa* Sphondylium vulgare hirſutum C. BAVHINI**. Sphondylii hirſuti caulibus veſci incolas Siberiae ſcripſerat GMELINVS, qua de re dubitat Cl. Auctor, quippe quod altitudinem, ab eo deſignatam, non indipiſcitur vulgare. Hinc illud potius eſſe Sphondylium putat, quod a BREYNIO*** *Sphondylium maximum Tranſyluanicum Ricini folio* appellatur, ſiquidem hoc, cum vulgari ſimul in Anglia ſatum, ſemper altitudine maius extiterit, foliaque latiora, minus inciſa et glabriora produxerit. Accedit porro, quod ex Auſtria, Hungaria, et Petroburgi ſemina, cum vulgaris nomine miſſa, ſemper hanc ſpeciem exhibuerint, ceu ſigno, hanc in dictis terris plantam communem eſſe.

23) *Epiſtola Reu.* GEORGE COSLARD *ad Cl. D.* p. 155. BEVIS, *de eclipſi, cuius mentionem fecit* XENOPHON.

24) *Deſcriptio nouae methodi aperiendi corneam, ut* p. 161. *extrahatur humor cryſtallinus. Auctore Cl.* SAMVEL SHARP,

* Conf. Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 276. ſeqq.

** Lecta a. d. 3 mai. 1753.

*** In prodr. ſecund. p. 98.

SHARP, *Chirurgo et Reg. Societ. Sod.* *. Emendatiorem tantum ſiſtere anniſus eſt Cl. Auctor eam methodum, quam a Cl. DAVIEL inuentam fuiſſe alibi retulimus**. Inſtrumentis autem utitur paucioribus, ſuaeque methodi ſequentem rationem exhibet: Aegri ſitus ſit ille, qui in cataractae depoſitione ſollennis eſt, aperiendae ſunt palpebrae indice digito et pollice, vel a miniſtro leuanda ſuperior, a chirurgo vero inferior palpebra. Poſt anguſto cultello, cuius figuram addita delineatio ſuppeditat, deorſum verſo acumine, incidenda eſt cornea circa peripheriam ad anteriorem cameram uſque, ſed ea cum directione, ut ad horizontem ducatur, ex oppoſito transuerſae pupillae diametro; quo facto cultellus ad naſum dirigitur per corneam ab interiore parte extrorſum, ſed prope eius ambitum. Poſt alteram hanc inciſionem lamina cultelli ad ſeptimam digiti circiter partem ſub corneam mittenda, et cornea deorſum incidenda eſt. Premitur deinde pollice inferior globi oculi pars, exprimiturque cataracta. Quoniam vero cultelli lamina ſenſim latior eſt, eam inde utilitatem redundare credit Cl. Auctor, quod inciſiones nec hiare, nec humor aqueus effluere, nec corneae conuexitas poſſit imminui, quae tamen incommoda in operatione methodo Cl. DAVIEL ſuſcepta, abeſſe non poſſint.

p. 163. 25) *Experimenta a Cl. D.* FRANC. HVME *facta, conſeruandi piſces et carnes in aqua calcis, cum ſocietate communicata per Cl. D.* IO. CLEPHANE, Soc. Reg. Sod.*** Piſces et carnem bouillam, utroſque ſeparatim in aqua calcis reiterato experimento, clauſisque vaſis conſeruauit Cl. Auctor. Piſces diutius prae carnibus reſtitere corruptioni, aliquam tamen ſuae denſita-

* Lecta a. d. 12. april. 1753.

** Vol. II. P. II. p. 352. ſeqq. P. III. 453. Vol. III. P. IV. 603.

*** Lecta a. d. 3 mai. 1753.

denſitatis naturalis partem amiſerunt, molliores que euaſerunt. Alio etiam tentamine inſtituto cognouit, in aere libero corruptionem eſſe faciliorem, ac in aqua calcis.

26) *Epiſtola Cl.* IAC. SHORT, *miſſa ad Ill. praeſidem Societatis* COM. DE MACCLESFIELD, *de noui micrometri inuentione, propoſita a Cl.* SERVINGTON SAVERI. p. 165.

27) *Deſcriptio modi dimetiendi angulos anguſtos,* auctore Cl. IO. DOLLOND, communicata per Cl. IAC. SHORT. p. 170.

28) *Litterae Cl.* PETR. THOMPSON, *recenſentes experimenta, cum fonte cupreo Wicklouiano in Hibernia facta, et obſeruationes circa eundem inſtitutas.* Auctore *Cl.* IO. BOND.* Chemicum praecipue harum aquarum examen ſuſcepit, quarum vim ferrum in cuprum mutandi primus detexit MATTH. IOHNSTON. Aqua ex crypta, cupri diuite defluens, acidi et acris ſaporis, diluteque coerulei coloris eſt, quibus vero modis illa, ut ferrum arrodere poſſit immerſum, colligatur, ſupra retulimus. Quem effectum ſcrutaturus Cl. Auctor, principium primo, quod ineſt, indagat, experimentorumque inſtitutorum ſummam recenſet. Sunt eorum quinque: Aquae ſcilicet ex puteo, cui immiſſi erant baculi ferrei, hauſtae, alcalinum ſalem ſolutum admiſcuit et praeter vehementem efferueſcentiam ex fuſco nigricantem materiam praecipitari vidit, ex quo acidum ineſſe principium concluditur. Spiritu porro nitri vel aqua forti additis, ab hoc acido coeruleum, aquae natiuum, colorem deſtrui obſeruabatur, ſimulque materiam, in primo experimento per alcali praecipitatam, p. 181. p. 183.

* Lectae a. d. 10. mai. 1753. Conf. de hoc fonte Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 54. P. II. p. 122.

tam, nunc perfecte reſolutam fuiſſe apparebat. Claui ferrei, in aquam immiſſi, quatuor minutorum horae ſpatio ita cuprea obducebantur materie, ut microſcopio etiam ſubiecta ferrea ſubſtantia amplius nequiret detegi, idem cum argento et ſtanno, cum auro tamen non accidit, quippe in quod acidum non penetrare videbatur poſſe, adhaeſionique molecularum locum facere. Quantitatem vero aeque ac qualitatem materiae, in aqua contentae, explorandi cauſa tribus unciis aquae, duas drachmas clauorum ferreorum immiſit Cl. Auctor, qui octo grana ponderis amiſerunt, puluis autem praecipitatus, quatuordecim grana pendens, fuſione facta, duodecim cupri grana dedit. Aqua reſidua, euaporata in vitriolum viridis coloris concreuit. Ex aqua e contrario, ipſo ex fonte hauſta, vitriolum coeruleum, ex venere participans hoc modo praeparatum fuit. Ex quibus omnibus, iure quodam, concluditur acidum in aqua eſſe, quod tranſeundo per mineras cupri, aliquam eius partem erodendo ſibi uniat, ferro praecipitetur, et vitriolum ferri, hinc paratum, ſecum auferat, cuprumque in fundum deciduum, relinquat. Simplex itaque praecipitatio male tranſmutationis ferri in cuprum nomine venit; id quod variis additis obſeruationibus comprobatur. Ferrum enim ſolui, ſpuma aquae, in puteis contentae, monſtrat: ferrum etiam ſenſim perit, et depreſſiora loca oſtendit: aqua ex puteo effluens ochram vehit, quae igne tractata a magnete trahitur, nec prius eam admixtam habet, quam exiuerit: cupri tandem quantitas ſuperat eam ferri immiſſi. Ex his varia deducit Cl. Auctor conſectaria, atque de acidi principii, quod hanc ſolutionem efficit, origine ſtatuit, illud eſſe commune, quod in toto regno minerali diſtribuitur. Fontem autem hunc, tum ob medicas, tum ob metallicas vires eſſe utilem cenſet, neque veneni vim habere, quod a variis ſine noxa bibitur hominibus; purgandi

certe

certe vomendique vim exercet, exanthematicisque morbis medetur, nec non acidum primarum viarum abſorbet. Siquidem aliqua limaturae ferri portio addita, ſpadanarum aquarum indolem ipſi conciliat.

29) *Litterae Cl.* BEVIS *ad Cl.* IAC. SHORT, *de noua micrometri inuentione Cl.* GASCOIGNE. p. 190.

30) *Obſeruatio de tranſitu Mercurii per ſolem, facta a. d. 6. mai. 1753.* Auctore I. SHORT. p. 192.

31) *Relatio de tractatu, regiae ſocietati communicato, qui inſcribitur: Litterae, ad electricitatem ſpectantes, &c. ſcriptae a Cl.* NOLLETO: *extracta per Cl.* GVIL. WATSON. p. 201.

32) *Numerus incolarum urbis Briſtolienſis, tum ex catalogo mortuorum, tum ex numero aedificiorum, per decem inde annos collectus; Auctore* IO. BROWNING, *communicatus ſocietati per* HENR. BAKER. Ex obſeruationibus probat in magnis et hominibus refertis urbibus quotannis viceſimam quintam partem populi diem ſuum obire. p. 217.

33) *Relatio de eclipſi quam venturam indicauit* THALES: *Auctore Cl.* GVIL. STVKELEY. p. 221.

34) *Continuatio diſquiſitionis cryptae, in comitatu Antrimenſi Hiberniae,* (Giant's Cauſeway) *Auctore Cl.* RICHARD POCOCK *. Huius deſcriptionem alibi ſuppeditauit Cl. Auctor, nouas nunc recenſet ibidem factas obſeruationes. Immenſae altitudinis pilae, ex lapidibus ſingularis formae exſtructae, hic reperiuntur, quorum figura lateraque vario modo variant. Horum formam itaque hic ſollicite deſcriptam, aliquas etiam delineatas hic deprehendimus. p. 226.

Latera

* Lecta a. d. 24. mai. 1753.

Latera non omnia ſibi accurate reſpondent, quaedam compreſſa ſunt, ita quidem, ut ſi pilae cacumen conuexum fuerit vel concauum, quicunque, eam conſtituens, lapis eandem retineat habeatque figuram. Quum miranda haec ſit, ſpontaneo naturae labore effecta, ſtructura, deſcriptiones, quibus haec cognoſcitur, conſulere et ex collatis inter ſe phaenomenis iudicare iuuabit.

p. 238. 35) Pergit in eadem re explicanda IDEM, *in literis ad Rev.* THO. BIRCH *datis* * et transmittit delineationem geographicam cryptae.

p. 239. 36) *De conuenientia tabularum Cl.* HALLEY *et notitium Cl.* BVFFON, *ad ſtabiliendam regulam de probabili vitae duratione in homine.* Auctore Cl. GVIL. KERSSEBOOM, *translata ex gallico idiomate per Cl.* IAC. PARSONS.

p. 253. 37) *Epiſtola Reu. P.* D'INCARVILLE, *Pekino Chinae ad Ill.* CROMWELL MORTIMER *tranſmiſſa* **. Rationem reddit variorum naturalium theſaurorum, quos Ill. MORTIMER miſerat Cl. Auctor, ſed nomina plerumque chinenſium retinuit, quae obſcuritatem relinquunt, v. c. *kou chou* arborem eſſe dicit, ex cuius cortice, eodem, ac cum cannabis filis ſolet fieri, modo, paratur papyrus. Alba cera, multum in China uſitata, qua ratione quibusque inſectis paretur, incognitum ſibi eſſe adfirmat. Ex Perſicaria vero maculata, prout ex Anil alibi, indicum paratur, ut alia iam praetereamus. Ad finem epiſtolae reſponſio additur, concernens caput hiſtoriae naturalis de foſſilibus. Minerae omnis fere generis in China occurrunt, quamuis leui tantum opera in iis conquirendis elaborandisque occupentur inco-

* Lectae a. d. 28. iun. 1753.
** Lecta a. d. 7. iun. 1753.

incolae, in ſummis etiam montium cacuminibus varii generis petrefacta occurrunt, quae olim maris itinera per haec loca directa fuiſſe, ſuſpicionem mouent Cl. Auctori; magna tandem in prouincia *Yunnan* cinnabaris copia occurrit.

38) *Litterae Cl.* T. MELVIL *ad Reu.* IAC. BRADLEY *cum ſermone de cauſa refrangibilitatis radiorum lucis* *, quam in diuerſa radiorum coloratorum velocitate poſitam eſſe autumat, opticas aeque ac aſtronomicas obſeruationes inde declarans. p. 261.

39) *Operationem empyematis feliciter ſuſceptam deſcribit* IOSEPH. WARNER, *Reg. Soc. Sod.* ** Praegreſſis variis, inflammationem in pectore indicantibus, ſymptomatibus, in anteriori ſiniſtri lateris parte circa ſterni extremitatem tumor comparuit, ſine integumentorum tamen colore mutato, qui preſſus et reſpirationem reddidit difficiliorem et fluctuantem ſubtus materiem indicauit. Aegro itaque, conuenientem in ſitum deducto, inciſio duorum digitorum latitudine, per obliquos muſculos abdominis in eminente maxime parte tumoris fiebat, deinde altera transuerſim per rectum abdominis muſculum, intra ſeptimae et octauae coſtae cartilaginem, quo facto materia ſpiſſa, viſcida, viginti trium unciarum quantitate euacuabatur, ſenſim autem ad priſtinam aeger ſanitatem reducebatur. Prima, quae abſceſſui originem dediſſe videtur, cauſa, infelicem caſum, in latus ſiniſtrum, ante duos iam annos perpeſſum, ſuſpicatur Cl. Auctor fuiſſe. p. 270.

40) *Epito-*

* Lecta a. d. 1. mart. 1753.

** Lecta a. d. 28. iun. 1753.

p. 273. 40) *Epitome epiſtolae a Cl.* IAC. DODSON *ad Cl.* WILH. MOVNTAINE *miſſae* *, quae de calculandis logarithmis agit.

p. 284. 41) *Litterae* Cl. IO. LINING, *Med. D. Carolinopoli, Carolinae meridionalis, ad Reu.* THO. BIRCH ſcriptae, de quantitate pluuiae cadentis a menſe ianuario 1752. ad Decembrem 1753.

p. 286. 42) *Epiſtola Cl.* EMAN. MENDEZ DA COSTA, *ad Reu.* THO. BIRCH, *de foſſili, Dudleii in comitatu Staffordienſi inuenti, et deſcripti* in Phil. Tranſact. No. 496.**. Quum de eo multum dubitatum ſit, ad cruſtacea animalia pertinere monſtrat Cl. Auctor, nominatque *pediculum marinum maiorem trilobum.*

p. 287. 43) *Epiſtolae variae, concernentes theorema Cl.* EVLERI, *de emendandis aberrationibus vitrorum obiectiuorum, in teleſcopiis refringentibus.*

p. 297. 44) *Notatu maxime dignus caſus, fragilitatis, flexibilitatis, diſſolutionisque oſſium, communicatus a* IO. PRINGLE, *Med. D.* *** Accidit ille feminae, quae ad decimum quintum aetatis annum incorrupta uſa fuerat ſanitate, ſed et tunc reſtituta, ad triceſimum vixit, quo demum dolore corporis, febrilibus ſymptomatibus ſtipato, affligebatur, qui dolor, extremitates poſtmodum occupans, effecit, ut, ſine omni data occaſione vehementi, inter ambulandum crus frangeretur. Callus tamen nullus generabatur, ſed relinquebatur mobilitas flexilitasque oſſium, quae breui poſt in femore eodem obſeruabatur modo; cutis oedematoſe intumeſcebat, excoriabatur, tenuemque

* Lecta a. d. 5. iul. 1753.

** Lecta a. d. 12 iul. 1753. Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 709.

*** Lect. a. d. 12 iul. 1753.

que ichorem, luteoli coloris fundebat. Variis, ut, qui acidae indolis eſſe putabatur, morbi fomes expellatur, quaerebatur remediis, ſed incaſſum, immo thorax conſtringebatur, ſpina dorſi diſtorquebatur, omniaque ob flexilitatem oſſa, praecipue extremitatum, ad ſuſcipienda negotia fiebant inutilia, ut lecto affixa remanere cogeretur aegra, contracta et magnitudine imminuta, quippe quum poſt mortem a naturali ſua magnitudine duos pedes et duos pollices receſſiſſe deprehenderetur. Symptomata, quibus affligebatur perpetuo, erant ſucceſſiuum difficilis reſpirationis incrementum, carnis extenuatio, ceſſatio menſtruorum, ultimis menſibus facta, propenſio in extremitatibus potiſſimum in ſphacelum: ſenſus tamen ad mortem uſque immutati ſupererant. Recenſentur deinde, quae poſt mortem in cadaueris ſectione fuerunt detecta. Cor et pulmones flaccidi tantum, forte ob nimiam hepatis molem inueniebantur, quod nempe omne fere abdomen occupabat, et diaphragmati accreſcebat, de reliquo ſanum erat. In meſenterio, unica tantum glandula ſcirrhoſa et lien contractus erat. Cauitatem cranii autem diſquirere non licuit. Sed, quum ita flexilia euaſerint oſſa, ut leui opera potuerint diſcindi, intus autem corrupta quaſi inuenta fuerint, tenui tantum oſſea lamina, teſta ouorum non craſſiore, ſuperſtite, putat Cl. Auctor, omnia haec mala a medulla, diſſoluente qualitate inſtructa, fuiſſe producta, in primis quod ab interiori ſuperficie malum extus proſerpere videretur. Chemicum autem tentamen, cum his oſſibus inſtitutum, neque acidum, neque alcali ineſſe declarauit.

45) *Obſeruationes aſtronomicae, factae Londini a Cl.* BEVIS *et* IAC. SHORT. p. 301.

46) *Litterae Cl.* IO. ELLIS *ad Cl.* PETR. COLLINSON *de polypo aggregato,* (Cluſter polype) *inuento in* p. 305.

mari ad ripas Groenlandiae *. Plura communi baſi adhaerent corpora, ſingulum octo habet brachia, quorum unum quodque denuo ſerie tenuium fibrarum exornatur, quae digitorum ſuſtinent officium, medio horum loco rotundum eſt os, ſex ſemicircularia labia habens. Ad longitudinem diſſectum corpus ex valido muſculo compoſitum eſt, in cuius cauitate, valuulis quaſi diſtincta tenuia corpuſcula, ſeminibus ſimilia, deprehenſa ſunt. Centro baſeos, quae corpora haecce coniungit, adnaſcitur quadrata, oſſea et ſulcata columna, ceu truncus, quae attenuata eſt in loco, ubi corpora adhaerent, et membrana inuoluente augetur, quam ea propter adeſſe iudicat Cl. Auctor, ut pro lubitu in aquam ſe dimittere poſſit animal atque reſurgere. Haec ſubſtantia cum aceto vini efferueſcebat, totum autem corpus ipſi videtur originem dediſſe *Encrino* ſiue *Lilio lapideo*. Tabula aenea addita omnium harum partium icones ſuppeditat.

p. 309. 47) *Epitome litterarum Patr.* GAVBIL *ex China tranſmiſſarum:* Aſtronomica tractant.

p. 318. 48) *Epiſtola Cl.* WILH. SHERVINGTON *ad Cl.* BENI. FRANKLIN, *de tranſitu mercurii per ſolem.*

p. 320. 49) *Relatio de ſtatu barometri et tempeſtatis, Dublini a die 7. mart. 1752. ad d. 28. febr. 1753. per Cl.* IAC. SIMON *facta: communicata ſocietati per Cl.* HENR. BAKER.

p. 322. 50) *Altera relatio nouae methodi corneam aperiendi, deponendae cataractae cauſa. Auctore Cl.* SAM. SHARP. ** In emendanda methodo Cl. DAVIEL occupatus Cl. Auctor, primo recenſet numerum eorum,

* Lectae a. d. 8. nov. 1753.

** Lecta a. d. 22. nouembr. 1753.

rum, quos ſua methodo curauerat, adducendo eorum nomina, aetatem, diem, qua operatio fuit inſtituta, et oculorum numerum. Ingenue tamen ubique profitetur, quonam cum ſucceſſu omnia contigerint; quaue ratione inſtrumentorum vitia quandoque noxam contraxerint miſeris. Singularis eſt obſeruatio, cataractam fuiſſe inuentam, quae, licet omnem tolleret videndi facultatem, coeruleſcens tamen et parum opaca comparuit, aperta autem cornea, immo reſecta etiam capſula lentis, exire tamen recuſauit. Inflammationes quidem in hac etiam operatione non deficiunt, ſaepe tamen, quam cauſam optime Cl. Auctor ex laeſione partium affectarum deducit, ſunt mitiores, et trium hebdomadum ſpatio plerumque diſſipantur. Pupilla etiam in hac ratione ſaepe circularem ſuam perdit figuram, quod iridis tenſioni vel per cataractae preſſionem factae nimiae dilatationi adſcribere maluiſſet Cl. Auctor, niſi idem inſtrumentorum ineptitudinem ſaepe id efficere cognouiſſet. Hinc huic incommodo tollendo forcipem ſuum accommodatum eſſe ſcribit. Defectus autem ſenſus, qui mutationem luminis arguit, et ſignum amauroſeos plerumque haberi ſolet, non tamen in uniuerſum criterium eſt, falli neſcium. Quod ad operationem ipſam attinet, eo hanc emendauit modo, ut poſt inciſam corneam lentem cryſtallinam non exprimeret ex oculo, quippe quod metum humoris vitrei ſimul exprimendi iniiciebat, ſed forfice eum extraheret protinus, ſiquidem et tunc facile a vitreo humore illa ſeparari poſſit, ſimul cum inuoluente capſula, quae aliquando etiam relicta, ſenſim euaneſcit, ſi extrahenda tamen eſt, poteſt inſtrumento, quod *curette* Cl. DAVIEL nominat, id praeſtari. Idem inſtrumentum etiam in cataracta adhiberi poteſt, quae in partes diſſiliit. Accidit vero Cl. Auctori nunquam, ut operationem ſuccederet ſtaphyloma. Speculi oculi uſum inducere periculo-

 ſum

ſum eſſe docet, et magnam requirere ſollicitudinem.

p. 332. 51) *Inſcriptionem antiquam Romanam lapidis, Bathoni inuenti, explicare tentat* Cl. IO. WARD.

p. 347. 52) *Epiſtola ad Ill. Com.* DE MACCLESFIELD *data per Cl.* BENI. WILSON *de experimentis electricis, Pariſiis factis.** Qui ſaepe iam electrica inſtituit magno cum ſtudio tentamina, his demonſtrare anniſus eſt, Cl. MONNIER opinionem, electricitatem ex aere prouenire, ita eſſe limitandam, ut ex hoc aeque, ac ex terra, ex illa tamen longe magis, deriuetur.

p. 350. 53) *Experimenta electrica, cum explicatione variorum phaenomenorum, nec non additis obſeruationibus de tonitru, proponit Cl.* IO. CANTON **. Ex hiſce, quorum ſumma breui hic proponi nequit, corpora diuerſa, differenti tamen tempore et conditione magis minusque electrica ſunt. Ad finem tractationis adiungit quaeſtiones: numne aer, ſubito rarefactus, electricum producat ignem, et ſubito condenſatus, recipiat ex nubibus vaporibusque tranſeuntibus eundem? porro, numne aurora borealis electricum ignem emittat ex nubibus poſitiue electricis, ad eos negatiue electricis per magnam diſtantiam atque ſuperiorem atmoſphaerae partem, quae minorem exercet reſiſtentiam?

p. 358. 54) *Epitome epiſtolae Cl.* BOSII, *Prof. Vitebergenſis, miſſae ad Ill. Com. de* MACCLESFIELD; *obſeruationes addidit* GVIL. WATSON ***. Poſt inundationem viridem mucum prata aruaque obduxiſſe docet Cl. BOSE, qui poſt ea exſiccatus contextum lanae ſimilem,

* Lecta a. d. 6. dec. 1753.
** Lecta eodem d.
*** Lecta eod.

ſimilem, effecerit, quem ſuam debere originem muſco, byſſo dicto, docet Cl. WATSON.

55) *Relatio de commentario praelecto Reg. Acad. Scientiar. Pariſ. per Cl.* DE BARROS, *concernens phaenomena quaedam, quae Pariſiis ab eodem obſeruata ſunt, circa tranſitum mercurii per ſolem: propoſita per Cl.* I. SHORT. p. 361.

56) *Explicatio loci obſcuri, apud* STEVINVM *occurrentis* (Vide les Oeuvres Mathemat. a Leyde 1634. p. 169.) *per Cl.* SIMSON. p. 368.

57) *Obſeruationes de electricitate aeris, inſtitutae menſe iunio, iulio, octobri 1753 in Caſtello Maintenon; tanquam epitome epiſtolae Abb.* MAZEAS *ad Cl.* STEPH. HALES. *Ex gallico ſermone translatae per Cl.* IAC. PARSONS*. Deſcribit apparatum, quem adhibuit et ſaepe inſtituta obſeruatione inuenit, tempeſtate aequaliter ſicca, electricitatem etiam aequaliter fortem fuiſſe: materiae vero electricae paruum admodum eſſe motum: nec eundem poſſe ſenſibilem reddi: a tempeſtate tamen electricitatem non augeri, niſi tonitru ſimul adſit: virtutem porro electricam augeri, ſi applicetur vel incidat in ſuperficiem metalli, quod per ſe iam electricum eſt: itidem, ſi nubes apparatui accuratiſſime ſuperſunt: diſſipari tandem, nubibus diſſipatis. Recenſet ſimul Cl. Auctor ſingularem caſum, qui epileptico accidit homini, qui eo, dum per aerem excitabatur electricitas, tempore inter ſpectatores reperiebatur. Is enim ictibus electricis percuſſus, male ſe habuit, et domum rediens, morbo vehementer correptus fuit, variis paroxyſmis ſe inuicem excipientibus. Reſtitutus tamen morbum et hoc tentamen inter magnam ſe adnotaſſe conueni- p. 377.

 entiam

* Lecta a. d. 20. dec. 1753.

entiam profeſſus eſt, olim etiam, tempeſtate exoriente et tonitru, eodem perſaepe excruciatus.

II.

D. IOANNIS HENRICI SCHVLZII, quondam Medicinae, Eloquentiae, Antiquitatum et Philoſophiae in Regia Fridericiana Profeſſoris Publici ordinarii, cetera, Praelectiones in Diſpenſatorium Regium et Electorale Boruſſo-Brandenburgicum. Altera hac editione curate reuiſae, emendatae atque inſigniter auctae. Norimbergae, apud Io. Iac. Cremer; 1753. 8. 1 alph. 19 pl. ſ. praefat.

In diſpenſatorium, quod vocant, Boruſſo-Brandenburgicum, quum multis in Germaniae pharmacopoliis medicamentorum, quae dicuntur officinalia, parandorum dare ſoleat normam, iam olim commentatus b. SCHVLZIVS, haſce ideo praelectiones anno huius ſeculi triceſimo ſexto Norimbergae ediderat, tironum quidem uſui in primis conſecratas, attamen aliis etiam in arte facienda iam prouectioribus valde utiles factas. Laetamur itaque hocce opuſculum optimi illius viri, cuius memoria viris doctis atque probis ſemper eſſe debet cara atque antiqua, quum poſt eius mortem denuo edi deberet, in viri nobis quidem incogniti, ſed, uti ex eius, huic libro praeſtito, labore intelligimus, artis noſtrae periti atque induſtrii incidiſſe manus, qui reuiſum iſtud et vere auctum curaret. Is igitur haſce *Schulzianas* annotationes ſedulo perluſtrans, eis non nullas addidit emendationes, praeſertim ſi remediorum formulas, quas vocare ſolent medici, et librorum, de ſingularibus medicamentis exponentium, reſpicere velis notitiam, atque iis porro aliqua adiecit additamenta, tum ratione illorum iam olim pertractatorum uſus, tum

tum aliorum etiam, quorum antea nondum facta fuerat mentio, nunc factae commendationis viriumque expoſitionis. Pro ſua tamen, quam ex merito laudamus, modeſtia, hoſce ſuos ab illis b. SCHVLZII ita diſtinguit labores, ut ſuis, quas *Schulzianis* ſubiungit, annotationibus unam ſtellulam unco incluſam, reliquis autem eorum medicamentorum, quae nunc primum inſeruit opuſculo, titulis duas ſtellulas, unco carentes, praefigeret, quo et ſuae et b. anteceſſoris ſententiae, illico legentis oculo pateſcerent; e quibus nunc illis prioribus ſpeciminis loco aliquas tantum adducere, horum autem, titulorum quippe, plenam dare lubet enumerationem.

De ſequentibus igitur remediis, in noua hac editione primum commemoratis, diſſeritur: *Sunt illa nimirum: Acetum rutae: Alumen uſtum: Anima rhabarbari: Aqua, Carmelitarum fratrum; meliſſae cum vino; phagedaenica; veronicae vinoſa: Balſama: Balſamus Anglicus; ſaturni compoſitus; Schauerianus; vulnerarius albus et ruber* DIPPELII: *Electuarium antiphthiſicum; roborans antifebrile: Elixir acidum* DIPPELII: *Balſamicum* HOFFMANNI; *eiusque Elixir ſtomachicum*, aliudque *viſcerale* dictum: *Eſſentia cantharidum; chinchinae compoſita: Extractum anthelminticum; liliorum conuallium; myrrhae aquoſum: Flores auripigmenti; ſalis ammoniaci ſimplices; zinci: Lapis infernalis: Mercurius praecipitatus viridis; ſublimatus diaphoreticus* ASTRVCCII: *Morſuli pectorales: Nitrum nitratum ſiue regeneratum: Nitrum praeparatum: Olea in genere: Oleum bezoardicum* WEDELII; *aniſi; kajuput; myrrhae deſtillatum; naphthae; vini; vitrioli dulce; oliuarum; otalgicum: Phoſphorus Anglicanus: Pilulae aethiopicae; foetidae minores* SYDENHAMI; *lithontripticae Anglicanae: Puluis alexipharmacus Sinicus; cordialis Cellenſis; contra febrem quartanam* HOFFMANNI; *ſternutatorius in odontalgia; temperans albus et ruber* STAHLII:

*Rotulae anthelminticae: Saccharum lactis; glycyrrhi-
zatum: Species lithontripticae Anglicanae: Spiritus
carminatiuus* VATERI; *vitrioli dulcis ſeu liquor ano-
dynus mineralis* HOFFMANNI: *Tinctura antimonii
ſaponata; veneris balſamica* DIPPELII: *Trochiſci
cathartici* ZWINGERI.

Nunc adhuc aliqua ex ipſis depromere iuuabit an-
notationibus.

p. 4. Circa praeparationem acetorum, herbis aut flori-
bus infuſorum, caueant pharmacopoei, ne diu nimis
in inſolatione, quam dicunt, ea relinquant: alias
enim haec vappam facile contrahent, pelluciditatem
amittent, neque ferent aetatem. Inter omnes *ace-
tum* rectificandi modos ille, quem commendauerat
olim b. STAHLIVS, laudem meretur, quo illud in-
tenſo hiemali frigori exponitur, donec tertia eius
quartaue pars congelauerit; reliqua eius parte adhuc
fluida in medio haerente, uſui ſeruanda. Reliquis
hoc erit purius acetum, et in gummi-reſinis, ſalibus
alcalicis terreisque medicamentis ſoluendis, commu-
p. 14. ni deſtillato praeſtantius. *Aethiops mineralis*, ſine
ignis auxilio praeparatus, apyros dictus, illo infe-
rior eſſe cenſetur, qui fit, ſulphure antea leni calore
fluido reddito, quam adiiciatur mercurius. Medicae
tamen virtutes neutri abiudicantur, non contra ver-
mes ſolum aliosque glandularum in primis morbos,
ſed aduerſus febres etiam rebelles quartanas conſpi-
cuae. Illum cum antimonio crudo ad morbos ſatur-
ninos commendauit quidem Cl. KRÜGER, ſed votis
hanc methodum haud ſemper reſpondere, Noſter
p. 30. monet. *Antimonio* etiam *diaphoretico* dicto virtutis
diapnoicae laudem poſt b. SCHVLZIVM vindicat, id-
que omni actuoſo principio non carere inde probat,
quod emeticis aut purgantibus additum, eorum vim
augeat; nec illud ab aetate vim emeticam haud at-
trahere, denuo confirmat. Dum de *vitri antimonii
cerati* uſu antidyſenterico loquitur, in leuem ali-
quem

quem errorem, niſi ipſi fallimur, ſe deduxit, eiusque inuenti auctorem Cl. PRINGLE eſſe narrat, quem tamen Cl. YOVNG huc uſque talem habitum fuiſſe conſtat, quoniam primus fuit, qui de eo ſcripſit. Nec huic tamen haſce competere laudes, ex anglico quodam diario nuper monuimus *. De *balſamis* ſic dictis *vitae* Cl. Auctor probe notat, quod olea maxime pura, nec aetate corrupta; menſtruum omni phlegmate prorſus liberum, atque ab herbis floribusque odoriferis abſtractum eſſe; olea porro antea ſali alcalico puro vel ſaccharo in pollinem redactis infundi, eaque tandem ſingula hac ſibi proportione iungi debeant, ne alterum alteri odore antecedat. Illud balſamum, quod STABELIVS in *Chymia* ſua deſcripſit, multum ad HOFFMANNI mentem videri eſſe compoſitum exiſtimat, licet illud, quod ab hoc viro nomen traxit, inter arcana adhuc referatur ab eius heredibus. De *elixirio polychreſto Halenſi*, ſub eſſentiae ſpleneticae nomine etiam cognito, et paulo infra de *eſſentia amara*, utroque medicamento, etiam nunc in pharmacopolio orphanotrophei Halenſis proſtante, b. SCHVLZIVS non nulla commemorans, illud ibidem haud amplius diſpenſari dixerat: id conſulto tamen diſſimulaſſe Virum illum caeteroquin vere bonum, Noſter autumat. Sed quanam illud de cauſa is fecerit, nos quidem certo haud intelligimus; niſi forte exiſtimauerit; id, quod ita quoque omnino ſe habere videtur; orphanotrophei medicorum honori ea diſſimulatione magis conſuli, quam ſi aperte fuerit confeſſus, ab iis haberi atque diuendi adhuc arcana. Ridiculus non nullorum pharmacopoeorum mos iure ſuo reprehenditur, qui ſibi tantum ſapientes in *elixirii vitrioli* MYNSICHTI praeparatione ſpiritum vitrioli omittunt, illudque igitur medicamentum, cui ſuum tamen relinquunt nomen, praecipua virtute ſua priuant. *Emplaſtro*, quod *diabotanon*

p. 92. p. 157. p. 218. p. 169. p. 182.

BLON-

* v. Comm. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 76.

BLONDELLI appellatur, inſignis adeo vis tribuitur, ut tumores meſenterii lienisque ſcirrhoſos ſoluere, ideoque in febribus meſentericis, hecticis aut atro-
p. 189. phicis, hoc ex fonte ortis, prodeſſe dicatur. De *emplaſtro diaſulphuris* RVLANDI, praeter vires ulcera reddendi munda eaque conſolidandi, aliae adhuc in primis contra lymphae ſaliuaeque vehementes effuſiones depraedicantur, ſatisque memorabili confirmantur exemplo, quo ulcus genae ſiniſtrae illius ope ſanatum fuit, ex quo tanta humoris ſalivalis copia effluxerat, ut tabis ſubſecuturae eſſet periculum, omnibus antea medicamentis ſine fructu
p. 192. impoſitis. Alius *emplaſtri, ad ganglia* in diſpenſatorio praeſcripti, uſus contra ea vel maxime rebellia valde laudatur, quo potiſſimum hoc efficiatur, ut ea poſt diuturnam applicationem molliora fiant, manui-
p. 249. que chirurgi facilius cedant. Praeter effectus *eſſentiae pimpinellae albae* olim iam laudatos, ſingulari quoque vi pollere ea dicitur ad mercurium e corpore eliminandum, is ſi vel ab intempeſtiuo uſu, vel a malo regimine, corpori alte inhaereat, et cruciatus
p. 255. in primis arthriticos viſos excitet. Inter alias multas *eſſentiae ſuccini* vires otalgica quoque refertur in tinnitu atque ſuſurru aurium conſpicua, aliquot eius guttulis goſſypio exceptis aurique inditis, praeſertim ſi olei chamomillae aut ſpiritus terebinthinae aliqua
p. 270. portio ei iuncta fuerit. Circa uſum *extracti hellebori nigri*, quod per ſe quidem contra pertinaciſſimos multos morbos valere dicitur, variae afferuntur cautiones, e quibus una eſt, ne illud vetuſtate corruptum ſit; id, quod facile fieri ſoleat; altera, ne in aliorum extractorum modum in forma liquida porrigatur; utraque enim de cauſa peſſimos non nullis
p. 274. aegris accidiſſe effectus, obſeruatum eſſe dicitur. Recte porro mirari nobis videtur Cl. Auctor, quod *aquoſo myrrhae extracto* locus in diſpenſatorio nondum conceſſus ſit; quum illud tamen gummi duplici

conſtet

conſtet principio, gummeo atque mucilaginoſo cum reſinoſo, nec utrumque igitur omnibus conuenire queat morbis. Sequentem ideo illius praeparandi docet modum: *Recipe myrrhae rubrae in crudiorem* p. 275. *puluerem redactae libram dimidiam, irrora ipſam liquoris nitri fixi, ſiue alcaheſt* GLAVBERI *unciis duabus; exacte haec ſpatula lignea agitata, per dimidium menſem in loco quodam humido e. g. cella repone, ut myrrha penitus ſoluatur. Tum affunde aquam feruidam atque agita maſſam: dein quieta relinquatur, donec craſſius ſedimentum depoſuerit. Aqua ſupernatans tincta ſeparetur. Atque hanc operationem repete, donec affuſa aqua tingi deſierit. Aqua vero haec omnis confuſa moderatiſſimo calore euaporet, ut extractum euadat. Optime iungitur pilulis balſamicis, ſtomachicis, carminatiuis atque anthelminticis itemque uterinis: in quibus grana quinque ad duodecim unam pilularum doſin ingredi poſſunt. Antimonio crudo* ſub p. 342. morſulorum reſtaurantium KVNCKELII titulo ſuas quidem laudes tribuit, easque contra multos quidem morbos egregias, ſtimulantes et reſoluentes; monet tamen ſimul, ne in ſcirrhoſis inteſtinorum obſtructionibus eo temere utamur, eaque formula, quae in Boruſſico legitur diſpenſatorio, illam eſſe aptiorem, quam Cl. IVNCKER in *Conſpectu Therapiae ſpec. Tab. XLVI* praeſcripſit. Sub *nitri praeparati* nomine il- p. 345. lud in impalpabilem fere puluerem redactum intelligit, indeque medicam eius efficaciam augeri exiſtimat. Eius itaque laboris magnum eſſe dicitur compendium, eiusque haud inepta erit praeparatio, ſi nitrum probe ſiccum in calido teratur mortario et per denſius cribrum transiiciatur; vel ſi nitrum calida ſolutum, filtratum, in olla non vitreata parum coquatur et in eodem ſicco frigidoque loco reponatur. Poſt paucos enim dies tranſſudabit illud ollam ſub forma florum ſubtiliſſimorum, qui pede leporino ab-

ſterſi

ſterſi uſuique ſeruati, quibusdam *nitri florum* veniunt nomine, eiusdemque cum nitro ſunt utilitatis.

Haec ad docendos lectores excerpta ſufficiant, clare enim docent, quidnam huic per ſe iam huc uſque vehementer utili *Schulziano* libro praeſtiterit Cl. Editor hisce ſuis ſat numeroſis annotationibus, quae tertiam minimum totius libri partem conſtituunt, ſimulque inſignem auctorum, qui de remediis ſcripſerunt officinalibus, allegatorum copiam exhibent.

III.

Obſervations de Medecine, ou l'on trouve, des Remarques qui tendent à detruire le Prejuge, ou l'on eſt ſur l'uſage du lait dans la Pulmonie: Avec une diſſertation ſur les Ingrediens de l'Air, conſideré dans l'état naturel, et dans un état contre Nature, ou comme cauſe de Maladies. Par M. IOSEPH RAVLIN, de l'Academie Royale des Belles-Lettres, Sciences et Arts, de Bordeaux, Docteur en Medecine, et Medecin Ordinaire de la ville de Nerac en la Province de Guienne. A Paris. Chez Moreau et Delaguette. 1754. In 12. pl. 18.

Hoc eſt:

Obſeruationes medicae, in quibus annotationes, praeiudicio, quod uſum lactis in phthiſi pulmonali concernit, deſtruendo aptae inueniuntur: Vna cum diſſertatione, de aeris, in ſtatu naturali et contra naturam, ſeu tanquam cauſa morborum conſiderati, ingredientibus. Auctore IOSEPH RAVLIN etc.

Cum lactis potum phthiſicorum plurimis ad modum proficuum eſſe hactenus quidem fere crederent omnes; Cl. Auctor, eidem quondam ſententiae

tiae addictus, in hoc opere, primo contrarium demonſtrare, phthiſicosque lactis potiſſimum potus victimas eſſe oſtendere voluit. Ex hoc vero labore paruus phthiſiologiae tractatus ortus eſt, quem, in prima huius libri parte, quatuor ſectionibus diſtinctum, propoſuit. In parte ſecunda diuerſorum et ſpeciatim eorum morborum obſeruationes ſubiunxit, qui exeunte anno 1751 et ineunte 1752 in Neraci confiniis epidemice graſſati ſunt; et diſſertatio olim promiſſa, de aeris, in ſtatu naturali, et contra naturam, ſeu tanquam cauſa morborum, conſiderati, ingredientibus, tertiam tandem ultimamque libri partem occupat.

Prima igitur huius libri pars *quatuor ſectiones* continet, quarum *prima* de phthiſibus dorſalibus ac neruoſis, *ſecunda*, de phthiſibus pulmonalibus a tuberculis, *tertia*, de phthiſibus pulmonalibus ab ulceribus pulmonum ortis, et *quarta* tandem de uſu lactis in phthiſi pulmonali agit. In prima vero primae p. 1.
partis ſectione de phthiſibus dorſalibus ac neruoſis, quas generatim in eſſentiales et ſymptomaticas diuidit, tredecim obſeruationes continentur, quarum praecipuas ſpeciminis loco breuiter tantum recenſebimus.

I. *Phthiſis hyſterica.* Virgo decem et octo circiter p. 8.
annorum vere anni 1744 paroxyſmis hyſtericis, cum dolore regionis epigaſtricae ſatis vehemente, ſaepius per diem et praecipue veſperi recurrentibus, catameniorum tempore, quae exinde ſupprimebantur, corripitur. Accedunt motus conuulſiui, lypothymiae in ſyncopen ſe terminantes, intolerabilis ardor ſub cartilagine xyphoidea, pulſatio inter ſcapulas, cordis motui ſynchrona atque in dies aucta, et tandem pedes oedematoſi cum contabeſcentia totius corporis. Praemiſſis et tentatis variis, auenacea tandem, cum bolo ex croco martis aperitiuo et aethiope miner. ana gr. ſex, omni mane, per menſem integrum

ſumta,

ſumta, ſymptomata abigerunt, lac caprinum dein
p. 15. priſtinam ſanitatem plenarie reſtituit. II. *Phthiſis
ſcrophuloſa.* Iuueni chirurgo anno 1740 in dextri
pedis tarſo parui tumores, gangliis haud abſimiles na-
ti, emplaſtrisque reſoluentibus applicatis potius aucti,
poſt quatuor menſes ita exulcerantur, ut ſinus inter
phalangas procederent, febrisque lenta accedens ae-
grum valde emaciaret. His diu neglectis, poſtmo-
dum vero rite tractatis, oſſa ſeſe exfoliare, et ulcera
ſanationis ſpem prae ſe ferre, coeperunt. Iuſcula
raparum, auenae et hordei, decoctio ſarſaparillae,
ſcolopendrii, hypericique, una cum bolo, ex lapi-
dum cancrorum, antimonii diaphoretici et antihecti-
ci partibus aequalibus ſumto, febrem fugarunt, ulce-
raque ad cicatrices perduxerunt. Lac vaccinum tan-
p. 19. dem aegrum priſtinae ſanitati reſtituit. In III et IV
p. 21. obſeruatione *phthiſes* proponuntur, *quibus occultum
virus venereum anſam praebuiſſe* creditur. Vir, do-
lores punctorios in toto corpore, et continuum
quendam, in vaſis ſpermaticis; femina, poſt felici-
ter peractum puerperium, dolorem, in media ſini-
ſtrae coxendicis parte, ad os ſacrum, coxendicem
dextram, coſtas, muſculos pectoris, ſcapulasque, ſe
extendentem, percipiunt. Lactis potu omnia in
peius ruunt. Frictionibus autem mercurialibus raris,
vir reſtituitur, femina vero, in principio quidem al-
leuatur, neglectis vero iisdem, variisque aliis uſur-
p. 27. patis, tandem ſumme emaciata moritur. V. *Phthiſis
a tumoribus ſcirrhoſis.* Saniſſima femina, poſt ter-
tium, admodum graue, puerperium, vere anni
1733, multum in principio ſanguinis, et appeti-
tum plenarie perdit. Sequuntur ſuppreſſio lochio-
rum, febris, paroxyſmi hyſterici, vigiliae. Super-
ueniunt in toto corpore parui tumores ſcirrhoſi, ſine
dolore et rubore, paruorum granorum, in collo, pe-
ctore et inguinibus vero, oui columbini, magnitu-
dine, conſpicui. Cl. Auctor, menſe maio 1734
accer-

accerſitus, illam fere in ultimo maraſmi gradu, cum parua febre lenta, et ſudoribus nocturnis, deprehendit. Quidam tumores in pectore ad modum lente ſuppurarunt. Praemiſſis aperientibus, grana octo aethiopis mineralis, per duodecim dies mane ſumta, quosdam tumores diſſiparunt. Poſt frictiones tandem mercuriales, omnes tumores pedetentim, menſis unius et dimidii ſpatio, diſparuere, duobus in pectore, caſtaneae maioris magnitudine, exceptis. Mercurius vero extinctus, emplaſtro diapalmae mixtus, illos, paruo temporis ſpatio, plenarie reſoluit. Appetitus et menſtrua larga copia rediere, aegraque, ope lactis, et nutriente diaeta, plenarie reſtituta eſt. VI. Obſeruatio *phthiſin, a lepra haereditaria*, continet, ubi aegra, omnibus incaſſum tentatis, tandem ſumme emaciata mortua eſt. *In VII et VIII obſeruatione* Cl. Auctor *phthiſin, a doloribus in regione epigaſtrica, et ab obſtructionibus hepatis*, ortam, cum pertinaci vomitu coniunctam, deſcribit, quam, iſtic locorum, inter puellas, feminasque, ſatis frequentem, ex tribus vero annis, longe frequentiorem fuiſſe, aegrasque exinde, ſi iisdem cito, methodo ſatis prolixe deſcripta, et frictionibus tandem quibusdam mercurialibus ſuccurratur, omnes ſanitati reſtitutas, alias vero hydrope mortuas eſſe, aſſerit. *Nonam, decimamque obſeruationem*, quae ambae *phthiſes neruoſas* et caſus parum conſiderabiles continent, lubentes praeterimus. *XI. Phthiſin neruoſam ſiſtit, a corio bouino ortam.* Iuuenis ſeptendecim annorum, coriarius, in prima praeparatione recentis corii bouis, paullo ante carbunculo mortui, paruum tumorem, in parte media cubiti, non dolentem, percipit. Poſt tres vero dies, totum brachium, una cum digitis, manu, et ſcapula, inflatur. Hic tumor vero neutiquam dolet, et a chirurgo quodam facile curatur. Iuuenis autem ſtatim extraordinariam ſitim, ad mortem uſque durantem, experitur, mar-

p. 30.
p. 37.
p. 42.
p. 43.
p. 46.
p. 49.

 ceſcere

ceſcere incipit, accedunt diarrhoea, dolores capitis continui, vigiliae frequentes; nulla vero tuſſis; nec decumbit, ſed ſemper obambulat; et, per quinque annos, magis magisque emaciatur, donec tandem, febre lenta accedente, hyeme 1751, absque ullo medicamentorum uſu, placidiſſime exſpirauerit.

p. 55. Cauſam harum phthiſium immediatam, vel in peruerſo et irregulari ſtatu neruorum, ſeu cerebri ipſius, vel in vitio quodam liquidi neruoſi ponit Cl. Auctor. Huic vero anſam praebere poſſe, congeſtiones, et obſtructiones, in cerebro, aut medulla ſpinali, a quacunque cauſa, ortas. Et neruis, a ſtatu naturali, ſic ſemel declinantibus, non mirum eſſe, ſi reliquae actiones peruertantur, nutritio non
p. 59. rite procedat, et phthiſes oriantur. Curatio igitur phthiſium ſymptomaticarum, a curatione morbi primarii, haud diuerſa eſſe debet. Sic phthiſis, a malo hyſterico orta, ut malum hyſtericum, ſcrophuloſa, ut ſcrophulae, venerea, ut lues venerea, tractanda venit et ſ. p. Morbo vero primario hac ratione deſtructo, ſaepe accidit, ut genus neruoſum adhuc affectum reſtet, phthiſisque perſiſtat; et tunc methodus mutanda, phthiſisque, ut neruoſa eſſentialis, tractanda erit 1) obſtructiones deſtruendo, 2) tenſiones, et rigiditates ſolidorum diſſipando, 3) et reparando vitia ſucci neruoſi, id quod, per 1) reſoluentia, incidentia, aperientia, 2) emollientia, humectantia, et 3) per exactum, et conueniens, diaetae regimen, fieri debet. In hiſce vero phthiſibus neruoſis eſſentialibus, nequaquam quaelibet aperientia conducunt; ſic martialia, ob irritationem fibrarum, ſollicite vitanda ſunt, et mercurialia itidem nocere poſſunt. Eorum vero loco, gummata incidentia reſoluentia, et aperientia, ſuccique, vel decoctiones, plantarum, eadem virtute gaudentes, adhibendae ſunt.

In phthiſi pulmonali a tuberculis, tubercula, vel p. 66.
cruda ſunt, et naturaliter nunquam ſuppurant, vel
ſuppurant, ulceraque formant. Cruda, interdum
per tuſſim, reiiciuntur*. Quale exemplum Cl. Au-
ctoris obſeruatio I. ſiſtit. Sacerdos viginti octo an- p. 71.
norum, anno 1748, poſt febrem quotidianam, in
lentam degenerantem, menſis praeterlapſo ſpatio,
pondus in pectore, reſpirationem afficiens, ſentit.
Fruſtra hoc tuſſiendo expellere conatur. Sequitur
tuſſis ſicca. Lac, cum decocto hordei, diarrhoeam
excitat. Poſt aquarum mineralium potum tuſſis fit
moleſtior, exſcreationes lymphaticae ſanguine tinctae,
et, poſt aliquot dies, obturaculum, corneae duri-
tiei, fere pollicem longum, pure tectum, et octo
linearum circumferentiae, reiicitur. Tuſſi aucta
acuti dolores in pectore inſequuntur, et, poſt tuſſim,
quantitas aquarum rubellarum, poſt aliquot dies vero

* Noua litteraria Hamburgenſia, notabilem eius modi caſum, continent. Virgo 16 vel 17 annorum, tuſſi, cum exſcreatione pituitoſa, corripiebatur, quae vero, nec male olens, nec purulenta erat. In hac pituitoſa exſcreatione, interdum parua, dura, albicantia, corpuſcula, grani piperis magnitudine, occurrebant. Haec, ſi aperiebantur, pus foetidum, carnem prorſus putridam olens, exhibuerunt. Aegra de reliquo ſatis bene valens, nullum ſanguinem exſpuebat, nec tuſſi amplius vexabatur. Exſcreatio vero continua, ſine tuſſi, interdiu noctuque, ſatis larga remanſit. In hac pituitoſa exſcreatione, absque ullo puris ſigno, ſaepius eius modi dura corpuſcula occurrebant, foetido pure plena. Et hoc ſymptoma adhuc cum durat, aegra iam annum triceſimum ſecundum agente. Ex octo vel nouem annis maritata, aliquot ſanos infantes peperit. Haec corpuſcula reiecta, ante aliquot tempus, piſi maioris magnitudinem, adaequarunt, apertaque foetorem de ſe ſparſerunt horrendum. Vid. *Freye Urtheile und Nachrichten zum Aufnehmen der Wiſſenſchaften und der Hiſtorie überhaupt. LV. Stück. Hamburg, Dienſtags den 16 Iulii* 1754. pag. 434-436.

albicantium, reiicitur. Poſt aliquot tempus, aliud eius modi obturaculum, eiusdemque magnitudinis, reiecit. Sequuntur ſputa purulenta, febris lenta, dolor, in pectore, et inter ſcapulas. Cl. Auctor venae ſectione, purgatione, remediis vulnerariis, aperientibus, et tandem, ptiſana, aquisque
p. 76. mineralibus, priſtinae ſanitati, eum reſtituit. *Secunda obſeruatio* virum nobilem, quadraginta annorum, exhibet, qui, anno 1744, plures vomicas, in pulmonibus ſe aperientes, reiecit, et tandem,
p. 80. hydrope mortuus eſt. *Tertia* obſeruatio iuuenem, viginti quinque annorum ſiſtit, qui, anno 1751, poſt tuſſim, apertam vomicam reiecit, et ab Cl. Auctore ptiſanis pectoralibus, vulnerariis, balſamicis, plenarie reſtitutus eſt. *Sexta*, *ſeptima*, *octaua*, *nona*, obſeruationes, non leuem ſuſpicionem mouent, phthiſin pulmonalem morbum, quodam modo con-
p. 98. tagioſum, eſſe. *Vndecima* obſeruatio phthiſin complicatam, cum ſymptomatibus phthiſeos neruoſae, et pulmonalis cum tuberculis, ſiſtit, quam iuuenis viginti quinque annorum, anno 1747, ſudore diffluens, aerique frigidiori ſeſe exponens, ſibi contraxit. Priſtinae vero ſanitati, a Cl. Auctore, re-
p. 120. ſtitutus eſt. *Duodecima* tandem obſeruatio caſum continet, ubi femina viginti duorum annorum phthiſi pulmonali, febre lenta, cum tuſſi admodum frequente, ſputisque purulentis, et hereditario venereo malo, laborans, cum, poſt lactis aſinini potum, febris, pectorisque dolores, longe vehementiores facti eſſent, frictionibus mercurialibus ad modum paruis, in principio quinque, dein quatuor, et poſtmodum trium, dierum interuallo, et diaeta conueniente, adhibitis, intra quatuor menſes, perfectiſſimae ſanitati reſtituta eſt.

p. 106. Ortum vero, cauſamque tuberculorum in vaſis lymphaticis, lymphaque ipſa, ponit Cl. Auctor: Illa enim, aut nimis contracta, aut nimis relaxata, lymphae

phae motui obicem ponere poſſunt, et haec, naturaliter mucilaginoſa viſcoſaque, aeri frigidiori expoſita, magis coagulari, hinc ſtagnare, dureſcere, et tubercula formare poteſt. Tubercula non ſuppurantia a lympha ſola, ſuppurantia vero a particulis inflammationi aptis, v. g. ſi ſanguinis quidpiam lymphae admiſceretur, originem trahere arbitratur. Tubercula tunc demum per tuſſim ſiccam, aliaque phthiſeos pulmonalis ſymptomata, ſe manifeſtant, ſi ex primo fluiditatis ſtatu ad ſecundum mollitiei, peruenerunt: venae ſectio ob plethoram, ad minimum particularem in pulmonibus, et ad auertendam inflammationem, ſemper neceſſaria eſt. Aquae minerales ſulphureae et martiales, nec non martialia ipſa, et mercurialia, in hoc morbo pernicioſa ſunt. Equitatio non niſi in primo phthiſeos pulmonalis gradu utilis eſt. Primarum quoque viarum ratio habenda eſt, leni purgante per interualla dando, et miſcendo ſtomachica amara aperientibus. Aperientia vegetabilia in iuſculis et ptiſanis, ſuccique plantarum, nec non electuaria aperitiua, cum leni quodam purgante mixta, neceſſaria ſunt. In ſecundo vero phthiſeos gradu, ſi tubercula inflammari incipiunt, aperientia aliena ſunt. Venae ſectiones potius, ptiſanae anodynae, pectorales, narcotica, et leues emulſiones ex ſeminibus frigidis conducunt. Si tubercula ſuppurant, ulcera detergenda, cicatriſanda, et maſſa ſanguinea, a corruptione a pure abſorpto oriunda, defendenda eſt. Id, quod farinaceis in aqua, vel emulſione amygdalina, coctis, iuſculis raparum, ranarum, interpoſitis anodynis, obtinetur. Sudores colliquatiuos et diarrhoeam, quae mortem annunciat, Cl. Auctor ſaepe abſorbentibus et diaphoreticis anteuertit, dando, bis de die, doſin conuenientem, coralliorum, millepedum, pulueris cancrorum, antimonii diaphoretici cet. ſuperbibendo hauſtum ptiſanae ex ſarſaparilla. Si febris vero, calor, et exſcreatio p. 110.

exinde augentur, ſputaque ſanguine tincta ſunt, tunc eorum loco remedia, contra tuberculorum inflammationem commendata, uſurpanda ſunt. Suppuratione finita febris adhuc ſubſiſtere poteſt, quae ptiſanis amaris, abſorbentibus, diaphoreticis, lenibusque purgantibus abigi debet; et tunc demum ſerum lactis, cum cancrorum aliquibus, et pugillo fumariae, ſcolopendriique, in balneo maris, decoctum, conuenit.

Ex *nouem* ſequentibus vero, *de phthiſi pulmonali ab ulceribus ortis, obſeruationibus*, quarum quatuor ultimae ex aliis auctoribus depromtae ſunt, duas tan-
p. 127. tum priores breuiter indicabimus. Femina quadraginta ſex annorum, temperamenti ſanguinei, et admodum robuſta, durante hyeme 1745, vehemente laborabat tuſſi. Qua in principio neglecta, poſt menſem oriuntur pectoris dolores, ſanguinis ſputum, febris ſatis vehemens, exſcreatio puris ſanguine copioſo mixti, augmentum pectoris dolorum, et macies, quam Cl. Auctor, methodo conſueta plenarie reſti-
p. 132. tuit. Iuuenis vero chirurgus, qui de anno 1745 uſque ad annum 1749 ſaepius ſanguinem copioſum, et dein adhuc per binos annos nil niſi pus exſcreauerat, atque in morbi principio nil niſi venae ſectiones, lactis potum et aquas minerales, ſanitatis ſtatum longe deteriorem reddentes, adhibuerat, tandem hy-
p. 142. drope mortuus eſt. Cauſam harum phthiſium, vel in eroſione pulmonum a vitio quodam maſſae ſanguineae, vel in ruptura veſicularum pulmonalium a plethora, ponit Cl. Auctor; licet hanc ultimam, et praecipue periodicam ſanguinis exſcreationem, non ſemper ulcera phthiſinque pulmonalem producere, ſed potius interdum, eodem modo, uti feminarum catameniorum fluxum, ad vitae conſeruationem, ne-
p. 150. ceſſariam eſſe iudicet. In cura vero harum phthiſium primo ſanguinis ſputum venae ſectionibus, adſtringentibus, vulnerariis, narcoticisque tollendum erit,

erit, quo facto, reliqua eadem methodo, uti in phthiſi pulmonali a tuberculis orta, tractanda ſunt. Certiſſime tamen perſuaſus eſt, ulcera pulmonum, licet a malo hereditario prouenerint, curari poſſe; ſiquidem praeter alios complures ſe puellam octode- p. 161. cim annorum (cuius parentes phthiſi pulmonali mortui erant) tuberculis pulmonum, et fere ſecundo phthiſeos gradu laborantem, anno 1751, poſt trium menſium curationem, ſecundum methodum propoſitam, a tuſſi, pectoris doloribus reliquisque ſymptomatis liberaſſe, perfectiſſimaeque ſanitati reſtituiſſe aſſeuerat.

In *quarta* tandem *ſectione de uſu lactis in phthiſi* p. 165 *pulmonali* Cl. Auctor oſtendit, cum tubercula cruda ex coagulatione lymphae oriantur, et hinc principium coagulans in liquidis totius corporis adſit, lac ab hoc neceſſario coagulari debere, et ſic non ſolum tubercula augere, ſed et noua formare poſſe. Et hinc in phthiſi hereditaria, ubi principium coagulans ſemper in ſanguine praeſens eſt, lac eo pernicioſius eſſe debet. In ſecundo vero phthiſeos gradu, ubi febris accedit, tubercula inflammantur, atque ſuppurant, poſt lactis uſum ſtatim inſequuntur ſudores nocturni colliquatiui, exſiccatio corporis maior, infarctus glandularum inteſtinalium et diarrhoea mortis praenuncia. Febris certe inflammatoria, quae in ſecundo phthiſeos gradu incipit, lactis uſum quam maxime contraindicat. In ultimo phthiſeos pulmonalis gradu lac minime omnium conuenit, ſed omnia peiora reddit, mortemque accelerat.

Prima ſecundae partis ſectio decem variorum mor- p. 197. borum obſeruationes continet, ex quibus praecipuas breuiter tantum adducere liceat. Arthriticus ſexaginta annorum, finita acceſſione durante hyeme 1745, frigori ſeſe expoſuit, ex quo urinae ſuppreſſio ſecuta eſt, quam, intra horas viginti quatuor ope clyſterum et ptiſanae diureticae curatam, biduo poſt altera ea-

 que

que pertinacior excepit. Sexto enim die extremitates oedematoſae apparebant et tranſpiratio redolebat urinam. Nono oedema aderat uniuerſale et circa noctem ſingultus frequens. Poſt varia inutiliter adhibita duodecimo tandem die ſpiritu ſalis reſtitutus
p. 202. eſt. In *obſeruatione ſecunda* virgo nobilis triginta annorum adducitur, quae menſe martio 1749 vehementibus renum doloribus una cum vomitu pertinaciter perſeuerante et cephalalgia admodum ſenſibili correpta fuit. Aquae minerales et balnea nihil effecerunt. Aeſtate vero 1750 lixiuium ſarmentorum vitis primo cochleatim et dein poculatim hauſtum magnam arenularum et calculorum copiam depulit, aegramque a vomitu et renum dolore intra quatuor-
p. 208. decim dies penitus liberauit. *Tertia obſeruatio* puellam quindecim annorum producit, quae ſingulis tribus vel ſex menſibus, vehementiſſimo, tres, quatuor, vel interdum etiam octo dies durante, ſingultu adeo laborauit, ut ſuffocationis periculum immineret, et ſanguis acceſſionis tempore ſemper per nares auresque erumperet. Poſt duodecim vero annorum ſpatium ante hos tres annos ultima vice, nouis vero cum ſymptomatibus ſtipatus reuerſus eſt. Vrina enim per octo dies parca copia ſaepe et difficulter, deinde vero liberius promanauit. Partes vero gypſeae duritiei, duas tertias partes lineae craſſae, internam veſicae cauitatem procul dubio undiquaque obducentes, inſimul per urethram egrediebantur. Omnia haec fragmenta duabus planis ſuperficiebus praedita erant, quarum altera interiori veſicae reſpondere viſa rudis et ſcabra, altera vero leuis et polita erat. Sulci quoque irregulares, rugis huius viſceris procul dubio reſpondentes, in illis conſpiciebantur. Poſteaquam igitur aegra horum plus quam quatuor uncias reddiderat, ab omni ſymptomate libera per-
p. 250. manſit. In * *nona vel potius octaua obſeruatione* contagioſus

* Loco ſeptimae enim obſeruationis ex typographi

tagioſus morbus, cum ſpecie leprae illius hereditariae inter Negros ſinus Mexici le Pian appellatae, multum ſimilitudinis alens deſcribitur. Hic morbus, qui in Neraci confiniis ineunte iunio 1752 ſe primo manifeſtauit, per ſuctionem atque lactationem potiſſimum propagatur. Infantes primo male ſe habent, emaciantur, et paulo poſt puſtulis ſcatent in toto corpore, praecipue tamen in facie, circa labia, ore interno, collo, natibus, femoribusque. Nutricibus vero hae puſtulae primo in pectore circa mammas et dein in toto corpore erumpunt. Hae puſtulae generatim circulares, durae, et parum calloſae ſunt. Quaedam ad modum parum ſuppurant, materiem flaueſcentem farinoſam emittentes, quaedam vero cruſta eiusdem coloris tectae conſpiciuntur. Vtriusque generis puſtulae interdum adeo multiplicantur, ut cruſtas fere continuas forment, in ulcera profunda cum oſſium denudatione degenerent, tandemque interficiant. Circa finem decembris 1752 iam plus quam quadraginta infantes feminaeque hoc morbo laborantes innotuerunt. Cl. Auctor quidem ulcera profunda cum oſſium denudatione ipſe non vidit, omnes tamen, quotquot eum adiere, unguento, quod ex uncia mercurii, ex cinnabari reſuſcitati atque cum terebinthina extincti, duabus unciis pinguedinis et granis viginti camphorae componebatur, linteis leuiter illinito, priſtinae ſanitati reſtituit. Infantes in quatuordecim diebus ſanati videbantur, diutius tamen unguenti applicationem continuauit, et feminis ad plenariam reſtitutionem frictiones quasdam mercuriales adhibuit. Vnguenti vero mercurialis ſine camphora applicatio ſpem boni ſucceſſus ſaepe fefellit. *Decima obſeruatio* iuuenem p. 270.
viginti quinque annorum ſiſtit, qui per quinquaginta et quinque dies ſola aqua vixit. *In undecima vel* p. 275.
potius

errore octaua legitur, qui numeri error in ſequentibus continuatur.

potius decima obſeruatione iuueni viginti trium annorum, qui per viginti minuta absque ulla reſpiratione ſub aqua haeſit, atque ex eadem extractus mortuo ſimillimus fuit, aere primum in anum immiſſo, labium inferius paululum moueri coepit, quo facto, poſt largam venae ſectionem in brachio inſtitutam, larga vini emetici doſis eidem propinatur. Hanc vero loco vomitus conuulſiones quadrihorium durantes, hasque ſudor profuſiſſimus bihorium durans excepit. Poſt iteratam venae ſectionem ſanus expergiſcitur, cum omnimoda tamen facti huius obliuione.

p. 281. Quaeſtionem medico-legalem, utrum ſigna reſtent ex quibus, vel certo cognoſci poſſit, feminam quondam partum edidiſſe, vel illam nunquam peperiſſe, negando ſoluit.

p. 296. *Altera ſecundae partis ſectio*, obſeruationes de morbis epidemicis, qui in Neraci confiniis ſub finem anni 1751 regnarunt, continet. Tempeſtas a nouembri 1750 uſque ad finem maii 1751 adeo pluuioſa fuit, ut viginti ſex circiter pollices aquae deciderent. Hanc per totam aeſtatem aeſtuoſi calores exceperunt. A menſe nouembri 1751 ad 1 iulii 1752 tempeſtas variabilis fuit, qua ſedecim tantum pollices aquae deciderunt. Vere 1751 multi longique catarrhi, dein febres intermittentes, aeſtate pleuritides ſpuriae, angina mediocris paſſim, menſe nouembri vero inter vulgus laborioſum catarrhi, febres, dolores vagi aliaque incommoda regnarunt. His parui pectoris dolores cum febre, aliis oppreſſiones pectoris ſolae absque apparente febre cum proſtratione virium et morte ſubitanea ſucceſſere. Paruas enim refrigerationes ſtatim calor, pulſus frequens turbatus, dolor ſurdus parum ſenſibilis in pectore modo verſus ſternum tendens, modo in coſtis, pectorisque oppreſſio excepit. Hi dolorem per interualla, illi ad tertium vel quartum uſque diem continuo, ambo non diutius ſentiebant, oppreſſio vero ab initio

tio ad mortem uſque ſemper augebatur. Ceſſante dolore aegri poſtero die, ſcilicet quinto, plerumque, alii vero, ſeptimo, moriebantur. Quidam laterum dolore violento per interualla cum febre, oppreſſione vero non adeo conſiderabili laborabant, et ex his longe pauciores moriebantur. Aegris cum laterum dolore, tuſſis ſicca parum conſiderabilis, iis cum dolore obtuſo exſcreationes lymphaticae, reliquis nulla tuſſis, ſed pulſus depreſſus ſaepeque irregularis accedebat. Pauci capitis dolorem, omnes linguam flauam, urinam albicantem, ſanguinemque ut in vera pleuritide habebant. Aegri parum dormiebant. Quidam ſtatim a principio plurimum continuo ſudabant, plurimi vero conatus vomendi vel vomitus, in diarrhoeam mortalem degenerantes, experiebantur. Neminem infra decimum quintum annum conſtitutum Cl. Auctor hoc morbo laborare vidit. In aegri cadauere, qui nulla febre apparente, nullo laterum dolore, nec tuſſi nec exſcreatione, ſed ſola oppreſſione vehementiſſima, vomitu, diarrhoea, quarto die ceſſante, dein ſudore ad mortem, quinto die inſequentem, uſque durante, laborauerat, ambo pulmonum lobos ſphacelatos, omnesque lobulorum cellulas lympha craſſa viſcoſa repletas, et in medio dextri lobi congeſtionem lymphae purulentae inuenit. Inteſtina tenuia vermibus infarcta erant. Ambo quoque pulmonum lobos plenarie ſphacelatos atque in cuiuslibet lobi pulmonum medio abſceſſum, pure bene digeſto et ſatis liquido plenum, pulmonesque undequaque adhaerentes in alius cuiusdam aegri cadauere, qui parua refrigeratione, febre, dolore pectoris intolerabili, oppreſſione, tuſſi mediocri per interualla accedente, exſcreatione lymphae viſcoſae, pulſu frequente turbato laborauerat, inuenit. Euaneſcentem ſub finem tertii diei lateris dolorem exceperat crudeliſſima oppreſſio, et ſub initium quinti diei mors. Alii medici pulmones itidem ſphacelatos inuenerunt.

Cauſam

Cauſam partim in tempeſtatis pluuioſae aeſtuoſaeque viciſſitudines, partim in annonam atque frumentorum corruptorum uſum coniicit. Pauperes enim plerumque multos vermes inſimul habuere, diuites non item. Quo ad medendi methodum Cl. Auctor in pulſu eleuato atque febris ſymptomatibus, nec non ſi aegri ab initio ſtatim multum ſudarent, venae ſectionem praemiſit. In depreſſo vero pulſu febrisque abſentia ſtatim vomitorium exhibuit, praecipue ſi vomendi conatus inſimul adfuerint. His perſiſtentibus atque diarrhoeae ſuſpicionem mouentibus vomitorium reiterauit, ſequentibusque binis diebus purgationem cum vermifugis exhibuit. A ſecundo die ptiſanae ex ſcorzonera, ſcordio foliisque borraginis confectae, cuius menſurae uni et dimidiae grana duodecim camphorae in ſpiritu vini ſolutae, adiecta erant, omni quadrihorio hauſtum per tres vel quatuor dies propinauit. Tertio die cuilibet ptiſanae hauſtui corticis peruuiani ſcrupulos duos iunxit vel eorum loco bolum ex corticis peruuiani ſcrupulis duobus una cum granis duobus camphorae. Ex iis, qui hac methodo utebantur, non niſi duos e vita diſceſſiſſe, aſſeuerat Cl. Auctor.

De *tertia* vero huius *libri parte*, quae diſſertationem de aeris, in ſtatu naturali et praeter naturam conſiderati, ingredientibus continet, hic partim eam ob rationem, ne fines recenſionis transgrediamur, partim vero ideo quoque nihil monemus, quia haec paruam tantum maioris longe operis ſciagraphiam ſiſtit, quod Cl. Auctor in poſterum ſe editurum eſſe promittit, ad quod perficiendum eidem vitam, otium et ſanitatem ex animo apprecamur. Quilibet enim ex modo recenſitis Cl. Auctoris diligentiam in obſeruando et dexteritatem in exercenda arte ſalutari facile perſpiciet.

praefat. pag. IX.

IV.

Diſſertatio phyſico-medica, complectens experimenta varia calorem animalem ſpectantia, Auctore ARNOLD DVNTZE, Bremenſi. Lugduni Batauorum. 1754. 4 mai. pl. 5½.

Omne animal dum viuit, calet. Atque illud eſt in primis, quod calidi innati titulo priſca admirata fuit aetas, quodque noſtra ſibi caloris nomine inueſtigandum ſumſit penitius. Multum tentarunt hac in re, neque ſine ſucceſſu, plurimi; multum tamen relictum adhuc fuit, quod detegant alii. Quid igitur eumdem in finem tentauerit Cl. DVNTZE, enarrandum nobis iam eſt paullo fuſius; quid autem inde euicerit, iudicium eſto penes lectores.

Senſus ille ſingularis, corpori animali impreſſus p. 2.
ab actione ignis in organa, ſentiendo dicata, calor Cl. Auctori dicitur, cognituque valde difficilis eſt, abſolutum in primis eius ſtatum ſi conſideres. Variat enim in omni viuo corpore, certaque, quam ſequatur, nondum inuenta fuit lex. Neque clarior certiorue relatiui datur cognitio. Nam cauſam eius, ignem quamuis noueris, huiusque metiri queas gradus, varius tamen ſaepius atque contrarius eſt effectus. Feruente aeſtate interdum hunc calor urit, illum contra frigus; horrorem febrilem nulla profecto exſtinguit caloris externi vis. Conſtantiorem tandem caloris cognoſcendi metiendique rationem docuit ſcrutatores illa ignis vis, quae corporum auget volumen, rarefactionis nomine cognita. Vnde thermometra inuenta. Ex quibus eminet placuitque in primis Cl. Auctori Farenheitianum. Senſum autem hunc, calorem percipit et animal, quod calet, et cum aliis quoque, vario licet modo, communicat. Hinc, quae determinatum aliquem caloris gradum ſeruant, licet calor medii, in quo degunt, ſatis notabi-

tabilem ſuſceperit mutationem, *calentia;* quarum vero calor eadem in proportione, qua calor medii, quod obtinent, commutatur, *frigida* dicuntur animalia, licet abſolute talia nulla dentur; gradu enim caloris, quam medium, maiori adhuc gaudent.

p. 4. Cauſam porro caloris ſi poſtules, externa alia eſt, alia interna. Illam cum reliquorum corporum caloris cauſa communem, ignem puta, obtinet. Haec vero, tamquam differentia caloris abſoluti animalis a calore medii, in quo verſatur, animali corpori propria eſt, prorſusque ſingularis; mutua nimirum vaſorum eius fluidorumque in ſe inuicem actio, nataque inde frictio cauſa haec eſt, eaque proxima. Frictu autem fluida aeque, ac ſolida, incaleſcere, ipſa aqua confirmat, numquam congelaſcens in riuulis rapidiſſime decurrentibus, omnisque liquor pinguis, valido agitatus motu. Opus inde haud eſt, cum Cl. CROMWELL MORTIMER phoſphoricas ſibi in fluidis noſtris fingere particulas; nullam umquam calo-
p. 6. rem ciet phoſphorus. Neque veritati reſpondet illa caloris interni in animalibus geneſis, quam a contractione vaſorum minimorum per frigus externum deriuauit Cl. ROB. DOVGLASS. Quod ſi cum vaſorum diametris, illos globulorum ſanguinis proportionatim minuit frigus, quis erit et quo modo attritus? Deinde non niſi in pulmones et ſuperficiem corporis quum agat frigus; in pulmonibus autem ipſe adſumat ſanguinis refrigerium; ſuperficies corporis etiam uno vel duobus gradibus minus caleſcit, ac internae partes, teſte experientia; ubi igitur a frigore calor animalium?

Tandem quoque motus internus ſanguinis, quem Cl. STEVENSON ſtatuit inter fermentationem atque putredinem medium, poſitaque in venis, ac inprimis in duarum cauarum concurſu, caloris ſedes, ne refutatione quidem indiget, ficta ab ingenio, naturae repugnans phaenomenis.

Ab

Ab hac iam poſita cauſa ad calorem iterum redire iuuabit. Qui quidem internus vitae perficiendae quum haud ſufficiat, calorem ambientis medii neceſſario poſtulant animalia. Hic ipſe nullibi licet deficiat, datur tamen eius gradus minimus, vitae uſum impediens. Quis ille ſit gradus, definire valde eſt difficile. Tentarunt id in Lapponia Cl. MAVPERTVIS, et in Sibiria Cl. GMELIN. Vltimum vero, p. 9.
quem ferre queant animalia, caloris gradum euincere auſum fuit frequentius. Nonageſimum eſſe eumdem, duce BOERHAAVIO, affirmarunt adhuc plurimi; nuperioribus autem ex obſeruationibus, in Carolina 1738, iunio menſe, Cl. LINING caloris 98°, idem 1751 iulio menſe eius 100°; Cl. REAVMVR in Syria 98°, in Senegallia $103\frac{10}{2}$°; eumdem gradum Aſtracaniae notauit Cl. LERCHE, ſuſtinerique ab incolis 108°, imo 116° ad integram uſque horam, commemorat. Ipſe Cl. Auctor Gottingae 1750, iulio menſe ad 95° euectum in thermometro vidit mercurium *. Vt vero accuratius in hanc rem inquireret Noſter, in animalibus viuis varia eo lubentius inſtituit experimenta, quo celebriorem ducem, BOERHAAVIVM**, eadem qui fecerat, ſequi licuerit. Delegit ſibi igitur hunc in uſum conclaue, longum p. 11.
pedes $8\frac{1}{2}$, latum $6\frac{1}{2}$, profundum 6 pedes, cuius alterum latus duobus fornacibus ferreis inſtructum erat, nulla patente ianua, praeter quam quod ſuperiori operculum, ex aſſeribus ligneis craſſiſſimoque linteamine confectum, ſuperimponeretur aperturae. In quo dein thermometrum proxime ad fundum, a fornacibus remotiſſime locauit, munitum inſuper ligneo aſſerculo, ne laederent id animalia, foramine tamen

* Ex Tranſact. philoſ. Vol. XLVII. n. 3. obſeruationem Cl. PRINGLE, qui militem viderat viuere adhuc in calore 103 graduum, ipſi olim indicauimus in Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 6.

** Conf. eiusd. Element. Chem. Tom. I. p. 275.

tamen exciſo, ut calorem admitteret libere. His ita praeparatis, Cl. DVNTZE iteratis vicibus, huic caldario intruſit canes diuerſi ponderis, coloris, aetatis et magnitudinis, auxit ſenſim calorem caldarii, obſeruans attente et gradus thermometri, et temporis interualla, ipſaque, quae ad mortem uſque experiebantur canes, ſymptomata; exemtos poſt mortuos diſſecuit, et, quae ſeſe ipſi obtulerunt, adnotauit phaenomena; quibus denique inter ſe et cum aliorum obſeruatis comparatis, ſua adnectit corollaria, maximi omnino nobis viſa momenti. Ipſam experimentorum enarrare ſeriem, diffuſum nimis eſſet, iuuabit tamen praecipua inde hic adducere phaenomena, Auctorisque de iisdem addere iudicium:

p. 23. Primum igitur, quod notari meretur, gradus eſt ille caloris ultimus, quem ferre potuerunt iſti canes. Moriebatur enim canis primus in aeſtu 113° minore; alter in 115°; tertius in 122°; quartus in 110°; quinti experimenti primus in 106°; alter in 126°; tertius in 119°; ſexti tentaminis primus in 126°; alter in 119°; tertius in 108°; quam diuerſitatem caloris ultimi colori haud tribuit Cl. Auctor ideo, quod, nigri coloris qui erant, primus; alter, quinti tentaminis ſecundus, ſextique experimenti primus varium aeque ſuſtinuerunt aeſtus gradum, ac reliqui colore fuſco vel albo praediti, licet nigri aethiopes maiorem dicantur ferre prae albis Europoeis calorem. Intenſiorem porro haud ſuſtinent canes in directa ratione temporis quo calor intenditur. Nam quum primo cani horis V, 20′ a 67° ad 113° increuerit applicatus calor, adeoque gradibus 46; ſecundo horis IV, 20′ a 64° ad 115°, adeo gradibus 51; tertio horis V, 20′ a 67° ad 122°, hinc gradibus 55; ſexto VII. horis a 65° ad 126°, hinc 61°; ſeptimo horis V, 30′ a 65° ad 119°, inde 54°; decimo horis IV, 30′ a 62° ad 116°, hinc 54°, vix definiri inde poterit certus ultimusque ille caloris gradus; diuerſusque adeo in eiusdem ſpeciei

ciei indiuiduis effectus illius a peculiari forte pendet animalium horum ſtructura. Internum porro diſquirens calorem, immiſſo trium horum canum abdomini thermometro, inuenit Noſter prioris canis calorem 110°, externo aëris exiſtente 146°, reſpirauitque inde aerem 36° calidiorem: reliquorum duorum in abdomen intruſum thermometrum deſcendit ad 109° et 108°, aeris calor dum erat 116°. Quibus omnibus iam rite ponderatis, et cum BOERHAAVII ſententia comparatis, quem tale animal, ſalua vita, ferat, caloris gradum extremum, dubius licet adhuc Cl. DVNTZE, ponit centeſimum et decimum, Cl. HALES equidem ſummum febrilem aeſtum dicit eſſe 136°; Cl. MARTINE in intermittenti febre eum 108°, ſimilemque in febre podagrica Cl. SCHWENKE obſeruarunt. Ill. BOERHAAVE meminit in ca- p. 27.
ne, calore enecto, ſe percepiſſe immanem foetorem; Noſtri autem in decem repetitis experimentis canes ſtatim poſt mortem exhibuerunt prorſus nullum. Forte tamen illo in indiuiduo ſingularis latuit foetoris tanti cauſa; fortaſſe etiam Cl. FARENHEIT, qui fecerat tentamina, nimis terribilis tantum viſus eſt idem. Hinc quoque ea, quae ex unica illius obſeruatione deduxit corollaria Cl. BOERHAAVE, admitti facile non poſſunt. Huc referri debet ſaliua, quam rubram Cl. BOERHAAVE, copioſam quidem et mucidam, numquam tamen rubellam, Noſter obſeruauit. Miratu dignum eſt praeter ea illud, quod canes, aeſtu enecti, poſt mortem rigeant, flectique ſtipitum inſtar non poſſint, quod alio mortis genere iugulati non patiuntur. Neque ſudarunt canes, felis autem obſeruante BOERHAAVIO ſudauit largius: an in epidermidis animalium horum peculiari ſtructura latet cauſa? Singulare porro phaenomenon prae- p. 30.
buit inflammatio, per totum fere canum enectorum corpus diffuſa, diuerſa tamen in variis. Quos enim ſtatim poſt mortem ſecuit, leuem eam oſtenderunt;

quos duodecim horas poſt mortem aperuit, tantam, quantam vix produceret iniectio anatomica; neque magna haec obſeruata fuit in cane ſuſpenſo, ſtatimque poſt obitum diſſecto; hinc cauſa eiusdem ponenda omnino eſt in tanta humorum reſolutione, ut corporis ſuperficiem ſponte inundauerint. In reliquis canibus, altero die diſſectis, inflammata viſa ſunt cutis, muſculi, ventriculus, inteſtina, hepar, lien, cordis ſuperficies, meninges, cerebri cortex; in ſecundo contra et quinto cane pulmones leui modo tincti phlegmone erant, cerebri vero vaſa turgebant ſanguine; cor anterius et vena caua exhauſta cruore, poſterius autem turgidum ſanguine fuerat. Mira omnino haec viſa fuit Cl. Auctori res, quam tamen ita explicat, ut cor ſiniſtrum in duobus his canibus ideo fuiſſe affirmet ultimum moriens, quod non in pulmonibus, ſed in arteriarum finibus venarumque dextri cordis principiis impedimentum oppoſitum fuiſſet.

p. 33. Aliud phaenomenon obtulit, idque ſingulare prorſus, cordis caro albicans, valdeque rubens eius ſuperficies, quod viſum ita non fuit in laqueo iugulatis. Actione pallere muſculum vulgaris quamuis eſt opinio, in ranis vera inuenta; rubere tamen cor, contractum licet, quum monſtrauerint diſſectores, contractioni muſculoſae tribui inde vix poterit phaenomeni huius ratio, forte tamen aliquid contulit eadem ſumme anxia. An ſanguinis viſciditas in cauſa
p. 34. ſit, dubius haeret Noſter? Huc accedit et illud, quod aer in omnes celluloſitates, partes glanduloſas venasque eruperit in iſtis canibus. Cuius quidem cauſa praecipua videtur eſſe putredo. Id, quod confirmant Cll. HALLERI, HALESII, SCHWENKII obſeruationes, aerem nimirum ex ſtatu ſuo non elaſtico in elaſticum interdum in vaſis ſecedere, bullulisque ſeſe prodere. Vel in viuente id eueniſſe Cl. SCHWENKE exemplum habuit virginis, cuius venas

nas poſt mortem, quae fuit ſubitanea, inuenit turgidas aere, mortisque huius cauſam poſuit in tali receſſu aeris.

Attentionem quamdam adhuc merentur etiam p. 36. rubrae illae maculae, in aeſtu enectorum inteſtinis ſparſim natae, in ſuſpenſis fune canibus nullae viſae. Quas tribuere putredini dubitat Cl. Auctor, arbitratus potius, viuis adhuc canibus natas iam fuiſſe easdem, quum in cane etiam, cui venam inciderat ante mortem, licet dilutiori cum rubore, apparuerint: Quin in homine, qui febre catarrhali maligna obierit, easdem ſe vidiſſe meminit Noſter.

Tandem etiam, quanta ſit in aeſtuoſis morbis p. 37. venae ſectionis utilitas, ex illo patet experimento, quo canis ab inflicto abdomini vulnere, immiſſoque huic thermometro, nihil ſenſiſſe videbatur, quin incisa poſt vena iugulari, ad ſe rediens inſiſtebat pedibus, triaque per minuta progreſſus, demum morti ſuccumbebat. Sanguis enim eius confeſtim et altero die apparuit floridus, ſanoque ſimilis, abiens in coagulum, ſupernatante ſero, nulla cruſta inflammatoria nulloque moleſtus foetore; reliquorum contra ſanguis viſcidus fuit, tenax, in fila ductilis. Putredinem inde minus patet liquaſſe iam hunc ſanguinem, illud forte potius inde comprobatur prognoſticon, ſanguinem, in morbis malignis e vena miſſum, quo ſanior appareat, eo maius portendere periculum.

His ita expoſitis, ad finem properans fatetur Cl. DVNTZE, multa adhuc aliorum diſquiſitioni ſe relinquere, tum quae acutarum febrium doctrina doceat, tum quae medicina praeſtare poſſit applicata inter cruciatus illis animalibus.

V.

Diſſertatio inauguralis medica, ſiſtens experimenta quaedam circa ligaturas neruorum in viuis animalibus inſtituta Auctore IOANNE HENRICO A BRVNN, ciue Helueto-Scaphuſiano. Gottingae, 1753. 4. mai. pl. 7.

Quanto difficilior, licet certior, ad veritatem per experimenta panditur via, tanto excellentiorem eadem progreſſi merentur omnino laudem. Inter plures, hoc nomine iam laudatos, Gottingenſis Academiae ciues, ſupereſt adhuc, qui eamdem ſuo iure a nobis poſtulat, Cl. A BRVNN, dignus auitae virtutis heres. Experimenta eius teſtes ſunto!

p. 2. Primum quidem, in animalibus generationem obſeruaturus, Cl. Auctor multos canes et cuniculos utriuſque ſexus ſibi coemerat, locoque ſeparato, ut non niſi ipſo praeſente coirent, incluſerat; ſed coire quum recuſarent, veneris ſtimulum forte numquam ſentientes in carceribus, laboris huius pertaeſus, aliam ſibi elegit, eamque arduam, materiem; neruos etenim, brachiales, iſchiadicum et vagum ſeu octauum, ligare in viuis animalibus feliciori cum ſucceſſu auſus fuit, obſcuramque adhuc neruorum doctrinam, factis ſimul accurate obſeruationibus, p. 6. egregie illuſtrauit. En primaria! Canis a ligato cum arteria neruorum brachialium plexu, inter operationem conuulſus valdeque clamitans, mox hilaris ambulauit, altero die mouere brachium, eique inſiſtere non potuit; tertio die mortuus eſt; nihil vero in vulnere, nihil in neruis viſum ſingulare. Alius canis, cuius neruum medianum tantum filo craſſo ligauerat, poſt leues concuſſiones, plures dies inde nihil mali ſenſit. Idem vero canis, cuius neruorum brachialium plexum absque arteria filo tenui in altero latere conſtrinxit, inter ligandum contortus miſere eiulansque

que vehementius, poſt triſtis, vacillans, tribus nixus pedibus inceſſit, mox nihil ciborum, poſt parum appetiit, quintoque die tandem obiit; vulnus ſuppurare coepit foetide, neruis diſruptis viſis.

Inde iam patet, neruos eſſe inſtrumenta motuum voluntariorum. Perit enim motus in artu a ligatis eius neruis; manet integer, unico ligato, reliquis liberis relictis neruis. Corruit ergo ſimul illa hypotheſis Cl. THOM. SIMSONIS *, motum minime fieri per neruos, eos eſſe tantum vaſa nutritia, cerebrum vero ſucci nutritii receptaculum; id, quod inde probarunt alii, quod artus, cuius ligantur nerui, contabeſcat. Sed neque Cl. VALSALVA ligato in aneuriſmate neruo, neque Ill. HALLERVS neque Cl. BRVNN ullam umquam a ligatis neruis obſeruarunt atrophiam. Illi forte cum neruo arteriam ligarunt, ut inde ſecuta ſit contabeſcentia. Vis ergo neruos nutriens dubia omnino eſt. Cl. Auctoris obſeruata confirmant potius Cl. VESALIVS ipſiusque auus BRVNNERVS. p. 10.

At vero brachiales neruos ligare, ob vicinam arteriam magnam, multosque ſimul muſculos diſſecandos, valde difficile quum eſſet, auſum potius fuit in inferiori extremitate filo conſtringere iſchiadicum neruum. Quo in cuniculo, qui cutis ſectionem tranquille paſſus eſt, dein volſella tacto, omnes femoris pedisque muſculi tremere coeperunt, neruus non aeque; mox, ubi ligatur, conuellitur clamatque vehementius beſtia, poſt triſtis, auide licet cibos petens, crus reſolutum et immobile trahit; vulnus licet lauatum fuerit lacte, tertio tamen die inter conuulſiones periit: vulnus ſuppurauit, neruus integer, nihil mutatus fuit. Canis robuſtus a ligato eodem neruo, eadem patiens ſymptomata, itidem pedem habuit motu ſenſuque carentem: ſcalpello ſaepius ictus nihil ſenſit, doluit vero valde, ſupra ligaturam p. 14.

 tactus;

* Conf. Comment. noſtr. Vol. II. Part. III. p. 461 ſeqq.

tactus; viceſimo poſt die mortuus fuit; vulnus pure ſcatens foetuit; neruus ſtatim non occurrit, dein diſruptus viſus. In cane alio eadem tentata ſunt cum eodem euentu; vulnus autem, quum iam ſanatum eſſet, cute iterum reſecta, ſcalpello irritatus muſculus ſubiacens mox tremuit, idque diſciſſus vehementius, quieto ceterum cane nihilque inde ſentiente. En! praeſentem adhuc irritabilitatem, ſublata ſenſibilitate. In alio denique cane eumdem quaerens neruum, diſcidit Noſter venam et arteriam, huiusque ſanguinem proſilientem ſimul obſeruauit venoſo multum rubicundiorem: quo ſedato profluuio, ligatoque neruo, eadem, ac in priori, euenerunt. In mortuo poſt cane, vulnus pure ſcatuit, neruus vero diſruptus erat pureque inquinatus.

p. 21. Ex quibus omnibus iterum iam palam fit, neruos eſſe organa ſenſus et motus, cauſamque eius in ſingulis partibus haud reſidere, ſed animam in ſolo ſenſorio communi ſuam in organa reliqua exercere actionem. Senſus enim motusque tollitur infra ligaturam, ſupra eam non aeque. Male ergo affirmat ROB. WHYTT*, animam totum per corpus diffuſam eſſe, et immediate ubique agere. Illud autem porro quaeritur, utrum inuolucri, an contenti ope agant nerui? A meningibus neruos falſo deriuant Cl. MISTICHELLI et BLASIVS; ſine meningibus enim molles dantur nerui in cerebro, ſenſuque carent meninges, medulla cerebri vero ſenſiliſſima eſt obſeruata. Neque elaſtici, inſtar chordarum tremunt nerui; molles enim et pulpoſi in principiis et finibus, diſciſſi longiores potius fiunt, quam breuiores, debiles nimium, ut trahendo agerent, debilioresque euadunt aetate et immobiles, quum deberent fieri fortiores. Sunt itaque canaliculi caui nerui. Quorum oſcula oculus non videt, licet eadem ſe vidiſſe putet Cl. LEEVWENHOECK, neque detegit iniectio; probat

* Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 589.

bat autem continuata ex cortice vaſculoſo cerebri medulla, eiusque nutritio vaſculoſam ipſius et neruorum fabricam. Fluidum porro quoque in ſe conti- p. 27.
nent nerui. Quod quidem oculi fugit aciem; quod neque Cl. MALPIGHIVS neque Cl. BELLINVS in cauda bubula diſſecta, ſed ſynouiam viderunt; quodque non probat intumeſcentia, quam obſeruarunt Ill. MOLINETTI et WILLISIVS, prorſus numquam Noſter. Fibrillae enim nerueae, nimis tenerae, facilius diſcindi, quam comprimi poſſunt. Fluidum vero probat ſecretio, ex multo ſanguine, quae debet perfici in cerebro.

Natura autem liquidi neruorum quaenam ſit, va- p. 29.
riant Auctorum ſententiae. Spiritus credidit HIPPOCRATES et GALENVS aereos eſſe; acidos eosdem ſtatuit WILLISIVS, BORELLVS et BELLINVS; ſpicula quoque ipſis tribuerunt uterque BERNOVLLI; eadem et vim attractilem adſumſit KEILIVS. Sed ficta haec potius ingenio, quam naturae reſpondent commenta. Electricam, quam noſtra aetas detexit materiem, ſubtiliſſimam, in corporibus diffuſam, agentemque celerrime, ideo fluido neruorum aptam putarunt nonnulli. Eam vero profecto non impediuiſſet vinculum, compreſſio et deſtructio nerui, ſi fuiſſet electricum liquidum nerueum. Inde neque haec placet hypotheſis. Enim vero Cl. Auctorem experimenta quum docuerint, fibram muſcularem eſſe irritabilem, neruos autem non aeque; illamque irritari facilius a blando ſtimulo, quam acri, facilius ab aqua et aere, quam a veneno; materiem illam, colligit inde, muſculos irritantem eſſe debere blandiſſimam. Atque haec erit etiam fluidi neruei p. 34.
indoles, blanda, ſubtiliſſima, celerrime agens, ad irritationem muſculi aptiſſima; qui ex eius defluxu celerius et fortius, quam ab acri irritante, contrahitur. Continuus igitur fluidi huius adfluxus in muſculos vitales motus perficiet; voluntarios autem de-

riuatum illud ab anima in determinata loca. Quo
modo id perficiat anima, latet; certum tamen illud
eſt, eam in cerebro, non in finibus neruorum ſuam
p. 36. exercere actionem. Confirmat id exemplum. Femina,
cuius pedem, in inferiori parte carie exeſum,
rite amputauit chirurgus, aliquot dies poſt diros dolores
paſſa in loco, ubi caries fuerat, ſanaeque licet
mentis, pedem amputatum fuiſſe, vix ſibi perſuadere
potuit. Certe, ſi in finibus neruorum ſentiret,
falli non potuiſſet anima.

Supereſt adhuc illud corollarium, quod ſibi dictum
eſſe velint chirurgi, ut nimirum in amputandis
artubus a ligandis ſimul cum arteria neruis ſibi caueant
ſedulo, vehementiſſima inde quum ſequantur
p. 37. ſymptomata. Vltimo tandem loco deueniendum
iam eſt ad ea, quae ligato octauo ſeu vago neruo obſeruauit
Cl. Auctor. Ab eodem in dextro latere ligato
canis, inter operationem vehementer conuulſus
clamitansque, poſt quietus iacuit, ciboſque recuſauit
omnes. Qui quum aliquot diebus poſt e vulnere
conualuiſſet, cibos iterum appetens, eius neruus vagus
in ſiniſtro latere ligatur. Conuulſus, nullum amplius,
licet tentaret, edidit clamorem; mox vomere
coepit aluumque deponere, et id conatus fuit ſaepius;
cibos reſpuit; aerem non niſi erecto collo captauit;
ſequente die mortuus. Vulnus fuit recens,
nihil mutatum; ventriculus diſtentus, ciborum ma-
p. 40. terie viridi, putrida refertus. Cuniculus, a ligato
in utroque latere neruo vago, mox concuſſus valde
ſuſpiria edidit ciboſque recuſauit; breui poſt vomuit,
fluente ſimul ex ore et naribus materia viridi, ſpumoſa;
reſpirans difficillime, altero die periit, ſimili materie
in ore, naribus, oeſophago, ventriculo et inteſtinis
inuenta. Alius cuniculus, fuſcus cum pupillis
fuſcis *, ligato in dextro latere, craſſioris fili ope,
neruo

* Quum candidi cuniculi tantum rubras, fuſci vero
omnes fuſcas habeant pupillas, erroris commiſſi ac-

neruo octauo, nihil ſentiens incommodi, bene valuit, aliquot tamen dies nullas reddidiſſe foeces viſus eſt. Eiusdem neruus, in altero latere filo craſſo ligatus, nihil quoque mali concitauit: ex ligato autem iſchiadico neruo mortuus eſt idem, nihil tamen in vulnere neruoque octauo mutatum exhibuit.

In alio deinde cuniculo totum quum diſcinderet Cl. Auctor in utroque latere neruum vagum, anxie lamentans ille vehementer contorquebatur, quietus poſt factus, cibos, quos paullo ante appetiit, prorſus faſtidiuit; tertio die in latus dextrum proſtratus, reſpiransque difficile, inter conuulſiones obiit, nullis per tres dies redditis foecibus. Ventriculus diſtentus paucis contentis foetidis; inteſtina tenuia inania flatuque expanſa; craſſa vero ſimili, ac ventriculus, putrida materie referta fuerunt. p. 43.

Obſeruata iam phaenomena facile explicantur ex nerui dicti ortu et diſtributione in variis corporis animalis partibus facta. Quorum primum notari meretur conuulſio partis, ad quam ligatus neruus adit, uti patet ex experimentis Cl. Auctoris. Hinc ex conſtrictis vel diſciſſis octaui paris neruis cor palpitare vidit Cl. BORELLVS et WILLISIVS. Quo plures p. 45. autem et maiores nerui aliquam ad partem adeunt, eo maiores ab his ligatis ſequuntur effectus. Patet id ex vehementi vomitu animalium iſtorum; ex motu periſtaltico inteſtinorum inuerſo facto; ex bilis indole mutata; ex appetitu, ſenſuque ventriculi prorſus ſublato.

Aliud, idque notatu dignum phaenomenon exhi- p. 47. bet ſublata ex ligato neruo octauo animalium vox. Vidit idem Cl. MORGAGNIVS et ENS aliique viri clariſſimi. Probat anatome illud, quae multos ramos eius abire monſtrat ad laryngem huiusque muſculos

cuſatur Cl. LINNAEVS, quod definiat in ſyſt. nat. pag. 9. cuniculum eſſe *leporem cauda abrupta, pupillis rubris.*

ſculos. Cor quoque non nullos neruos in homine, plures et maiores in brutis a pari vago quum accipiat, hoc ipſo ligato, debiliorem reddi cordis motum, obſeruarunt Cl. LOWERVS, ENS, atque WILLISIVS. Id, quod confirmant Cl. Auctoris obſeruata. Sed ubi praeter vagum alios adhuc integros neruos cor habuit, ex ligato vago non ſubito perierunt animalia. Vixiſſe enim ab hac ligatura eadem per unum alterumque, imo plures dies, affirmant Cl. BORELLVS, WILLISIVS, PETITVS, et Noſter. Poſt viginti demum horas perire inter tremulos motus animal, ab octauo et intercoſtali una diſciſſis neruis, vidit Cl. VIEVSSENIVS. Sed omnes et minimos, quos cor accipit ab intercoſtali et vago, neruos ligare nullus quum poſſit, relictis quibusdam liberis, facile perdurare potuit vita. Inde inedia pluresque aliae fuerunt adhuc mortis huius animalium cauſae.

p. 50. Tandem conſenſum partium in corpore animali in primis hic octauus neruus illuſtrat: quatenus autem idem rite et naturae conuenienter debeat explicari, aut quatenus eodem alii abutantur in explicandis variis phaenomenis, intactum relinquens Cl. BRVNN, labori ſuo finem imponit, maiorem autem, id ſi inueſtigare ipſe aggrederetur, penes omnes, veritatis amantes, ſibi conciliaturus gratiam.

VI.

Traité de la Goutte, dans lequel, après avoir fait connoitre le caractere propre & les vraies cauſes de cette maladie, on indique les moyens les plus ſurs pour la bien traiter & la guérir radicalement. par Mr. CHARLES-LOVIS LIGER, Docteur-Regent de la Faculté de Medecine en l'Univerſité de Paris. A Paris, Chez la Veuve Quillau, et Nully, 1753. In 12. plag. 16½. ſine praefat.

i. e.

Tractatus de Arthritide, in quo, charactere proprio cauſisque huius morbi veris antea declaratis, certiſſima eum rite tractandi radicitusque curandi remedia indicantur. Auctore CAROLO LVDOVICO LIGER.

Dirum, diuturnum periculique plenum morbi genus, arthritidis nomine, mortales ab omni aeuo adeo excruciauit, ut Cl. Auctori, ob hunc in ſe ſuſceptum laborem, quo et veram eius cauſam medendique methodum, parum antea cognitas, clariores reddere, firmiterque ſtabilire tentauit, non paruae debeantur grates. Totum vero opus in tres partes diuiſum deprehendimus. In prima huius libri p. 1.
parte ſyſtemata, quae praecipui ſcriptores, ut HIPPOCRATES, GALENVS, AETIVS, ALEXANDER TRALLIANVS, PARACELSVS, HELMONTIVS, SENNERTVS, FERNELIVS, SANCTORIVS, SYLVIVS et BOERHAAVIVS ſibi de cauſa articularis morbi formarunt, in quatuor capitibus diſquirit, eademque omnia vel prorſus, vel ex parte tantum reiicit. In parte ſecunda in quindecim capitibus cau- p. 42.
ſam huius morbi primariam diſquiſiuit et praediſponentes detegere ſeduloque deſcribere ſtuduit. Initium vero

vero fecit a morbi hiſtoria eiusque progreſſu, illamque in certas epochas diſtinxit. Tertia huius libri
p. 204. pars et praeſeruandi et curandi methodum variarum huius morbi ſpecierum in quatuordecim capitibus tradit. Sub finem tandem quaeſtionem medicam, an
p. 370. arthritidi ſapo? anno quadrageſimo ſeptimo huius ſeculi, a Cl. Auctore Pariſiis propoſitam, recudere curauit. Ratione igitur libri ſic expoſita, pauca quoque, eaque praecipua nobis viſa, cum lectoribus noſtris communicabimus.

p. 54. Arthritis HIPPOCRATIS tempore extremitatum articulationes tantum inuaſit, doloroſa quidem, neutiquam vero periculoſa, nec lethifera, nec adeo frequens fuit. GALENI tempore ob maiorem hominum intemperantiam iam longe frequentior obſeruata fuit. Infantes enim haereditario iure illam iam contraxere. Feminae quoque et eunuchi, antea immunes, illa corripiebantur. *Regularis* adhuc iam *irregularis* et periculoſa facta fuit. GALENVS enim prima vice obſeruauit, aegrum a retropulſione ab extremitatibus in pulmones ſubito ſuffocatum eſſe. Haec irregularitas ſuffocatioque, a retrogreſſa materia, quarto quintoque ſeculo longe frequentior facta eſt, et ſeculo, poſt C. N. ſeptimo, PAVLI nimirum AEGINETAE tempore, hicce morbus non ſolum extremitatum, ſed etiam trunci, coſtarum et maxillae inferioris articulationes inuaſit. Humor quoque arthriticus, ſua ſponte et absque ulla per topicam repercuſſionem data occaſione retrogreſſus, guttur, pulmones, hepar atque lienem male habuit, quarum prior *arthritidis vagae*, poſterior vero nunc *ſua ſponte retrogreſſae* nomine inſignitur. In hiſce tandem ultimis ſeculis duas adhuc ſpecies irregularis arthritidis detexerunt medentes, quarum una *indeterminata* appellatur, quia inuaſionem in omnes corporis noſtri partes externas aequaliter minatur, altera

vero

vero *irregularis proprie ſic dicitur*, et haereditariae arthritidis ſolius fructus eſt.

Harum tamen omnium ſpecierum cauſa tantum unica deprehenditur, quae in continuato uſu bene digeſtorum nutrientium ciborum potuumque plurimum mucilaginis ſeu potius viſcidi continentium, et hinc in abundantia lymphae ſpiſſae ſeu viſcidae conſiſtit, a qua natura ſeſe generatim per depurationis quandam ſpeciem liberare conatur. Exiſtentia huius mucilaginis in humoribus non ſolum ex inſpectione partium afflictarum in paroxyſmo, ſed etiam ex pulſu lento cognoſcitur. Certiſſimum vero ſignum ex ſanguine deſumitur, quod in materia quadam albicantis coloris conſiſtit, quae ſupernatat, et in pleuritide et pectoris defluxionibus eductae ſimilis eſt, excepto eo, quod non adeo firmiter cohaereat uti in plurimis harum poſteriorum obſeruatur. Hicce enim color a parte ſanguinis fibroſa abundante oritur, quae ideo arctius cohaeret, quoniam viſcoſitate quadam ſeu glutine illi alieno, ad modumque tactui ſenſibili, praedita eſt; quod phaenomenon non niſi in arthritide ſola occurrit. Haec arthritidis cauſa ex eo quoque facile cognoſcitur, quod ipſa in quibusdam prouinciis *endemia* in aliis vero interdum *epidemica* deprehenditur. In Cenomania v. c., Normandia Flandriaque, ubi endemia eſt, potulenta, et in prioribus quidem vini genera, ex pomis pyriſque confecta, in Flandria vero cereuiſia, et in aliis tandem prouinciis, ubi endemice graſſatur, vina hunc morbum producunt. Haec enim ob mucilaginem ſolam, et neutiquam ob ſalia, acidum, ſpiritus atque tartarum peccare, ex eo patet, quod vina burgundiaca, campana, hiſpanicaque hiſce principiis maxime abundent, neminemque tamen iis utentem arthritide affliciant; cum e contra vina moſchata et condriacenſia pauculum horum principiorum contineant, et tamen facile arthritidem procurent.

p. 62.
p. 75.
p. 82.

Vinum

p. 88. Vinum ex pomis confectum ad procreandam ar-
thritidem aptiſſimum potus genus, dein cereuiſiam,
et tertio tandem loco, reliqua vina ponenda eſſe.
Quo minus vero limpida et tranſparentia ſunt, quo
plus ſpumae generant ex uno vaſe in alterum effuſa,
quo fortiora ſunt, et hinc quo plus mucilaginis in
paruo volumine continent, eo quoque aptiora ſunt
ad generandam arthritidem. Ii tandem, qui ab hi-
ſce potibus abſtinuerunt, et tamen arthritide la-
borant, talia certe alimenta ſolida amant, quae plu-
rimum mucilaginis continent. Nutrientia enim
amant, et alimenta eo plus nutriunt, quo plus mu-
cilaginis continent, qualia ſunt iuſcula ſaturata et ci-
bi per longam coctionem penitus diſſoluti, nec non
vegetabilia, aquoſa ſua parte, per artem culinariam,
p. 96. orbata, et in mucilaginem fere redacta. E contra
vero alimenta et potulenta earum regionum, quae
ab arthritide immunes ſunt v. c. burgundia, campa-
naque, parum mucilaginis continent. Vina enim
burgundiaca campanaque, optima ſane aptiſſimaque
ad conſeruandam reſtituendamque ſanitatem, longe
plus ſalis acidi et ſpirituum continent, quam reliqua
vina. Ob abundantiam vero horum trium principio-
rum mucilago deſtruitur, et ſaponacei quid exinde
producitur. Vina quoque burgundiaca ſaponacea
virtute gaudere ex eo ſatis eluceſcit, quod linteis al-
bis inſperſa, ea non maculent, ſed maculas potius
nouiter inductas eluant. Quodſi igitur in hiſce pro-
uinciis, ab arthritide alias immunibus, hic morbus
p. 105. interdum epidemice graſſari deprehenditur, hoc tan-
tum in annis non ſalubribus continget, in quibus
uuae perfectam non acquiſiuerunt maturitatem, et
vina inde confecta plus mucilaginis, minus vero ſa-
lis acidi, et ſpirituum continent. Haec mucilago
vero in humoribus noſtris praeſens arthritidem non
producit, niſi abundet. Semper enim adeſt in hae-
reditaria, nec non in adquiſita arthritide, paroxyſmi
tamen

tamen non excitantur, niſi abundet, naturaque ſeſe per ipſum paroxyſmum ab illa liberare ſanguinemque depurare tentet.

Haec abundantia autem vel *vera* vel *ſpuria* eſt. p. 175.
Vera eſt quantitas materiae mucilaginoſae in vaſis contentae tanta, ut moleculae in maſſa humorum amplius ſuſpenſae teneri nequeant. Haec vero rurſus eſt vel *naturalis* vel *accidentalis*. *Naturalis* eſt abundantia mucilaginis ſolius in humoribus, atque unice a diaeta mucilaginoſa dependet, primaeque arthritidis acceſſiones, ſimplices, longoque temporis interuallo demum redeuntes illi tribuuntur. Quodſi vero haec naturalis per aliquot annos perſtitit, tunc in *accidentalem* mutatur, in qua praeter humorem arthriticum ſimul quoque alii humores abundant. *Abundantia ſpuria* vero a relaxatione nimia vaſorum dependet, nec non ab immoderatis corporis exercitiis, vigiliis, ira, gaudio, a potu irregulari vini ſpirituoſorumque producitur, et adeſſe cognoſcitur, ſi paroxyſmus aegrum vel ante conſuetum tempus inuadit, vel ſi aeger unum tantum, vel duos decubitus (depots) experitur quatuor aut quinque alias in uno paroxyſmo adſuetus. Et licet veneris exercitium in p. 187.
ſe ſpectatum innoxium ſit, attamen cum praematurum et nimis frequens non ſolum corpus debilitet, ſed cum ii etiam, qui huic nimium dediti ſunt, ad corporis vires reſarciendas, veneremque eo crebrius exercendam, nutrientium plerumque ciborum potuumque largiorem quantitatem aſſumere ſoleant; hinc forſitan non immerito dici poſſet, hanc, venerem ſcilicet, unicam cauſam eſſe, quae utramque abundantiam et veram et ſpuriam eodem tempore ſimul producere poſſit.

Vtraque vero haec abundantia vera et naturalis, p. 134.
et ſpuria et accidentalis vaſa ultra modum diſtendunt, hinc relaxantur vaſa, et motus humorum fit languidior. Partes igitur mucilaginoſae, in humoribus

ſuſpen-

ſuſpenſae, quae antea iam aegre propelli poterant, nunc magis quieſcunt, et in vaſis praecipue maioribus facile reuniuntur. Exinde vero formantur maſſae, quae ſeſe non ſolum circulationi humorum opponunt, ſed et relaxationem vaſorum augent. Maſſae hinc longe maiores fiunt. Et dum natura ſummis conatibus illas diffringere, ſeſeque ab illis liberare tentat, circulatio fit rapidior. Easdem vero in extremitates vaſorum, in articulationibus occurrentium, praecipitare ibidemque deponere ideo cogitur, quia vires ipſi non ſuppetunt ad illas ulterius propellendas; et quia eodem momento, partim in ſpiſſitudine humoris, partim vero in nimis parua vaſorum diametro, in quibus ille incluſus eſt, obſtacula inuincibilia offendit. Hinc febris et irritatio et dolor. Reſiſtentiae vero, quas natura offendit, illam incitant, ut reiteratis conaminibus illas ſuperare tentet. Effectus vero ſunt depoſitiones in glandulis ſynouialibus, cum quarum ſecretione * arthriticum humorem maximam conuenientiam habere aſſerit Cl. Auctor, et tumores articulorum magis magisque aucti. En modum quo natura in depurando ſanguine et formanda acceſſione arthritica utitur.

p. 112. Eiusmodi *acceſſio* in uno tantum articulo contingens, quae iuuenibus plerumque euenit, *ſimplex* appellatur, quodſi vero in pluribus contingat, quod ſenibus admodum familiare eſt, tunc *compoſita*, et quidem plus vel minus compoſita audit, prout vel plures vel pauciores articulationes ſucceſſiue occupat.

p. 114. Cauſae plurium acceſſionum et depoſitionum ſunt 1) abundantia mucilaginis, 2) defectus capacitatis partium

* Arthriticos vero et podagricos dolores non in capſula articulorum, ubi nerui nulli ſunt, ſed in ipſa cute et in neruis ipſi ſubiectis ſedem habere, ex experimentis in viuis animalibus inſtitutis concluſit Illuſtr. ab HALLER. Vid. Comment. regiae ſoc. ſcient. Goetting. Tom. II. et Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 697.

tium hanc recipientium et 3) inſufficientia ſeu debilitas conaminum, quae natura in arthritide praecipue irregulari ad ſemetipſam ſubleuandam facit. Haec p. 117. *inſufficientia* rurſus vel *naturalis* eſt, ut in ſenibus, vel *accidentalis*, ut in iuuenibus, qui ad ſubleuandos dolores ſaepius reprimentia adhibent. Depoſitione igitur in articulis plenarie facta omnia mitigantur, depoſitaque materies ipſa ſeſe vel per tranſpirationem diſſipat, ſi fluida et parum craſſa eſt, vel in ſanguinem redit, ſi craſſior eſt, quam quae per poros cutis diſſipari queat, vel, ſi nimis craſſa eſt, in articulis reſtat nodosque format. Facilitas quoque et p. 138. velocitas, quibus cum humor arthriticus locum mutare, prioremque antea occupatum prorſus derelinquere, ſeſeque in alium coniicere videtur, effectus ſunt apparentis mobilitatis, cuius explicatio omnibus auctoribus multum moleſtiae creauit. Viſcoſitas enim humoris arthritici, quam omnes concedunt, cum mobilitate ſingulari vix concilianda videtur. Duas vero mobilitatis ſpecies diſtinguit Cl. Auctor, *regularem* et *irregularem*. *Regularis* fit ex uno articulo in alterum omnique periculo vacat. *Irregularis* vel ex articulationibus in viſcera migrat, et ſaepe lethalis eſt, vel ex viſcere quodam in articulationes, omnique periculo non vacat, vel ex uno viſcere in aliud viſcus, quae ad modum rara eſt periculoſiſſimaque deprehenditur.

Negat vero Cl. Auctor materiem ſemel in articu- p. 140. lo vel viſcere quodam depoſitam hinc egredi, ſeſeque in alio articulo vel viſcere deponere poſſe. Priorem enim tumorem in articulo perſiſtere, et, quotiescunque apparens eiusmodi metaſtaſis oriatur, non veram metaſtaſin, ſed nouam quandam eſſe depoſitionem ab abundante humore arthritico. Omnis quoque generis mobilitatem easdem, quas depoſitionem, cauſas agnoſcere arguit. Hinc quoque eſt, quod, ſi in viſcere quodam depoſitio completa et perfecta facta ſit, ma-

 teries

teries in viſcere iſto depoſita nunquam in articulos reuocari poſſit; quod ſi vero in viſcere iſto depoſitio incompleta contigerit, tunc reliquum materiei, adhuc cum ſanguine circulantis, arte vel natura in articulos
p. 155. expelli poterit. Et cum tres plerumque recenſeantur arthritidis ſpecies 1) *frigida* nimirum, a ſpiſſitudine lymphae orta, quae cum paruo calore et dolore paucoque rubore coniuncta, *frigorisque impatiens* ſit, cui temperamenta frigida pituitoſa, ſubiecta eſſe dicuntur, 2) *calida*, quae lymphae acrimoniae adſcribitur, *caloris impatiens*, temperamentis ſiccis bilioſis propria, in qua interdum ne tumor quidem apparet, pars affecta vero longe calidior, doloroſior et plus minus rubra conſpicitur, et dein 3) ex prioribus utrisque compoſita, *et frigoris et caloris impatiens*, in qua tumor admodum inſignis, valde dolens valdeque inflammatus eſt, quae ſanguineis temperamentis admodum familiaris eſſe perhibetur; Cl. Auctor oſtendit, has omnes non niſi unicam ſpeciem conſtituere et tantum arthritidis varietates eſſe. Omnes enim non ſolum in uno eodemque ſubiecto, ſed in una quoque eademque acceſſione compoſita adeſſe ſaepius obſeruantur.

p. 159. Mucilago tamen, harum omnium cauſa, mixtum eſt, ex admodum pauco oleo, multa terra, et longe copioſiore aquae aerisque quantitate compoſitum. Pro diuerſa igitur horum ingredientium proportione, mucilago quoque eodem modo variare poteſt, uti gummata plantarum, quibuſcum arthriticum humorem admodum concinne comparat Cl. Auctor. Gummi enim unius arboris non ſolum a gummi alterius differt, ſed in una quoque eademque arbore diuerſitas gummatum obſeruatur, alterum enim ſiccum, alterum liquidum adhuc deprehenditur. Mucilago igitur, in ſiccis bilioſis hominibus, craſſior terraque plurima referta, multum rareſiet, doloresque augebit, ſi calida externe applicaueris

caueris. In humidis vero pituitoſisque hominibus, ubi eadem in paruo volumine multum aquae continet, et fere prorſus fluida eſt, tantum abeſt, ut calor externe applicatus dolores augeat, ut potius eosdem, diuidendo aquoſas particulas, easdemque per poros cutis abigendo, admodum lenire poſſit: frigus vero externe applicatum, conſtringendo poros, et condenſando aquam, diſtenſionem vaſorum, dolorumque vehementiam, continuo augere debet. Hanc quoque ob rationem arthritis, cuius mucilago p. 166. admodum craſſa eſt, largiorem tamen inſimul aquae quantitatem continet, qualis in ſanguineis hominibus haud raro deprehenditur, et frigoris et caloris impatiens eſſe poteſt. Mucilago quoque in uno eodemque ſubiecto variat, prout nimirum depuratio vel lente vel promte facta fuit. In priore enim caſu maſſae maiores, in poſteriore minores fient, et depoſitio exinde oriunda vel magis vel minus compacta ſolidaque euadet. Regimen quoque aegri ad haſce varietates multum conferre videtur. Nodo- p. 168. rum vero ex eius modi depoſitionibus in articulis formatorum, qui nec a frigore nec a calore amplius afficiuntur, duae obſeruantur ſpecies. Materies enim arthritica, aut aliquid adhuc mucilaginis retinet, et gummatibus extreme exſiccatis comparanda venit; aut adeo aquoſa ſua parte per diuturniorem moram in loco calido articulorum orbatur, ut ipſi nil niſi terra alba plus minus friabilis, plus minus leuis, gypſoque ſaepius ſimillima reſtet, qualis ex gummatibus per diuturniorem exſiccationem, licet paulo difficilius, itidem obtineri poteſt.

In *tertia* tandem huius operis *parte*, *arthritidem* p. 205. *regularem* definiuit Cl. Auctor, quod *ſit morbus periodicus articulationum cum febre plus minus forti, dolore caloreque in parte affecta plus minus magnis, ſeque per depoſitionem quandam ſeu diuerſi voluminis tumorem, nunquam in ſuppurationem abeuntem, terminans.*

 Certiſſi-

p. 216. Certiſſimum eius ſignum eſt, ſi dolor poſt duas vel tres ſomni horas demum inuadit, ſequentibusque diebus redit. Tres vero vulgo ſic dictas ſpecies, utrum nimirum tumor frigoris, an caloris, an utriuſque impatiens ſit, ſedulo obſeruare oportet; aeger enim pro huius diuerſitate diuerſimode quoque tractandus eſt. Frigoris impatiens faciliorem curationem admittit. *Curatio* vero duplex eſt vel *acceſſio-*
p. 228. *num*, vel *morbi ipſius*. Venae ſectio, quae quidem naturae operationem turbare poteſt, in primis tamen acceſſionibus, ab abundantia vera ortis, in feminis eidem adſuetis, et viris, in flore aetatis conſtitutis, reuulſionis ſcopo, in loco, a parte affecta remotiſſimo, neceſſario inſtitui debet, atque pro febris, vigiliarum et dolorum ratione repeti quoque poteſt. Hanc quidem, eo plerumque in loco, ubi inſtituta eſt, noua inſequitur depoſitio, ſed parua et plerumque ultima, nec adeo periculoſa eſt. Hinc ſi fieri poteſt, ſemper in ſano pede, vel etiam in altero, ab arthritide parum affecto, inſtituenda erit, ut praeter alias utilitates, depoſitio quoque, venae ſectionem inſequens, in loco a corde maxime remoto fiat.

p. 232. Vigiliae clyſteribus ſimplicibus, vel ad ſummum emollientibus, et ptiſana ex herba chamaepytios, chamaedryos, capillorum veneris cum pauco ſaccharo arceri poſſunt. Ventriculo tamen inter haec uſu vini boni canarienſis, burgundiaci vel campani cum
p. 236. pane toſto quotidie proſpiciatur. Narcoticis, ob relaxationem, quam inducunt, inſequensque dolorum augmentum caute utendum, iisdemque raro opus eſſe, recte iudicat Cl. Auctor. Theriacam tamen e reliquis huic ſcopo aptiſſimam eſſe cenſet. Quodſi vero febris tandem ceſſauit, dolores imminuti ſunt, ſomnusque rediit, tunc, ad accelerandam conualeſcentiam, primae viae, potione leni mannata, ter vel quater repetita, a deprauatis humoribus expurgan-

purgandae ſunt; licet enim et has euacuationes interdum quoque noua inſequatur depoſitio, timeri tamen ideo non debet, quia ſemper regularis eſt; fortiora vero purgantia ad modum noxia ſunt, ſeduloque tunc in primis vitari debent, ſi nodi antea caloris impatientes fuerunt. Reliquae ſecretiones, et p. 240
praecipue tranſpiratio inſenſibilis, optime promouentur, ſi circa finem acceſſionis drachm. iij vel iiij radicis chinae in libr. iij aquae ſimpl. ad remanentiam libr. ij. coquuntur atque ter de die largus eiusdem hauſtus aſſumitur. Vinum quoque huic decocto interponi vel miſceri poteſt, in arthritide tamen caloris et frigoris impatiente ante huius decocti uſum ptiſana per quatuordecim dies, et in arthritide, ſolius caloris impatiente per menſem integrum aqua copioſe potari debet. Praeterimus vero, ne nimis longi ſimus, reliquas a Cl. Auctore in curandis acceſſionibus, ab hac vel illa ſpeciali cauſa determinante ortis, additas animaduerſiones, utilesque cautelas practicas. Caſum tamen, a Cl. Auctore adductum, eo lubentius adducimus, quo magis exinde eluceſcit, quantum damni ex topicorum uſu, licet interdum etiam innocentiſſimus videatur, ſaepius oriri poſſit.

Robuſto viro quadraginta ſex circiter annorum, p. 260.
temperamenti pituitoſi, arthritidis, qua, cum nec inordinate nec intemperanter viueret, ab anno tamen aetatis triceſimo ſexto regulari laborauerat, pertaeſo, facile perſuadebatur, huncce morbum a pedum frigiditate, cui adeo obnoxius erat, ut etiam frigus per longam noctem ſentiret, originem traxiſſe; hancque cauſam, morbumque ipſum facile deſtrui poſſe, ſi lecto lagenam ſtanneam calida repletam inſereret, pedesque mediante iſta moderate calidos ſeruaret. Arthriticus eius modi lagenam durante hyeme 1749 adhibens, nullam menſe februario eiusdem anni ceu tempore alias ipſi conſueto regularem arthritidis acceſſionem ſenſit. Vuula vero, baſis

linguae omnesque internae ac poſteriores oris partes ſenſim adeo intumeſcebant, ut primo martii nec liquida nec ſolida deglutire poſſet, quin ſtatim conuulſionibus, diu admodum durantibus, corriperetur, id quod eum tandem eo adigebat, ut unciam tantum panis totidemque vini quotidie pro cibo potuque aſſumeret, quae viuendi vero ratio eum quam maxime emaciabat. Vſurpatum tamen remedium ipſi adeo innocens videbatur, ut die decimo quarto maii, quo demum accerſebatur Cl. Auctor, ne ſuſpicaretur quidem hunc morbum arthritidem irregularem et retrogreſſam eſſe.

p. 263. Dantur tamen externa remedia, quae tuto adhiberi poſſunt. Sic urina infantis, infra decem annos nati, moderate calida, anodyna reſoluens et efficax eſt, ſi linteis eadem bene imbutis affecta pars obtegitur. Fortius remedium, in omnibus arthritidis ſpeciebus conueniens, nec unquam nocens, ſapo medicinalis albus eſt, cuius unciae 5 vel 6 in 7 vel 8 menſuris (pintes) aquae communis ſolui poſſunt. Pars affecta in eius modi balneum immergitur, cuius calor affuſa calida pro aegri lubitu augeri minuique

p. 266. poteſt. Quodſi vero circumſtantiae quaedam balnei uſum prohibeant, tunc in arthritide frigoris impatiente cataplasma emolliens ita concedi poteſt, ut decoctioni tantum pauca minuta, anteaquam ab igne auffertur, ſapo adiiciatur. In arthritide vero caloris impatiente ſapo unice in formam paſtae redactus applicari poteſt; facile enim cum corpore quodam ſe ipſo liquidiore pinguique v. g. butyro de Cacao, miſcetur. Haec paſta ſuper linteum extenſa et parum calefacta adplicari atque bis de die durante acceſſione renouari poteſt. Tumoribus quoque, finita acceſſione, non prorſus diſſipatis nodoſque cuiuscunque generis formantibus topicum hoc chirotecis et tibialibus adaptatum noctu diuque, quoad eius fieri poteſt, ſuperhaberi, atque uſque ad eorum plenariam

riam euaneſcentiam continuari debet. Nullum enim nodum huic remedio reſiſtere poſſe aſſerit Cl. Auctor.

Altera curationis pars, morbi nimirum ipſius, extra acceſſiones in eo conſiſtit, ut vel abundantia tantum humoris arthritici exacto vitae regimine praecaueatur, vel cauſa morbi primaria penitus deſtruatur. Lac in ſe ſpectatum nulla ſpecifica virtute gaudet, nec ob multas butyraceas et mucilaginoſas partes huic ſcopo aptum remedium eſſe videtur. Iis, qui parum comedunt, parum quoque vel nihil proficiet, iis vero, qui multum edunt, maioris emolumenti eſſe, et generatim ſaltem per accidens eodem modo, ut venae ſectio, purgatioque iuuare poterit. Ad deſtructionem vero humoris arthritici praeſtantiſſimum remedium eſt ſapo medicinalis gallicus ſeu alius quicunque ex oleo oliuarum, ſale alcali et calce viua paratus. Huius ſaponis drachmae ſemis, Rhabarb. Gentian. ana ſcrupuli ſemis et cum ſyrupo quodam purgante in formam boli redacti uſum, diu continuatum, mane et veſperi interpoſitis lenioribus laxantibus ſuadet Cl. Auctor. Monet tamen, hoc remedium in hominibus, morbo cutaneo affectis vel acrimonia quadam ſeu ſcorbuto laborantibus caute uſurpandum eſſe, et uno verbo nemini conducere, niſi unice arthritide laborantibus. Arthritis indeterminata, in qua aeger non niſi in dorſo cubare poteſt, et fere immobilis iacet, regulari fere non eſt periculoſior. Venae ſectio vero in hac prorſus non conducit, et topica omnia nocent.

p. 269.
p. 287.
p. 295.
p. 305.
p. 310.

In arthritide vaga in principio parti affectae lintea ad modum calida ideo applicanda ſunt, quia calor uni tantum parti applicatus repellit, pediluuia quoque, calorem tamen hominis naturalem non multum excedentia, applicari debent, et ſi reſpiratio ab affectis articulationibus thoracis laeſa eſt, theriaca exhiberi poteſt. In arthritide, per accidens regreſſa, primo vena in pede ſecanda, dein ſtatim alteri pedi veſica-

p. 315.
p. 329.

 torium

torium adplicandum, et paulo poſt aqua tepida butyracea ſeu oleoſa, vel infuſum theiforme ex carduo benedicto, quod in primis commendatur, ad vomitum excitandum, et poſt hanc euacuationem ſtatim quidam hauſtus vini hiſpanici, canarienſis etc. exhibendi ſunt. Si vero ideo reuocari non poteſt, quia in viſcere quodam depoſitio completa facta eſt, tunc humor arthriticus deſtruatur lenibus laxantibus reiteratis, ptiſana tenui, et deinde ſapone ad gr. quindecim, viginti et tandem ad drachmam ſemiſſem, ſed ſolus aliisque medicamentis nequaquam remixtus exhiberi debet, interpoſitis purgantibus lenioribus.
p. 338. Quodſi vero ex arthritide regreſſa angina orta eſt, tunc eadem per repercutientia tuto tractari poteſt 1) adplicetur pediluuium 2) dein celebretur venae ſectio in pede, et ſtatim, cum raro epiſpaſticis opus ſit, adhibeatur ſequens gargariſma repercutiens ℞ Aq. deſtill. Peruinc. unc. V. kermes mineral. gran. iiij. Cryſtall. mineral. drach. ß. Aq. vitae ſpirituoſ. Syrup. moror. ana unc. j. M. cuius crebior fortiorque gargariſatio conuenit, quotiescunque dolores in articulationibus ſentiuntur. Quodſi vero humor in angina fixus eſt, non nimium huic gargariſmati inſiſti debet.
p. 350. In arthritide ſua ſponte regreſſa 1) vomitorium lene et inſipidum v. g. aqua tepida unica vice exhibeatur, adhibeatur pediluuium, dentur cordialia ſpirituoſa, vina, parua ſed repetita doſi; venae ſectio et narcotica ob nimiam aegri debilitatem non conducunt. In
p. 359. arthritide irregulari proprie ſic dicta, venae ſectio raro iuuat, epiſpaſtica et veſicatoria nocent. Sed dignus eſt hic liber, qui ab omnibus legatur.

VII.

VII.

B. S. ALBINI academicarum annotationum Liber primus. Continet anatomica, phyſiologica, zoographica, phytographica. Leidae apud I. et H. Verbeek, 1754. 4. pl. 12. tab. aen. 7.

Etſi neminem lateat, quanta ſint magni ALBINI in anatomen merita et elegantiſſima, ad hanc doctrinam pertinentia opera, optime de iis teſtentur, quasdam tamen rationes ſibi eſſe intellexit Cl. Auctor, quibus confirmet, quam exacto ſtudio in omnibus iis proponendis uſus fuerit, quae huc uſque ab eo orbi litterario fuerunt communicata. Hanc ſuam itaque ſolertiam in praefatione, huic libro praemiſſo, uberius expoſuit, ipſam autem pertractationem in viginti et unum caput diuiſit. Sunt quidem inter has annotationes quaedam, quae, quum Cl. Auctoris diſcipuli alio iam tempore pro candore eius ab eo tradita, acceperint, plane nouae non videbuntur, quae tamen ab eo, cui inuentionem debemus, deſcriptae dum ſunt, nec minus placebunt. Licet forte a ſcopo eius et pro ſua dignitate tuenda plane alienum non fuiſſet, indicaſſe aliorum deſcriptiones, et eorum, qui ex eius eruditionis fonte haurire potuerint. Harum vero obſeruationum praecipua indicabimus momenta.

Caput primum tradit *quaedam de modis, quibus* p. 16.
cuticula cum corpore reticulari de cute abſcedit et feruidae aquae uſum prae reliquis commendat, reliquorumque modorum et in primis macerationis, non nunquam tamen non in uniuerſum negligendae, incommoda recenſet, ſimulque *capite ſecundo cognatio-* p. 21.
nem et diſtinctionem cuticulae et reticuli demonſtrat, a qua hoc mollitie ſua diſcrepat, et colore in albis etiam hominibus diſcernendo. Huius reticuli *foueolae* p. 22.

 vagi-

vaginulaeque, *quibus papillae continentur*, *capite tertio* exponuntur, quae ſcilicet loco foraminum, quae ſine demonſtratione adeſſe ſupponuntur, obſeruare licet, foueae ubique in reticulo, vaginulae autem, ubi, prout circa apices digitorum, papillae longiores exiſtunt. Habet autem cuticula plicas ab extus depreſſas, intus eminentes, in quibus papillae etiam nullae ſunt, et hae *inciſuras cuticulae et cutis* effici-
p. 25. unt, quarum naturam *caput quartum* declarat. Verum, quod cutis et reticulum et cuticula arcte inter ſe nexa iunguntur, *uſus* harum partium, de quo non nulla *caput quintum* explicat, in defendenda cute et temperando tactu conſpicitur, ubi ſimul docet Cl. Auctor, ſe ex tenerrimis embryonibus volae plantaeque cuticulam per ſe craſſiorem inueniſſe, ut hanc mutationem ab attritu aliisque cauſis, eam denſanti-
p. 28. bus, deriuare non liceat. Ad alia progrediens *capite ſexto*, num *urachus* in aetate prouectioribus adultisque hominibus *peruius* ſit, diſquirit et copioſis aliorum teſtimoniis, tum etiam ſua ipſius experientia comprobat, urachum in iuuene adhuc peruium eſſe. Vaſcula vero, membranam, quae cryſtallinum humorem circumdat, penetrantia, a RVYSCHIO in
p. 31. oue viſa, in homine pariter detexit et *capite ſeptimo* deſcribit. A retinae vaſis oriebatur truncus, ante ingreſſum in membranam lentis non ramoſus, mox in copioſiores ramulos diuiſus, qui omnem ambitum capſulae inueſtiebant, quosque in icone depingi curauit, nec non copioſiſſima haec vaſcula vitiorum forte ſedem in oculorum morbis conſtituere poſſe coniicit Cl. Auctor. In *ſequente capite* vero *membranam*,
p. 33. *pupillam infantis*, *nuper nati*, *occludentem*, deſcribit, eamque, quae a recentioribus diſſectoribus ante hunc librum editum pluries confirmata eſt *, ante viginti quinque

* Deſcripſit eandem, prima eius inuentione Cl. WACHENDORFIVS in Commerc. litter. Noric.

quinque annos, a ſe obſeruatam iam iam fuiſſe aſſerit. In *nono* dein *capite* in anu decrepita *cordis foramen ouale apertum* et cum aetate, conueniente proportione, auctum fuiſſe docet. Quas porro olim in uteri placenta demonſtrauerat arterias, nunc alio exemplo confirmatas accepit easque ex utero in placentam abire vidit, ſanguineque repletas adhuc inuenit; licet inde conficere nolit, an verus ſanguis embryoni tradatur necne. Haec in *capite decimo* deſcribuntur, quam conſiderationem tanti momenti eſſe iudicat Cl. Auctor, ut in partu iuuando inſtruat eum, qui placentam, ex parte auulſam, ex haemorrhagia uteri, letali poſtmodum futura, perſpexerit, ſiquidem tunc auulſa placenta uteroque contracto ſponte omnia praecaueri poſſint mala. *Vndecimum caput* exponit ſinuum frontalium conformationem, quos, tum in iis, quibus frontis os ſutura diuiſum eſt, tum in iis, quibus ſima eſt facies et depreſſa, deficere crediderunt anatomici, quorum tamen veſtigia et praeſentia confirmata fuit in eiusmodi ſubiectis. Varia ad cerebrum et piam matrem ſpectantia momenta obſeruata explicantur in *capite duodecimo*, ad quae icones etiam pertinent tabulae ſecundae. Cortex contegit medullam ubique, etiam in ſulcis, in quos deſcendit pia mater et undatim ſinuoſa eſt; arteriae eius maiores per angulos, a ſinubus factos, decurrunt et in copioſiſſimos innumerabiles et breues ramuſculos, intus deriuatos, abeunt, et piam matrem quaſi villoſam reddunt. Impleti ſi fuerint materie conuenienti, rubrae lanuginis inſtar comparent et per corticem ad medullam pertingunt, in eaque diſſeminantur. Refutatur tamen BOERHAAVII ſententia, nec non ea, quae ex arteriolarum harum ad medullam progreſſu deducitur, opinio, ac ſi ea propter medulla ex his vaſis

p. 34.

p. 37.

p. 39.

1740. hebd. 18. et poſt Ill. A. ab HALLER in opuſc. anatom. p. 339. Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 192.

vaſis conſtare debeat. Etenim eius ſubſtantia multum diſcrepat, in qua nihil ſit, quod poſſit euincere, ut putat Ill. Auctor, humorem quendam ſecretum per neruorum canaliculos ferri, quum in ea re multa ſuperſit obſcuritas. Simul autem eam tangit, quae de actione muſculari agitatur, controuerſiam, vaſorum nimirum, ſanguinem vehentium atque neruorum ad eam requiri mutuam actionem: quam ex compreſſis ligatisque vel aliter adfectis hiſce vaſis deducunt, quum nihil tamen probet, niſi hoc, ſic affectis hiſce partibus motum muſculorum ceſſare. Venas deinde corticis ſe adnotaſſe teſtatur Cl. Auctor, praeter arterias, quas RVYSCHIVS, cuius ſimul de hac parte datas figuras paſſim taxat, ſolas corticem efficere credebat, nec a vero abeſſe arbitratur, alias etiam praeter has, quae impletione facta vaſculorum ſub forma non comparent, et maceratione perduntur, adeſſe partes.
p. 52. *Dentium aberrationes decimum tertium caput* demonſtrat, earundemque tres diuerſas varietates adducit atque delineat. Prima exhibet dentes duos inciſorios, in oſſibus maxillaribus ſuperioribus poſitos: altera vero longius aberrantem in eodem oſſe prope nexum cum palati oſſe dentem offert: tertia tandem, magis adhuc miranda, dentes duos inter naſum et orbitam, in naſali oſſis maxillaris proceſſu deliteſcentes, deſcribit; praeter hos tamen aderant canini ſolito loco, ſed breuiores et minores. Simile fere et nos exemplum vidimus, in quo tamen paulo profundius et ad mediam commiſſuram oſſium maxillae inciſores dentes poſiti fuerant. *Papillae linguae humanae*, prout aliorum animantium conſtantiori ratione *differentes* ſunt, quas deſcriptas
p. 55. legimus capite *decimo quarto*. Quatuor earum genera ſunt, aliae magnae ad radicem linguae ante foramen coecum, quae parte ſua gracili inhaerent, craſſiore eminent ex lingua, aliae fungiformes ſeu mediae magnitudinis, inter ſe tamen magnitudine quoque diſcre-

diſcrepantes, ante priores poſitae, in extrema lingua
copioſiores: aliae porro minores, arcuatae a RVY-
SCHIO dictae, in ſuperna parte linguae copioſiores
haerent, itidem magnitudine et forma diſcrepant:
tandem aliae minimae, tuberculorum rotundorum
formam referentes, in inciſuris linguae copioſiores.
His omnibus accedit quartum genus, quod in poſte-
riore parte laterum linguae, rugarum tranſuerſarum
inſtar, continetur. In diuerſis tamen ſubiectis mul-
tis variant modis. Harum autem fabricam ulterius
perſequitur Cl. Auctor *capite ſequenti* et in eo omnis p. 59.
eſt, ut declaret, eas non ſolas neruoſae propaginis
eſſe, ſed arterias etiam atque venas eas ſimul conſti-
tuere. Inuenit nimirum ad papillas accedere faſcicu-
lum ſtaminum, inter ſe coniunctorum et ad finem
papillae in tuberculum coeuntium, quorum etiam
icones tabula prima ſuppeditat. Has in linguis,
quarum arteriae repletae fuerant, aeque ac in iis, in
quibus vaſa vacua diſquirebantur, detexit, varietates-
que conformationis adnotauit. Non impletis vaſis
albae ſunt mollesque, impletis autem rubrae, inter
quae tamen vaſa forte et venae continentur. Per
mediam papillam unum maiuſque vas tranſit ad eius
extremitatem uſque, quod, an patulum ſit, dici ne-
quit. Probabile id videtur ex facili poſt deterſam
linguam redeunte humectatione. Materies autem
alba, vaſculis circumfuſa, cutis linguae continuatio
eſt; medullam enim neruoſam non eſſe, repugnant
macerationis phaenomena, quum nec tabeſcat, nec
diſſoluatur; neruos accedere interim negandum non
eſt. Eſtne autem in lingua *periglottis et reticulare*, a
MALPIGHIO dictum *corpus*, de hac re capite *deci-* p. 64.
mo ſexto diſpicitur. Statuit itaque, Cl. Auctor, licet
hoc Cl. HEISTERVS affirmauerit olim, corpus reti-
culare in lingua humana non inueniri, eique tamen
integumentum, cuticulae ſimile, quod toti ſuperin-
ducitur linguae, albeſcat et pertinaciter inhaereat,
datum

datum eſſe. Ad internam eius ſuperficiem, ſubſtantia, reticulo ſimilis, adhaeret, quae vaginulis ſuis papillas comprehendit, et, quod in interſtitiis papillarum craſſior eſt, ac in fundo, ut papillae emineant, efficit. Ex his conditionibus tamen *guſtus et tactus organorum ſimilitudo et diſſimilitudo* noſcitur, quam caput
p. 67. *decimum ſeptimum* expendit: quae vero non tantum in eo conſiſtit, ut periglottis ſapida facile imbibat, cuticula non item, ſed in papillarum etiam diuerſitate poſita eſſe videtur. Praecipue periglottis mollior
p. 68. eſt. Porro capite *decimo octauo* diſſerit Cl. Auctor *de vaſis placentae paruulorum embryonum et de inuolucro, quo eliſa eorum oua reconduntur.* Soluta illa vaſa ſunt, rami ſcilicet inter ſe non implicantur, ſed diſtincti decurrunt, immo quidam ex his, a reliquis diſtantes, quaſi aberrant, et cum incremento placentae tantum compingi obſeruantur. Interim praeternaturalis etiam in iis ſtatus occurrit, per interualla nimirum haec vaſa contrahuntur amplianturue, ut hydatides ſiſtant, nec non in fine vaſculorum non nullorum veſiculae animaduerſae fuerunt, quas quidem conditiones elegans addita figura exprimit. Vaſa tandem haec contegit inuolucrum craſſitie diſcrepans, quod pro coagulato ſanguine, qui inde reprehenditur, aſſumſerat RVYSCHIVS et quod idem credit eſſe Noſter, quod in maturis ouis, cuius delineationem in tabulis uteri muliebris grauidi dederat, ob-
p. 71. ſeruatur. Subiecit itaque in *ſequenti capite non nulla de embryonibus humanis ouisque, quibus continentur.* Nitidae ſane icones propoſitam illuſtrant deſcriptionem, praeter inuolucra chorii et amnios, umbilicus in conſpectum venit, membranis oui continuatus, et vagina chorii inuoluta vaſa comprehendens, quae placentam vario decurſu efformant. Amnios ſaepe ad umbilicum non deſinit, ſed ante, a chorio recedens, infundibulum conſtituit, quod ad umbilicum quandoque in embryonibus perpuſillis et

ad

ad ventrem uſque pertingit. Nam umbilicalis funiculi in uniuerſum eſt aliqua diuerſitas. Filum album a ventre embryonis per umbilicum decurrit, et in veſiculam intumeſcit, liquido plenam, quae allantoidem ſingit, veram tamen nunquam inuenit Cl. Auctor. Partes deinde in embryone minuto obſeruandae deſcribuntur et obſeruatio ſimul additur maturi foetus, cuius umbilicalis funiculus per herniam omnem fere inteſtinorum canalem ſuſceperat, breui poſt mortui. Quae ſuperſunt capita, botanica tractant et *viceſimum* quidem, *pennam marinam albam* p. 77.
et rubentem deſcribit, de alba RONDELETIVS, de rubra GESNERVS retulit, utriuſque iconem ſuppeditauit Noſter. Haec alba minor eſt, utraque adiunctam inferius partem, glandi penis aſſimilatam, oſtendit, caulis in brachia abit, quae denticulata, immo horrida aculeis ſunt, et ſtriis interdiſtincta. Vltimo tandem loco, *capite viceſimo primo Clematitis* p. 79.
Floridenſis, flore albo odoratiſſimo, quoad omnes partes exprimitur, cuius etiam icon additur, quae tamen niſi odorem, quem prae ſe ferre dicitur, excipias, parum vel nihil diſcrepare ab illa vulgari ſpecie, quae caule volubili et flore albo inſtruitur, putamus.

VIII.

B. SIEGFRIED ALBINI tabulae oſſium humanorum Leidae apud I. et H. Verbeek Bibliop. 1753. fol. max. tab. 34. et totidem ſciagraphiam exhibentes.

Denuo perinduſtrii Auctoris famam, nouo ſpecimine nobilitatam, indicamus, quod, et ea, quae adhibita eſt, accurata opera et pretio carum, omnibus ſeſe commendat. Poſtquam totam emenſus eſt oſſium doctrinam, deſcribendo eorum ſingulorum, tum in adulto homine, tum in foetu praecipua

pua momenta; poſtquam porro ſceleti humani dedit delineationem ſubtilem et naturae conuenientem, id ſupererat, ut oſſium etiam ſingulorum proponeret figuras, tales tamen, quae in naturali magnitudine ſimul demonſtrarent, quae ad unumquodque eorum rite intelligendum pertinent. Ipſe etiam monet Cl. Auctor, ſe in ſingulis optimo naturae exemplo uſum fuiſſe ſpeciminibus, nihilque praetermiſiſſe eorum, ad quae attendendum eſt anatomico, quum in reliquorum, a diſſectoribus datis, iconibus ſaepe muſculorum, ligamentorum aliarumque partium annexarum ſedes neglectae, aut ſtudioſe additae nōn fuerint. Haec autem Cl. Auctoris ſingularis fere cognitio, quae artificis direxit ſcientiam, ita ſcite curauit, ut obſeruentur in omnibus partibus, ut ex iconibus hiſce, anatomes etiam ignarus, veram ſibi comparare poſſit earum notitiam, quamuis id inde nolimus cogere, elegantius ſemper naturam conſulere non eſſe atque praeſtantius. Initium facit enumerandi oſſa a capite, a quo deinde ad reliqua progreditur, omnium, tum, ſi plura in uno membro inter ſe cohaerent, oſſium, tum ſingulorum, prout in ſceleti expoſitione factum eſt, delineationes ab anteriore, poſteriore et laterali parte exhibens. Breuis eſt ſingulae tabulae, lineas tantum circum ſcribentes figurarum exprimenti, additus indiculus, qui inſcriptas figuris litteras explicet. Omnia quidem ſubtiliſſima momenta ſigillatim ſimul non exprimuntur, nihil autem neglectum fuiſſe, quod adnotandum eſſe videbatur, deprehendent ii, qui cum hiſtoria oſſium Ill. Auctoris conferre voluerint hic expoſita. Capitis praecipue variae ſectiones in pluribus tabulis proponuntur, ſingulae tum lineares, quas vocant, tum umbra diſtinctas delineationes ſiſtunt.

Liceat de his quaedam adducere, ut pateſcat, qua ratione ſuam expleuerit voluntatem Cl. Auctor. Oſſa capitis nimirum in ſex tabulis exhibentur, quarum

prima

prima integrum illud a parte anteriore, poſteriore lateralique viſum ſiſtit, *altera* cranii inferiorem, nec non maxillae ſuperiorem et inferiorem faciem, *tertia* cranii interiorem ſuperficiem et baſin, nec non ad verticem factam totius capitis, adhuc cohaerentis, ſectionem, declarat. Sed quum probe intelligeret Cl. Auctor, et his ſufficienter omnium oſſium tam diuerſorum indolem nondum perſpici, diſſectorum et ſolutorum a nexu oſſium in ſequentibus tabulis figurae adduntur. In his, ut eo melius ſuccurreret eorum, qui uti his tabulis velint, ſtudio, qua ratione diuerſae ſectiones ſe excipiant, ſimul indicatur, nexuſque ſingulorum deſignantur, inter quae oſſis temporum externae etiam ſuperficiei notae ſunt, internam autem organi auditus fabricam addere non libuit Cl. Auctori: oſſa tamen faciei et hyoides ſimul comprehenduntur.

Ab his ad truncum ſceleti progreditur Cl. Auctor, pro ea, quam in expoſitione de oſſibus corporis humani ſequutus eſt, norma, incipiendo a ſpina; exponit itaque tabula *ſeptima* os ſacrum atque coccygem, *octaua* ſyntaxin vertebrarum lumbarium, *nona* earum dorſi, *decima* colli, quarum ſingularum, quod communes quaedam ſunt et conformes ſibi conuenientiae, in linearibus delineationibus unicam ex his, in iis, quibus umbra acceſſit, omnium cohaerentium figuras offert, quarum, conferendo inter ſe quamcunque, diſcrimina eo facilius perſpiciuntur. *Vndecima* ad *decimam quartam* pectori dicatae ſunt, primo coſtarum, deinde ſterni figuras, earumque triplicem faciem monſtrant. *Decima quinta* clauiculae ſiniſtrae formas, *ſexta* ſcapulam, *ſeptima* humeri, *octaua* ulnae, *nona* radii, *viceſima* porro carpi oſſicula, diſtincta et quidem ab interiore, exteriore, poſteriore, priore, inferiore, ſuperioreque facie, *viceſima prima* metacarpi, et *ſecunda* tandem ſingulorum digitorum phalangas cum oſſium ſeſamoideorum recenſio-

 ne

ne eadem ratione exprimit. Cuncta ab extremitate ſiniſtri lateris ſunt deſumta.

His peractis in ſubſequentibus tabulis extremitates illuſtrantur inferiores, initium fit in tabula *viceſima tertia* ab oſſibus coxarum. Sequitur in *quarta* os femoris a priore, in *quinta* ab interno latere, in *ſexta* tibia a priore, in *ſeptima* eadem ab interno latere, adiunguntur his patellae icones, quas excipit in *octaua* fibulae delineatio, in *nona* deinde adduntur ſeparata oſſa tarſi pro diuerſis ſcilicet, quibus inuicem uniuntur, ſuperficiebus. *Triceſima* metatarſi oſſa ſingula exhibet, quibus finem imponunt in *triceſima prima* oſſiculorum, quae digitos pedis efficiunt, delineationes. Appendicis inſtar autem in *duabus ſequentibus* tabulis pedis integri, ab interno latere aeque ac externo, ſuperiore et inferiore viſi, cohaerentium adhuc oſſium figurae accedunt, quippe in quibus variae adhaerentium etiam muſculorum ſedes ſunt attendendae. Vltima tandem, ſeu *triceſima quarta* tum calcanei cum talo coniunctionem, tum metacarpi cum carpo, et huius ſerierum compoſitionem inter ſe ſiſtit. De ſingulis, quum non poſſit, quicquid in ſpecie praeſtitum fuerit, hic exponi, deſideratum hoc opus breuiter indicaſſe ſufficiet.

IX.

Tentamen Herpetologiae. Auctore IACOB. THEOD. KLEINIO cum perpetuo commentario. Acceſſit I. A. VNZERI obſeruatio de taeniis, latine reddita, cum dubiis circa eandem. Leidae et Gottingae apud Eliam Luzac. 1755. 4. mai. pl. 10. tab. aen. 2.

Quam olim de edendo hoc libro conceperamus ſpem *, nunc a Cl. Auctore ſedulo impletam fuiſſe laetamur, quippe quum animalium diſpoſitionem

* Vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 290 ſeq.

nem methodicam magis reddidit magisque comple-tam. Retinuit autem, quam indicato iam loco ex-poſuimus, ſciagraphiam, paucis tantum mutatam, ubique commentariis et dilucidationibus additis locu-pletatam.

Herpetorum naturam illuſtraturus, primo eadem in genere conſiderat, hocque vocabulo denotat *ani-* p. I. *mantia apeda, corpore elongato, quae volutim et flexuoſe loco in alium mouentur, et ſinuoſa quieſcunt.* Haec in duos ſecedunt ordines, in *angues* nimirum et *vermes*. *Anguis* Noſtro *eſt animal herpetum ſan-guineum, transformationi non obnoxium,* quorum ca-pita aeque ac caudae differunt, et claſſes conſtituunt. Prima eos complectitur, *quibus caput diſcretum eſt,* p. 5. *et cauda decreſcit;* caput nempe a reliquo corpore in his facile, figura diſcrepans, diſtinguitur et cauda ex latiori ſua forma ſenſim attenuata acutaque redditur. Generibus huius claſſis formandis deinde inſeruiunt dentes, qui vel manifeſti exſeruntur, vel intus deli-teſcunt, vel plane deſunt. Primum genus, dentes, anticos caninos, longiſſimos, mobiles oſtendit, vo-catur κυνόδον. Pertinet autem huc primo *Vipera.* Plerumque conſueuit viperarum nota generica a viuo deſumi partu, de quo tamen ſemper certi eſſe non poſſumus; ſuadet itaque Cl. Auctor, aliam quandam notam conſtantiorem quaerendam eſſe, ex qua poſ-ſit naturale genus formari. Quam in dentibus ſolis inueniri ſufficienter monſtrat; *ex his autem bini ma-* p. II. *iores non in ipſa maxilla, ſed in fortibus tunicis emiſ-ſilibus defigi et tanquam in vagina recondi, uſque dum ad mordendum inſeruire debeant,* denuo experientia confirmat. Sed, dum eos non proſtantes ab aucto-ribus pingi putet, nos eosdem tales a SEVERINO * proponi meminimus. Interim in diſſecto viperae capite nullos vidit ſtudioſe inquirens Auctor, detexit

 vero

* Vid. MARC. AVREL. SEVERINI Vipera Pythia. Patav. 1651. 4. Part. II. cap. 2. p. 297.

vero duo corpuſcula oblonga, palato appreſſa, tanquam loculos, in quibus canini dentes deliteſcebant, *mobiles*, *albiſſimi*, *diaphani*, *ginglymos in maxilla habentes*, ad quorum baſin orificium occurrebat, tenuiſſimam ſetam porcinam admittens, in canalem, ad apicem dentium uſque procedentem, continuatum. Vaginam hanc Noſter cum proceſſu mammillari comparat, eiusque praeſentiam indubium viperae ſignum ſuppeditare credit, quae ſi retrahitur, erigit dentes et ad morſum faciendum aptos reddit. Huius generis porro triginta et ſex ſpecies adducuntur, quae maximam partem a CATESBY et SEBA deſcri-
p. 16. ptae ſunt. Secundo loco ad hoc genus refertur *Caudiſona*, quae ab omnibus anguibus crepitaculo ſeu tintinnabulo differt, in exitu caudae conſtituto, cui etiam quotannis articulus accedere fertur. Harum octo ſpecies enumerantur, inter quas Americana dentes exſertos caninos fortiores habere dicitur. Ter-
p. 17. tium locum occupat *Conſpicillaris*, venenatiſſima beſtia, quarum duodecim ſpecies notatae occurrunt. Aliam porro ſubdiuiſionem huius generis faciunt dentes pectinati, qui, quod Lucii piſcis et Crocodili ſimiles ſunt dentibus, a Cl. Auctore ιχθυοδόντες vocantur; viginti et duae earum ſpecies ſunt, veneni virulentia inter ſe differentes. Ex his periculoſiſſima eſt vipera, *Argus* dicta. Quaedam ex his tantam conſequuntur magnitudinem, ut integrum bubulum comprimendo ſuffocare valeant, et CLEYERUS in Ephem. Nat. Curioſ. refert, ſe vidiſſe extractum ex ventriculo eius modi anguis ceruum integrum mediae aetatis, ex alio ſylueſtrem caprum bene cornutum, et denuo ex alio hyſtricem cum aculeis.

p. 23. Alterum genus, ex dentibus determinatum, dentibus acicularibus, umbroſis vel occultis angues complectitur, quibus Λυγαιόδον ſeu *Coluber* nomen eſt. Ea namque, quae ex miti et innocua natura deſumitur, differentia et denominationis ratio parum valere poterit,

poterit, dummodo dentes habeant acutos, vel exſertos, vel in gingiua latitantes. Copioſiſſimus horum catalogus eſt, enumerantur namque eorum centum et ſexaginta quinque, quorum plerique diuerſitate colorum ludunt, et virulentia multum diſcrepant. Inter alios huc pertinet Ceraſtes et Caecilia. Num vero coloris ratio nullam patiatur varietatem, ut ille conſtantiorem, ac ſquamarum numerus, ad quem praecipue attendendum eſſe credidit Cl. LINNAEVS, characterem ſuppeditet, utique putamus inquiſitione neceſſarium eſſe, in primis, quum et hic, ſi, prout fieri debet, eorum in muſeis fiat conſeruatio, ille non videatur ab immutatione immunis eſſe.

Tertium huius ordinis genus ἀνόδους ſeu edentulos ſiſtit, in quibus nimirum nulli obſeruati ſunt dentes, incompletam tamen hanc claſſem, quae quinque tantum ſpecies recenſet, ſe propoſuiſſe fatetur Cl. Auctor, omnibusque, angues diſquiſituros, ut ora ſtudioſius perluſtrent, commendat. Hinc etiam eſt, ut ſpicilegium colubrorum CATESBY et LINCKII additum ſit, eorum ſcilicet, de quibus, num dentes habeant, nec ne, parum conſtat. Siquidem et plura fabuloſa apud diuerſos occurrunt ſcriptores de ſerpentibus, draconibus, ut ſeſe extricare vix genuinus poſſit naturae indagator. Huc refertur itaque ſerpens ſiue lacertus monſtroſus, a IOBO LVDOLPHO deſcriptus, duobus pedibus lacertinis, quem *Tabula prima* huic operi addita, delineatum ſiſtit. p. 43.

Altera huius ordinis claſſis *angues* ſiſtit *capite indiſcreto, cauda quaſi truncata.* Caput cum reliquo corpore ſic cohaeret, ut difficulter diſcernatur, cauda vero circa finem ita rotundata apparet, ut pro capite etiam poſſit haberi. In duo diuiditur illa genera, in *ſcytalem* nempe et *amphisbaenam.* Scytale caudam habet prae capite rotundatam, eiusque ſeptendecim ſpecies ſunt, amphisbaena vero caput caudamque dubiam offert, quarum quindecim ſpecies deſcriptas in- p. 51.

 uenit

uenit Cl. Auctor, eleganter a natura coloribus pictas atque variantes. Horum venenati morſus non aeque ac praecedentium celeriter nocent, ſed inflammatione ſenſim facta, tempus applicandi et opponendi efficacia remedia relinquunt.

p. 58. Accedimus ad alterum herpetologiae ordinem, qui de vermibus exponit. Eſt autem Noſtro *vermis, animal herpetum, exſangue, transformationi non obnoxium, cute nuda, ſpina carens, non niſi guſtum et tactum habens, tracheis in muſculis praeditum.* In tres ſecedit claſſes, in *lumbricum, taeniam* et *hirudinem.* Lumbricum teretem vocat vermem Noſter, corpore vel annulato, vel laeui aut laeuiſſimo, cuius ulteriora genera a loco, quem inhabitare ſolent, definiuntur. Eſt itaque horum alius *terreſtris*, qui in aqua degere non poteſt: Quatuor illorum recenſet Noſter, eosque a caudae figura et faſcia in dorſo praeſente & abſente diſtinguit. Alium deprehendimus eſſe *aquaticum*, qui in terra vel ſicco non ſubſiſtit, in quibus magnitudo et craſſities differentiam conſtituit. Refertur huc *Gordius* Cl. LINNAEI, cuius in filiformi corpore elegantes motus deſcripti leguntur. Tandem lumbricus eſt *animalium*, qui corpus habet teres et in partibus animalium habitat. In rene lupi inuentum ſimilem vermem, olim cum ſocietate Anglicana communicatum, deſcriptum et delineatum dederat Cl. Auctor, cuius icones nunc perfectiores iterum proponit, ſimulque internam eorum fabricam, per ſectionem noſcendam, exponit, in

p. 64. *Tab. II.* Ab his diſcrepat *Taenia*, in claſſe ſecunda deſcripta, quae vermis articulatus eſt, et *Hirudo*, claſſem tertiam efficiens, qui vermis eſt aquaticus, ventre ſeſſili, cauda tereti, annulatus. Illa, quae medicinae loco adhibetur, ſpecies, in fundo oris carunculas dentiformes, maiores, acutas, latas et albas, molles habet.

Obſer-

Obſeruatio Cl. I. A. VNZERI de taeniis ex promtuario Hamburgenſi deſumta eſt *, et ad calcem libri accedit. Putat nimirum ille, taenias, a femina excretas, per aquam putealem hauſtam ingurgitatas et enutritas fuiſſe, idque ea propter, quod a potu aquae dum abſtinuit femina, a taeniis etiam liberata fuit, ſimulque monet, teretes inteſtinorum vermes cum lumbricis terreſtribus accuratiſſime conuenire. Huic itaque opinioni varia, quae hic modeſte declarat, opposuit dubia Cl. Auctor. Non enim definire audet, omnium auctorum eam eſſe ſententiam, vermes teretes ac lumbricos terreſtres eſſe eosdem, quippe qui ſtructura corporum, cinguli ſeu faſciae in dorſo et annulorum abſentia, nec non aliis conditionibus ab illis diſtinguuntur **. Porro ea de quaeſtione mouet dubitationem, num lumbricorum terreſtrium oua vel cum aqua hauriri, vel hauſta in corpore animali poſſint enutriri. Id, quod iterum negat Noſter, quoniam calorem ferre nequeunt terreſtres lumbrici, quo deſtituti inteſtinales pereunt: quoniam ouula etiam forma externa utriusque vermis differunt: quoniam aquam fugiunt terreſtres, in qua inteſtinales degunt. Filiformis etiam vermis, quem *Gordium* Cl. LINNAEVS nominat, quemque ore hauſtum Nigritarum morbos varios excitare adſerunt, in inteſtinis non commoratur, ſed per corpus vagando in lumbis, pedibus, brachiisque exitum quaerit, ut longe probabilius ſit, per poros cutis eundem ſeſe inſinuaſſe, per easdem autem vias iterum aufugere tentaſſe. De taeniis tandem, quod rariſſime extra corpus inueniuntur, longe obſcurior eſt ſententia. Quae quum p. 67.

* Conf. huius promtuarii To. VIII. Part. III. no. 6. pag. 312. et Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 66.

** Conf. quae hac de re eleganter docuit GVALTH. VAN DOEVEREN in diſſ. de vermibus inteſtinalibus hominum. Lugd. Batav. 1753. 4. vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 449.

ita ſint, ſtamina quaedam verminoſa in hominibus praeſupponenda eſſe putat Cl. Auctor, licet in omnibus non euireſcant, quum nulla fere internarum partium ſit, quae aliquando vermibus obſeſſa deprehenſa non fuerit. Verum et haec, a variis defenſa, opinio, difficultatibus non caret.

X.

Hamburgiſches Magazin oder geſammlete Schriften, aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Dreyzehnter und vierzehnter Band. Hamburg und Leipzig, bey G. C. Grund, und A. H. Holle. 1754 und 1755. 8. Dreyzehnter Band 1 Alph. 19 Bog. 1 Kupf. Vierzehnter Band 1 Alph. 19 Bog. 2 Kupf.

Hoc eſt:

Promtuarium Hamburgenſe ſiue collectio ſcriptorum, ex ſcientia naturali et humanioribus litteris depromtorum. Vol. XIII. et XIV.

p. 3. Part. I. no. 1. Itali cuiusdam epiſtola *de morſu tarantulae*, ex diario anglico, *the Gentleman's Magazine for ſept.* 1753. translata eſt a Cl. CHRISTLOB MYLIO.

p. 9. *No.* 2. THEOD. THORKELLI WIDALINI, olim Rectoris Scholae Skalholtenſis, *de montibus Islandiae cryſtallinis tractationem* e latino ſermone vertit notisque illuſtrauit affinis Auctoris, WIDALINVS, iam Lipſiae degens litterarum gratia. Cl. Auctor vero, de nomine horum montium in patria lingua eiusque deriuatione, vocant eos *Jökull*, non nulla primum ubi expoſuit, montes ſuos aggreditur propius, atque ſub iisdem illam hic intelligi vult glaciei molem, quae in plano Islandiae agro ſponte orta, creſcen-

creſcendo ſenſim ſummorum montium adaequat altitudinem, duraturam per aeuum. In orientali in primis Islandiae regione, huiusque in agro *Skaptafells-ſyſla*, inter alios montes, tali haud cinctos glacie, arenoſa occupant cryſtallini montes loca, ſeſeque ad quinque milliaria quoad longitudinem diffundunt, latitudine ob immanes atque haud peruios receſſus nondum definita. Quicquid enim medios inter montes perhibetur viſum fuiſſe, multum redolet fabulas. Iam ſi quaeritur, unde tanta glaciei moles trahat originem, eam quidem a niue, omnem per annum montium inueſtiente cacumina, plurimi deriuare ſolent, multis tamen argumentis fieri prorſus non poſſe euincit Cl. WIDALIN, ut e niue, haud ſoluta prius, naſcatur glacies. Plura poſt haec. p. 20.

No. 3. Epiſtola de fructuum Hippocaſtani ad ſaginanda pecora praeparandorum modo, ex diario, *Iournal oeconomique octobr.* 1751. huc transſumta eſt. p. 28.

No. 4. C. S. M. *diſquiſitio de particulis martialibus in ſanguine*, per experimenta chemica demonſtratis, addito *circa ferri in coeruleo colore praeſentiam experimento.* Coeruleum illud pruſſicum, dum inuentum erat, multorum ad ſe traxit oculos et attentionem, iam ubi detectae cognitaeque fuerunt partes, eam conſtituentes, ſanguis nempe, tartarus et nitrum, igne inuicem iunctae, acidis praecipitatae iterum; cui tamen ex his tribus cauſa coloris attribui debeat, dubia res eſt. Sanguini vero in primis competere hanc tingendi vim quum crederet Noſter, varia cum illo inſtituit experimenta, eorumque iam exponit ingenue ſummam. Sanguinis bubuli exſiccati duas partes cum aequalibus nitri puri carbonumque pulueris ſufficiente quantitate commiſcuit, igne fudit valido, donec alcaleſceret, et tunc remouit, ut refrigeſceret. Poſt varia, cum ita parato lixiuio facta, tentamina, quae hic ſilemus, ad rem noſtram parum ſpectantia, quum ipſi lixiuio adfunderet ſpiritum ni- p. 31.

tri, mox fundum petiit praecipitatus crocus; liquor reliquus poſt euaporationem reddidit nitrum: crocum et aqua fortis ſoluit plenarie, et magnes auide attrahit; ſolutus ille aceto ſaporem linguae imprimit ſtypticum vitriolicum; idem poſt euaporationem dat vitriolum viride martis, quod nigro colore tingit gallarum ſolutionem. Porro croco ſuo addidit Noſter phlogiſton et igne fudit, fuſumque malleo ſubiecit; a quo quidem ſe non patitur tundi, friabilis nimis, a magnete tamen trahitur. Croci ex duabus libris ſanguinis bubuli obtinuit drachmas duas cum ſemiſſe et grana tria, ex aequali ſanguinis humani quantitate drachmas tres, et grana quindecim. En! itaque ferrum in ſanguine! en illud cauſam coloris quoque coerulei! Vt autem demonſtret Cl. Auctor, ferrum ineſſe coeruleo pigmento, aliud exponit experimentum. Limaturae martis, ſubtiliſſime contuſae, unciam unam, nitri uncias ſex, ſulphuris aliquantum, carbonumque pulueris ſufficientem quantitatem inuicem immiſit in crucibulum, igneque valido fudit; fuſa haec aqua ſoluit et per filtrum transcolauit. Sapor erat acris, alcalinus, cauſticus, illi, quem habuit lixiuium e ſanguine, haud diſſimilis. Addito dein eidem alumine et vitriolo martis, ad fundum mox ſe depoſuit pigmentum illud quaeſitum coeruleum, quod mixtum poſt cum acidis, elegantiorem ſenſim impetrauit colorem. Mars itaque cauſa coloris coerulei.

p. 46. *No. 5.* M. E. F. SCHMERSAHLII *tractatio de Hyacintho tuberoſo Indico.* Multa habet planta haec, quibus ſe commendat hominum arbitrio, et colorem, et odorem, et alia; Noſter vero ad culturam eius ſolam reſpexit, neglecta ſtructurae partium eius deſcriptione botanica. Duas eius ſpecies eſſe, aliam ſimplici flore, alteram pleno flore, quas nos diceremus varietates, primum dum monuit, tertiamque flore pleno rubicundo, quum nondum vidiſſet eam,

vel-

veluti dubiam relinquit; ſtatim ad culturam ſe vertit, ſolliciteque docet et tempus et modum, quo tubera iſtius integra per hyemem ſeruari, vereque nouo debeant in terram plantari, et auctumno tandem colligi ſemina.

Pars II. no. 1. Cl. HILL *obſeruationum microſcopicarum* et *phyſicarum continuata expoſitio*, hic legitur ex anglica in vernaculam noſtram verſa linguam*. p. 116.

No. 2. IO. GOTTFR. ZINNII *obſeruationes ex coporibus morboſis*, et p. 166.

No. 3. IO. LAVR. WITHOFII *anatome pili humani*, et p. 171.

No. 4. IO. GOTTFR. ZINNII *obſeruationes de ſcirrhis cerebelli et cerebri*, e Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis Commentariorum Tomo II, in germanicum translatae ſermonem, hic exhibentur, quarum tamen ſummam alio loco iam expoſuimus**. p. 195.

No. 5. De montibus Islandiae cryſtallinis continuata ſequitur tractatio. E niue, qua tali, naſci non poſſe glaciem ſupra euicerat Cl. WIDALINVS; iam, ubi glaciei per artem geneſin, e niuis nimirum cum ſalibus et in primis nitro commixtione, docte fuſeque demonſtrauit, ſimili modo adfirmat niuem aquasque, adfluentes copioſius, ſubterraneas, ſalium multique nitri ope, quod illis terris abunde ineſſe comprobat, facile mutari potuiſſe in tot tantaque glaciei volumina. Notatu quoque dignum eſt illud, quod ſeſe moueant hi montes cryſtallini, et modo incedant aeſtate, modo retrogrediantur hyeme, et vice verſa. Cauſa phaenomeni huius in eo ponitur, quod, dum certum ſit aquam congelaſcentem maius occupare ſpatium, idem valeat de progreſſu regreſſuque p. 197.

* Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 664. et Vol. IV. Pars I. p. 106. 108. 111. *Hamburgiſches Magazin, 12ter Band.* p. 3. 115. 355.

** vid. Comment. noſtr. Vol. II. Pars IV. p. 714.

ſuque montium. Dum enim conglaciatur aqua, propellit ante ſe, quae ei ſuperincumbunt, glaciales rupes, unde progreſſus: eadem regelaſcens, in omnes ſeſe diffundit plagas, unde collabuntur iterum retroque cedunt montes. Cl. Editor ſub finem ſuas quoque addidit adnotationes, docteque non nulla, quae forte ſupereſſent, reſoluit dubia.

p. 227. *Pars III. no. 1.* ALBERTI DE HALLER *de partibus corporis humani ſenſibilibus et irritabilibus* commentatio, Societ. Reg. Scient. Gotting. Commentar. Tom. II. p. 114. inſerta, hic germanice verſa traditur*.

p. 260. *No. 2.* ANT. LEPROTTI Epiſtola ad IAC. BARTH. BECCARI, *de aneuriſmate in arteria bronchiali aliisque obſeruationes* continens, ex Comment. Bonon. Tom. I. p. 345 ſeqq. deſumta eſt.

p. 276. *No. 3. De modo frumentum diu conſeruandi obſeruationes* ex Cl. DESLANDES libro, quem inſcripſit, *Recueil des differens traités de phyſique et d'hiſtoire naturelle. à Paris 1750. 12. p. 91.* teutonico idiomati redditae exhibentur. Sequens ordo eſt contentorum, ut delectus frumenti, dein horrea ſtruendi modus, porro inſecta frumenti granis infeſta, eademque exſtirpandi modus, poſt haec ſtructura tritici, hordei aliorumque granorum cerealium interior, tandem quoque in farina latitantes vermes conſiderentur. Primum quod attinet ad delectum frumenti, illud, quod in calidioribus creſcit terris, ſeruari diutius, quam quod frigidiores ferunt agri, itemque illud, quod ſiccioribus annis, quam quod humidioribus maturuit, melius eſſe conſtans quum doceat experientia, conſultum omnino eſſet e calidioribus terris frumenta adferre ſeruareque in publicos uſus in granariis. Granaria vero optima conſtruuntur ſub terra, ut aeris aquaeque acceſſus euitari poſſit melius.

Hic

* Comment. noſtr. Vol. II. Pars IV. p. 695. ſeqq.

Hic fuit mos veterum. Nunc quoque Afri profundis frumenta recondunt fontium cuniculis. Quum pretioſior iuſto ita exſtruendi viſa eſſet ratio, conſuetis hactenus uti licet horreis, quae docet Noſter varia ratione conſtruere melius conuenientiusque, quam fieri plerumque ſolet. Porro contra inſecta, quorum triplex deſcribit genus, frumentorum hoſtes duo in primis commendat Cl. DESLANDES remedia, nimirum, ut ſaepe iterumque parietes granariorum abradantur duro quodam inſtrumento, eoque modo, ſi qua adhaereant parietibus, ſimul enecentur inſecta, deinde ut ſulphur crebro in granariis accendatur, cuius odor dicitur inſectis omnium funeſtiſſimus. Ipſa grana ſi contemplamur, praeter culmum, qui ſpicam ſuſtinet ſuccosque, grani incremento deſtinatos, transmittit, gluma occurrit grani inuolucrum exterius, germen ſiue ea pars, qua genus ſuum propagat granum, plantae totius compendium et tandem farina, germen circum circa ambiens. Vltimo loco in farina latentium vermium exhibetur deſcriptio, deque farinae bonitate iudicium. Angli de farina cerealium ſuorum albidiori gloriantur; Galli vero de panis bonitate maiori.

No. 4. Commentariorum Societatis Regiae ſcientiarum Gottingenſis Tomi II. recenſio *. p. 310.

No. 5. De micrometro nuper inuento relatio, ex D. ROB. SMITH ad Cl. A. G. KAESTNERVM data epiſtola, ex anglico verſa ſermone. p. 334.

Pars IV. n. 2. ALBERTI DE HALLER *de partibus corporis humani ſenſibilibus et irritabilibus* commentationis Sectio II. **. p. 402.

In Promtuarii, quod indicamus, Hamburgenſis Volumine XIV. ſequentes continentur diſſertationes:

Part.

* Comment. noſtr. Vol. II. Pars IV. p. 714. ſeqq.
** ibid. p. 695.

p. 3. *Part. I. n. 1. Recherches ſur les uſages des feuilles dans les plantes et ſur quelques autres ſujets relatifs à l'hiſtoire de la vegetation par* CHARLES BONNET, recenſionem legimus, quarum ipſi uberiorem iam dedimus expoſitionem *.

p. 30. *No. 2.* Cl. HILL *obſeruationum microſcopicarum continuationem* inſertam deprehendimus **.

p. 69. *No. 3.* DOMINICI GVSMANN GALEAZZO *de tunica reticulari inteſtinorum* diſſertatio ex Comment. Bonon. Tom. I. p. 359. deſumta eſt.

p. 89. *No. 4.* A. Z. *epiſtola ad auctorem diarii, Gentleman's Magazine*, ex eius parte, quae menſe februar. 1754. prodiit, translata in vernaculam legitur, de morſu tarantulae complectens varia.

p. 94. *No. 5. Continuatio meditationum de lapidibus cochleatis.* Quas olim Promtuario ipſi Hamburgenſi inſertas, in noſtris commentariis expoſuimus***, et contra quas Cl. LEHMANN in deliciis phyſicis, quae Berolini prodiere, non nulla monuit, eas ipſas iam fuſe proſequitur, et in primis a factis eidem obiectionibus maſcule ſeſe defendit Auctor.

p. 115. *Pars II. no. 1. Het ondekt Roonhuiſiaanſch Geheim in de Vroedkunde nader opgehelderd en beveſtigt door* IACOBVS *de* VISSCHER *en* HVGO *van de* POLL, *Stads Doctoren te Amſteldam.* h. e. Arcanum Roonhuiſianum in arte obſtetricia detectum a IACOBO de VISSCHER et HVGONE van de POLL. Lugduni Bat. 1753. 8. Eſt recenſio libri, hoc titulo qui prodiit.

p. 138. *No. 2.* P. B. P. *commentatio de rore melleo, anno 1753. conſcripta.* Ita vero ſuam Cl. Auctor pertractauit diſſertationem, ut primo loco, quas ſtudioſe collegerat,

* Comment. noſtr. Vol. III. Pars IV. p. 668. ſqq.

** vid. ſupra p. 471.

*** *Hamburgiſches Magazin. IX. Band.* p. 73. et Comment. noſtr. Vol. II. Part. III. p. 477. ſeq.

legerat, de rore illo experientias enarraret ingenue, deinde in eius originem inquireret penitius, tandemque etiam effectus ipſius perpenderet ſaepe mirabiles. Inter ſegetes primum, guttarum forma, culmis, ſpicis, ariſtis granisque frumenti inſiſtentem aliquando vidit Noſter liquorem flaueſcentem, melli sacchar̃oue perquam ſimillimum, mutatamque inde iam obſeruauit granorum ſubſtantiam et ſaporem. Aliquot dies poſt magis penetrauerant guttulae; grana aliquot ad maiorem naturali increuerant longitudinem; membrana exterior eorum erat tenuis, purpurea, ſubſtantia vero ſine odore et ſapore. Similem liquorem in aliis plantis earumque partibus variis, ut in foliis ceraſi, fagi, pruni, ribeſiorum, aliarumque diuerſis temporibus obſeruauit, modo in guttulis, modo diffluentem, modo in auerſa, modo in aduerſa foliorum facie diffuſum. Interdum pediculos paruos ſimul cum rore illo vidit Noſter. Patina, libero aeri in horto per noctem expoſita, mane ſimilibus, ac folia, imbuta fuerat guttulis. In foliis inde relinquuntur ſplendentes maculae, poſt pluuias parciores, ſolis intenſiore calore copioſiores. Liquor porro, e guttulis illis collectus, ut gummi, aqua ſoluitur; ad ignem ebullit, ſenſim ſubſidet, durior, dulcisque euadit, colore tinctus fuſco; aere libero molleſcit; igne flammam concipit, flammaque exſtincta, remanet ſubſtantia nigra, filamentoſa, tenax, amari acrisque ſaporis. Iam vero quaeritur, unde ſuam ille ros melleus trahat originem? decidatne ex aere, vaporum ſub forma, uti ros vulgaris aqueus? an vero ex ipſis plantis, tamquam gummi aliquod exſudet? an denique apum aliorumue inſectorum opus ſit? Inſecta conferre nihil huic parando liquido, neque plantas ipſas illud exſudare poſſe, oſtendunt et copia et ſitus guttularum, et quibus inſident, partium diuerſitas. Confirmant potius eandem melleo illi liquori eſſe, ac rori vulgari, originem

Cl.

Cl. Auctoris experientiae. Vnde enim, niſi ex aere, deſtillare potuit liquor, qui in diuerſis plantis idem deprehenditur, qui aliis aeque adhaeret partibus, ac plantis, quique tantam copiam foliorum, haud inquinatorum antea, una nocte inquinauerat. Ex aere quidem depluit liquor hic melleus, rorisque inde nomen accepit, prouenire eum tamen ex ipſis floribus plantarum, ac perſpirationis ope, vaporum forma exhalaſſe, valde eſt probabile. Cadit enim tunc potiſſimum, quando plures florem gerunt plantae. Indoles eius ſimilis ſuccis in floribus parandis idem euincit. Quum autem parca copia eius modi liquidi perſpirare poſſit, parcior inde etiam, quam roris aquei, huius mellei deriuatur prouentus; neque ubique locorum occurrit, ſed quorſum eumdem in primis vehant venti. Rorem noſtrum melleum confundunt vulgo cum rubigine ſiue rore farinoſo, ut loquuntur germani (*Mehlthau*); ſub hoc plerumque intelligi cupiunt pediculos paruulos, qui in foliis et petiolis variarum plantarum inſident, puluerulentaque quadam materie ſaepius inquinati viſi ſunt, ſed roris nomen propter ea non meriti: namque hanc forte pediculi exſudarunt, vel plantae ipſae, ut ſali-
p. 161. ces. Tandem roris mellei effectus quod attinet, noxium valde eum eſſe probat granorum ſecalis incrementum praeternaturale, ſupra quod adnotauimus. Euenit illud tunc in primis, quando liquor iſte in granum aliquod decidit, nondum euolutis ſtaminibus, horum cum puluere ſeſe miſcet, atque ita pulueris diſperſionem cohibet, et dependentem inde ſimul grani ipſius foecundationem: cadit vero ſaepe ſine hoc effectu idem liquor, ſi tempus, ſitus et copia eumdem impediant. Auxilia contra ipſum dantur nulla; forte tamen aliquid valet pluuia, roris ſtillicidium quae mox ſequitur. Dicunt rorem hunc melleum eſſe cauſam uſtilaginis ſiue frumenti aduſti. Sed quum aduſtarum ſpicarum ſingula grana id vi-

tium

tium capiant, quum inter plures ſpicas, ſi una laborat, omnes corripiantur eodem, quum denique in ipſis granis iam lateat vitium, quod experimenta confirmant, ſuccus ille melleus cauſa vix ac ne vix quidem iſtius effectus dici iure poterit. Atque ita, quamuis in ſe noxios omnino ros melleus edat effectus, plures tamen forte eidem tribuuntur immerito.

No. 3. Ill. ELLERI *Experimenta noua et obſeruationes de vegetatione ſeminum, herbarum et arborum,* deſumta ex *Hiſtoire de l'Acad. Royale des Scienc. à Berlin, année 1752.* p. 1, et a nobis quoque iam indicata ſunt *. p. 173.

No. 4. De colica pictonum ex Cl. A. de HAEN Diſſertatione eiusdem argumenti, Hagae Comitum 1745. 8. edita, itemque ex Cl. GRASHVISII tentamine de colica pictonum. Amſterdam 1752. 8. ** excerpta legitur tractatio. p. 191.

No. 5. Non nulla recenſentur *de uſu aquae calcis viuae contra calculum* ex anglico illo libro, qui inſcribitur: ROB. WHYTTS *eſſay on the virtues of lime-water in the cure of the ſtone. Edimbourg, 1752. 12.* p. 199.

No. 7. IO. GE. ROEDERER *Sermo de pondere et longitudine recens natorum,* itemque p. 209.

P. III. no. 1. SAM. CRISTIAN. HOLLMANNI *commentatio de corporum marinorum aliorumque peregrinorum, in terra continente origine,* e Commentariorum Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis Tomo III translata ſunt, fuſeque a nobis recenſita ***. p. 227.

No. 2. A. G. KAESTNERI *animaduerſiones in tentamen aliquod opticum,* Reu. P. SCHEINERI tentamen p. 291.

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 677 ſeq.
** ibid. Vol. II. P. II. p. 241.
*** ibid. Vol. IV. P. II. p. 197. et 201.

men opticum, rem unicam bis terue videndi, explicare tentauerat Cl. LA MOTTE *in den Abhandlungen und Verſuchen der naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig, 2 Theil*, quod ipſi quoque indicauimus *. Contra hanc explicationem, quam dedit Cl. LA MOTTE, non nulla monet hic Cl. KAESTNER, atque in primis phaenomeni illus cauſam non dependere a peculiari oculi cuiusuis diſpoſitione, ſed ex theoria viſus perfecti et obſcuri explicari poſſe accuratius demonſtrat.

p. 269. *No. 3. Academiae ſcientiarum utilium, quae Erfordiae inſtituta eſt, conceſſa iura legesque rogatae*, verſione germanica donatae enarrantur.

p. 300. *No. 4. Oſſis magni, in pago Schieritz prope Miſenam urbem inuenti*, breuem deſcriptionem exhibet Cl. SCHVLZE. Quum alio iam tempore hoc in pago a ruricolis olim inuenta fuerint bina unicornua marina ſiue dentes piſcis Narual, ſuperiori anno magnum quoque os femoris effoſſum fuit, cuius ſubſtantia poroſa et friabilis, color albicans cum maculis liuidis, diploe copioſa, longitudo ulnam unam cum quadrante, diameter digitos viginti tres cum dimidio, inferior autem pars, qua cum tibia connectitur, undecim digitos longitudine, et totidem latitudine aequauit. Haud procul etiam caput oſſis femoris diffractum ſeſe obtulit foſſorum conſpectui, eratque eius diameter nouem digitorum, color albus, ſubſtantia interna ſpongioſa. Ceterum terra, in qua haec latitarunt ſepulta, limoſa erat et lutea.

p. 339. *P. IV. no. 1. Operationem chirurgicam, in veſicula fellea a ſe factam, modumque, quo unus pluresue calculi ex eadem tuto et cum ſucceſſu extrahi poſſint*, deſcribit ZACH. VOGEL, Med. et Chir. D. Pract. Lubec. Vir quidam mediae aetatis, validus et robuſtus, a febre ſuppreſſa laborauerat ictero, ab eoque reſtitutus, aliquot

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 312.

quot menſes poſt in eundem, febre acuta et delirio ſtipatum, rurſus incidit. Pharmacopolae cuiusdam opera mitior quidem euaſit morbus, liuidus tamen totius habitus cutanei tumor ſupererat; albuginea oculi flaua, pulſus debilis, lingua ſicca et obſcure flaua, in dextro in primis hypochondrio tumor durus, a febre olim ſuppreſſa ſuperſtes, in dies iam auctus, figura oualis, fluctuans, mutato ſitu idem perſiſtens, absque omni tamen febre, obſeruabantur. Calculum veſicae felleae ductum choledochum communem obturaſſe, veſicamque forte cum peritonaeo concreuiſſe collegit Cl. VOGEL, de eodem extrahendo mox meditatus. Diu ſeduloque prius perpenſis omnibus, quae difficilem hanc atque haud tentatam ante circumſtabant operationem, paratisque neceſſariis inſtrumentis, faſciis, reliquisque, ipſam operationem ſuſcipere auſus eſt. Aeger conſtanti animo libere eidem ſe ſubiecit, praecedenti die, mixturam temperantem poſtquam adſumſerat, canalemque inteſtinorum clyſmate abſtergi paſſus fuerat. Ita poſuit Noſter aegrum in tabula, ut puluinar aliquod, dorſo medio ſubiectum, tumorem ſimul eleuaret facilius inde incidendum. Cute dein parum adducta, eam ad muſculos uſque incidit, hisque cito ſeparatis peritonaeum ſeſe obtulit a tumore liberum; tunc lanceolae ope circiter digitum transuerſum longam inciſionem fecit in tumeſcentem adnatamque peritonaeo veſiculam felleam, ex qua mox effluxit multum corruptae, viſcidae, granuloſae bilis. Argentei ſpecilli auxilio calculum in ductu choledocho communi adhaerentem detexit Noſter, eumque forcipe haud difficile extraxit; poſt plures adhuc quaerens, nullos inuenit; inde materia biliosa prius educta, ut ſimplex aliud, vulnus hoc deligauit, emplaſtris fomentoque, ex vino rubro, myrrha et oleo cocto, ſuperimpoſito, cum ſextuplici ſplenio, additis ultimo, quae requiruntur, faſciis. Quies riteque obſeruata

 medendi

medendi methodus, intra quatuor hebdomadum ſpatium, aegrum perfecte ſanitati reſtituit. Similem ſe iam, quum haec ſcripſit, tractare morbum Cl. VOGEL monet, quem cum aliis rarioribus obſeruationibus ſe in lucem editurum eſſe pollicetur.

p. 349. *No. 2.* Legitur recenſio *tentaminis Herpetologiae, auctore* IAC. THEOD. KLEIN *.

p. 365. *No. 3. Rariora quaedam hypochondriacorum ſymptomata* deſcribit Cl. H. G. HOPPE. Quas alio iam tempore, promtuario ipſi Hamburgenſi inſeruerat de hypochondriacis ſymptomatibus, meditationes nos quoque enarrauimus **, nunc commemoraturi breuiter, quae exponit de rarioribus, quae ipſe paſſus eſt hypochondriis laborans, ſymptomatibus. Notatu dignum in primis putat eſſe tempus, quo ſuos illud malum continuo renouauerat inſultus, quum mitiores hosce quotidie ab hora quarta ad octauam poſt meridiem, vehementiores vero ab hora decima ad duodecimam matutinam, idque cum conſtantia, expertus fuerit. Cuius phaenomeni cauſam ſi quaeras in acido ventriculi, quod in primis hypochondriacos vexat, quodque verſus veſperam augeatur a relictis ciborum cruditatibus, illa quidem multorum, quae hypochondriacis accidunt, malorum fons eſt, huic tamen producendo effectui minus rite reſpondet. Nam nullis licet probe ſciret Noſter ſe onerari in ventriculo cruditatibus, circa conſuetum tamen tempus ſemper rediere ſymptomata. Neque ab acido etiam deriuari poſſe idem affirmat illud ſymptomatum genus, quod externas tantum capitis et thoracis partes cruciaret. Potius igitur ducit eſſe Cl. HOPPE, fateri ingenue ignorantiam ſuam cauſae huius phaenomeni,

* Vid. Comment. noſtr. huius voluminis p. 462.

** Vid. Promtuarium Hamburgenſe. Tom. VIII. Pars VI. n. 3. p. 604. et Tom. IX. Pars VI. n. 1. p. 339. et Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 70. et Vol. III. P. III. p. 433 ſeq.

ni, quam ad multas easque occultas confugere de eadem hypotheſes. Aliud ſingulare ſymptoma eſt, quod ſaepe perpeſſus fuit, laſſitudo ſumma, ſenſuumque obnubilatio, poſt varia conſuetaque ſymptomata ſuperueniens; pulſus nulla mutatio; reſpiratio parum aucta; tandem acceſſit ſudor in facie; ſenſim ceſſat laſſitudo; ſenſuum vigor redit, viriumque ita reſtauratur robur, ac ſi nulla prorſus ſenſiſſet Noſter incommoda. Cui oppoſita ſaepe acceſſit praeternaturalis quaedam animi corporisque alacritas. Suas ſponte libereque anima perficiebat actiones, ingenium vigebat optime, feraxque nouis erat ideis, quae longa ſeſe ſerie excipiebant, atque animum diu multumque reficiebant; ſed mox in occipite et vertice tenſio quaedam moleſta, mox auctior, et in primis verſus veſperam ſentiebatur; ſudor ſuperueniens leuabat malum; ſponte ſenſimque ceſſabat etiam inſignis illa animi alacritas. Quae cauſa ſit huius phaenomeni, in dubio relinquitur.

No. 4. E. *ab* HEDEMAN Epiſtola ad Cl. KAESTNERVM, qua tentamen aliquod magneticum exponit. Chalybem, vi magnetica imbutum, ab incude fortius attrahere ferrum, Ill. REAVMVR docuit; ſi nimirum ille non laminae ferreae, ſed magnae portioni ferri, inſtar incudis, adfixus fuerit; Cl. HEDEMAN tentauit illud cum chalybe eius modi in fornace humili ferreo, eiusque vim attrahentem inuenit omnino fortiorem. Idem tentauit cum magnete vero natiuo. Qui autem quum aliquando frigido fornaci impoſitus eſſet, trahere ferrum recuſauit, neque quid attraxit aliquot dies poſt; tandem tamen igne carbonum admoto calefactus, ſponte iterum attraxit vel maximum pondus. Quod tentamen, ulteriori omnino dignum diſquiſitione, ut repetatur accuratiusque deſcribatur, in ſubiecta nota monuit Cl. KAESTNER. p. 376.

p. 378. *No. 5.* Cl. ABRAH. GOTTHELF KAESTNER, quod nuper edidit cum adnotationibus et additamentis, ex anglico verſi, *ſyſtematis completi optices* ROBERTI SMITH, recenſionem exhibet.

p. 433. *No. 7. De iis, qui dicuntur icti a tarantula*, epiſtola ad Cl. KAESTNERVM data ab A. F. BÜSCHING. Quorum mentionem fecerunt epiſtolae aliquot, Promtuario huic Hamburgenſi inſertae, a tarantula ictos Noſter credit aſtutos potius fuiſſe mendicos, qui miros eiusmodi ſimulando motus, decipere et flectere laborauerint hominum animos, ut ſtipem darent eorum miſeria commoti largiorem.

p. 437. *No. 8.* Excerptum ex epiſtola quadam D. STEPH. HALES d. 25. ian. 1755. de uſu ventilatorum ipſius non nulla exponit.

p. 441. *No. 9.* IO. GOTTFR. OHNEF. RICHTERI *Ichthyotheologiam*, germanico idiomate conſcriptam, recenſuit Cl. KAESTNER.

p. 477. *No. 10. De elaſticitate glaciei* experientia adducitur ex *Hiſtoire de l' Acad. Roy. des Scienc. à Paris, année* 1752. In niuis conglaciatae portionem, fortuito caſu immittebatur culter, ſed ad quatuor pedes protinus repellebatur; aliquoties repetitum hoc tentamen eumdem ſemper edidit effectum.

p. 451. *Part. V. no. 1. Aedificiorum*, quae vocantur, *gradatoria* (*Gradier oder Lecke-Hæuſer*), *in coquendo ſale uſum* demonſtrare tentauit Cl. GERH. LVDW. MEYER. Quum noſtris diebus magna ubique ſit ligni caritas, eiusque pretium vel in dies augeatur; multam vero eius copiam ſal ad cocturam ſui poſtulet, multisque adeo ſimul impenſis det occaſionem; ut lignorum parcior ad coquendum ſalem fiat uſus, omni ſtudio efficiendum eſt. Illud autem ope aedificiorum gradatoriorum in primis obtineri poſſe, fuſe demonſtrat Cl. MEYER. Minor enim lignorum copia tunc requiritur, atque nihilo minus maior ſalis quanti-

quantitas eorum ope coquitur. Vt id oſtendat, ſigillatim enumerat Noſter impenſas illas, quae, ſi ſola ignis vi excoquitur ſal, requiruntur, additque etiam e ſale ita cocto factos reditus; Quibus cum deinde comparat impenſas reditusque, quae, quando ope gradatoriorum aedificiorum coctura ſalis perficitur, quotannis deprehenduntur; unde magnam omnino apparet eſſe impenſarum redituumque differentiam, ita, ut priori caſu plus ſit impenſarum, quam redituum. Inſignis igitur omnino gradatoriorum aedificiorum utilitas, immo neceſſitas inde intelligitur. Conſilium propter ea quoque dat Noſter plura adhuc exſtruendi eius modi aedificia, modumque ſimul exponit atque rationem, qua illa ſtrui optime debeant. Quae vero omnia, quum magis ſpectent mechanicam oeconomicamque, huc referre vix licet. Sub finem tandem tractationis ſuae Cl. MEYER in Ill. IO. CHRIST. a DREYHAVPT, qui gradatorias domus ſtatuerat minus eſſe utiles, animaduerſiones addit.

No. 2. Cl. MODEL *meditationes de partibus conſtitutiuis boracis, occaſione diſquiſiti ab ipſo ſalis cuiusdam perſici propoſitae*, in vernaculam translatae ſunt, a nobis vero iam olim recenſitae *. p. 473.

No. 3. *De fonte quodam, quo coeci capiuntur lupi piſces, obſeruatio*, ex *Hiſtoire de l'Acad. Royale des Scienc. à Paris, année 1752. p. 27.* deſumta eſt **. p. 522.

No. 4. *Scirrhum rariorem* deſcribit IO. CONR. FVESLIN. Virum quendam triginta circiter et, quod excurrit, annorum, phlegmaticaeque temperiei, inuaſerant vehementes capitis, dorſi, laterum ventrisque dolores, multis coniuncti cum flatibus. Chirurgi cuiusdam caſtrenſis auxilio conualuit quidem, ſed aliquot annos poſt rediit idem malum, inſigni cum laſſitudine membrorumque omnium dolo- p. 524.

 re

* Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 265 ſeq.

** Pertinet hiſtoria acad. reg. ſcientiar. ad annum 1748. vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. IV. p. 577.

re ſtipatum; conqueri coepit aeger de pondere circa praecordia; medicaſtrorum, quos conſuluit, plus nocuerunt auxilia; neque balnea attulerunt leuamen aliquod; deglutitio redditur difficilis, ſenſimque difficilior, ita, ut praeter fluida vix quidquam admitteret. Variis multisque fruſtra tentatis remediis, augetur malum, accedit frigus corporis, capitis dolor, inquietudo, ſomni defectus, tumor abdominis, dorſi dolor immanis, ſputum viſcidum ſqualidum; deglutitio prorſus tollitur; cruoris aliqua portio ſputo reii-
p. 529. citur; malorum tot tandem finem facit mors. Sectione facta, ſequentia inuenit Cl. FVESLIN: Omentum prorſus euanuit; inteſtina fuerunt vacua, naturali tamen praedita colore; ventriculi loco apparuit magnus tumor ſcirrhoſus; pars parua fundi ventriculi ſuperfuit, valde contracta, inſtar inteſtini; ſcirrhus cardiam totam occupauit; ſpecillo immiſſo ulcus detectum fuit, ventriculum quod perforauerat, tres digitos latos ambitu ſuo continens. Scirrhus porro adhaeſit firmiter diaphragmati, membranae internae ſupra aortam venamque cauam, atque ipſis vertebris. Pylorus totus ſeſe immiſerat in ſcirrhum, ita, ut hic iſtum circum circa ambiret. Ad duodenum ſeſe extendens, glandulas meſenterii quoque obſtruxerat tumor, ad ductum choledochum progreſſus, hepati accreuit, atque cum liene ſe coniunxit ope vaſorum breuium. Figura eius fuit triangularis, irregularis; pondus trium librarum cum dimidia. Reliqua viſcera integra fuerunt et ſana, praeter cor, quod valde paruum apparuit. Glandulae, oeſophagum tracheamque ambientes, intumuerunt multum; e quibus eminuit magna quaedam, gallinae oui inſtar, glandula ſcirrhoſa, accreuitque venae iugulari in latere ſiniſtro ſub clauicula.

p. 532. *No. 5. Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis. Tomus III ad annum 1753.* recenſentur; id, quod ipſi iam fecimus *.

Part.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 193 ſeq.

Part. VI. no. 1. De indole et efficacia ſpeculorum cauſticorum parabolicorum, quae ſtruit PETER HOESEN, Mechanicus et Faber lignarius regius dreſdenſis, tractatus germanice edictus a I. P. HÖSEN, recenſetur. p. 563.

No. 3. Continuatio hiſtoriae naturalis Louiſianae regionis, cuius priorem commentationem inſertam inuenimus Promtuarii huius Hamburgenſis Tomo X. Parti II, ex diario oeconomico translata in germanicam linguam. p. 578.

N. 5. Animaduerſiones in Roonhuiſianum arcanum detectum obſtetricium, quod ſupra vidimus expoſitum in ipſo Promtuarii Hamburgenſis Vol. XIV. P. II. no. 1. Illud autem inſtrumentum, in quo latuit arcanum, in unico tantum caſu adplicari poſſe, atque tunc etiam plerumque cum periculo, numquam tuto, ſaepe ſine fructu id fieri, variis argumentis affirmat auctor anonymus. p. 643.

No. 6. Recenſionem legimus *de Hydrargyro tentaminis phyſico-medici. Partis prioris, auctore* CHRISTIANO XAVERIO WABST. M. D. *Vindobonae*, 1754. 4. p. 653.

XI.

Eſſai ſur l'Education médicinale, des Enfans, et ſur leurs Maladies. Par M. BROVZET, Médecin Ordinaire du Roi, de l'Infirmerie Royale et des Hopitaux de Fontainebleau; Correſpondant de l'Académie Royale des Sciences, et Membre de l'Académie des Sciences et Belles-Lettres de Beziers, etc. Tome Premier et Second. A Paris, Chez la Veuve Cavelier et Fils. MDCCLIV. Volum. II. in 12 mai. Vol. I. pag. 404. praefat. pag. 68. Vol. II. pag. 368. una cum indice.

i. e.

Tentamen de educatione medica infantum, eorumque morbis. Auctore Cl. BROVZET, etc.

Medicam infantum educationem e manibus imperitarum nutricum matrumque infantes ſuos ſaepe nimium deperientium erepturus Cl. Auctor, medicisque hanc medicae cognitionis nobiliſſimam partem vindicaturus, totum opus in *tres libros* diuiſit, quorum *primus* infantis ſtatum eiusque educationem medicam a prima conceptione ad ablactationis uſque tempus in ſex capitibus conſiderat. *Secundus*, quo primum huius operis abſoluitur volumen, diſſertationis filum, in quinque capitibus, ab ablactationis tempore ad pubertatis terminos continuat; et *tertius* tandem, in ſecundo volumine contentus liber, infantum morbos in quinque capitibus exponit.

Merito vero medica infantum educatio iam hominis naſcendi et in utero adhuc latitantis curam habere
p. 1. debet. Poſteaquam igitur huius conceptionem ſecundum Cl. DE BVFFON ſeu potius HIPPOCRATIS ſyſtema

ſyſtema ex miſcela ſpermatum in utero fieri oſtendit, atque embryonis ſtatum et pericula in utero materno, nec non praegnantium regimen, ad haec evitanda, deſcripſit; in geſtationis terminos inquirit, p. 37.
ſignaque inſtantis puerperii vel abortus, una cum partus accidentibus, ipſaque infantis natiuitate, conſiderat; atque, hac occaſione, caſum quemdam ad modum rarum refert, quo femina quaedam, anno 1748 Marſeillani in Occitania, puerum viuum edidit, ſexto exacto menſe poſt aliud praegreſſum puerperium, quem quinque menſium aetatis aeſtimat. Hic vero adeo paruus et debilis, cum oculis clauſis, membris flaccidis pendentibusque, fuit, ut vix pro viuo haberetur. Per integros tamen quatuor menſes, quo toto temporis ſpatio nec eiulauit, nec excrementa reddidit, (id, quod nobis vero vix probabile videtur), lactis tepidi quibusdam guttis enutritus, tandem hoc vix ſuperato, clamare, excrementa reddere, ſugere tantaque incrementa capere coepit, ut, poſt quindecim vel ſedecim menſes, coaetaneos ſuos robore adhuc ſuperaret.

Omnes dein mutationes, quae in organis ſenſo- p. 62.
riis, ſanguinis circulatione, reliquisque infantis recens nati viſceribus naturaliter ac neceſſario occurrunt, una cum optima, eius modi tenellos rite tractandi, faſciisque quam commodiſſime inuoluendi, methodo, ſatis copioſe, et ad viuum usque, tradidit, atque depinxit. Infantis cutis, quam primum ex magis humido calidoque uteri loco in aerem ambientem, ceu longe leuiorem frigidiorem atque ſicciorem peruenit, neceſſario inflari, irritari, rubere, plus minus inflammari, eryſipelatisque ſpeciem formare debet, quae primus plerumque infantis morbus eſt. Haec ſumme vero conuulſiua maximeque p. 88.
inflammatoria febris non niſi per meconii euacuationem terminatur, quae huius morbi criſis eſt, natura quaſi ipſa ſic nobis monſtrante, quanti fere in omnibus

p. 92. bus morbis alui purgatio aeſtimanda ſit. Meconii quoque euacuatio leniſſimis promoueri poteſt; clyſmata vero, quantumcunque ſalutaria videantur, ideo tamen exulent, quia, colon celeriter nimiumque expandendo, et diaphragma comprimendo, magnas excitare poſſunt turbas. Suppoſitorium hiſce, ex melle et ſapone paratum, ex Cl. Auctoris ſententia,
p. 110. longe praeferri debet. Somnus dein atque corporis infantilis huic maxime conueniens poſitura, cunarum
p. 128. motus, crebra infantum abluitio, cui longe commodius ſalubriusque canum hoc edoctorum linctus ſubſtitui poſſent, ligamenti ſublingualis in caſu neceſſitatis diſciſſio, atque tempus tandem, quo prima infanti alimenta porrigenda ſint, conſideratur, variaeque utiles inſperguntur animaduerſiones.

p. 134. Nutritionis negotio hinc breuiter explicato, nutrimentum potiſſimum diſquiritur, quod infanti re-
p. 148. cens nato porrigi debeat. Quaeſtiones vero: Eſtne lac ad nutriendos infantes neceſſarium? Eſtne lac muliebre? Eſtne lac maternum? ſic diquiſiuit, ut
p. 151. tandem afferat: 1) HELMONTII methodum * illi, qua lacte nutriuntur infantes procul dubio praeferendam eſſe, ſi unicum, quod iſte adduxit, nobile exemplum, ad illam generatim commendandam ſuf-
p. 161. ficeret. 2) Methodum educandi infantes recens natos animalium et praeſertim vaccarum ** vel caprarum

* *Laudo*, inquit, *pro puero noſtro alimenta, quae pane tantiſper in tenui cereuiſia bullito, cum melle deſpumato, ſin minus ſaccharo, inſtituitur, donec ſimul in mucilaginis aut collae ſpeciem, ſiue gelatinam deuenerint; huic tunc tantumdem tenui cereuiſiae miſcetur quantum ſatis, ut potus loco inſeruiat.* VAN-HELMONT. De Nutrit. Infant. ad Vit. long. vid. Ortum Medicinae Amſterodami 1648. 4to. p. 784.

** Quomodo lac vaccinum humano ſimilius et ad nutriendum infantem aptius reddi poſſit, docuit Cl. IAC. REINBOLD SPIELMANN in diſſ. med. de optimo infan-

rum lacte, ſi illud praecipue per tubulum quemdam ſugere, et ſic cum propria ſaliua permiſcere queant, non ſolum non periculoſam, ſed, in ſe ſpectatam, quoque, ad minimum aeque ſecuram eſſe, ac methodum educandi liberos per nutrices. Huius vero methodi generalem introductionem magis exoptandam, quam ſperandam eſſe. 3) Matrem firma vale- p. 165.
tudine praeditam, diaetae regulis obedientem atque ab animi affectibus liberam, nutrici rure degenti; hanc vero, matri debili, delicatulae animique affectibus deditae, praeferendam eſſe. Nutrici vero rure degenti, domeſticam nutricem ſemper eſſe anteponendam, hancque matri fere ubique aequiparari poſſe. Examinatis dein optimae nutricis, optimique p. 186.
lactis, characteribus; diaetae regimen nutrici ac lactanti conueniens deſcribit Cl. Auctor; nec opus eſſe p. 204.
cenſet, ut nutrices maritatae a virorum amplexibus penitus arceantur. Veneris enim moderatum exercitium, ex Cl. Auctoris ſententia, lac non turbat; plenaria vero invitaque iocorum coniugalium priuatio ſanitatem lactisque bonitatem earum, quae veneris deliciis adſuetae, iisdem, quo magis irrito conamine, eo ardentius ſemper inſidiantur, longe grauius affici poteſt. Pulticulas quoque ex lacte et fari- p. 214.
na ad conſiſtentiam conſuetam coctas minime adprobat; quodſi vero lac ſolum ad nutriendum infantem non ſufficere deprehendatur, tunc forte ſupplementi loco pulticulam ex malto, ſeu farina hordei germinati, magis conducere ideo quoque arbitratur, quia, in Gallia Narbonenſi, infantes, *panada* enutriti, ſaniſſimi plerumque reperiuntur, rachitide et affectibus ſcrophuloſis iſtic locorum vix cognitis. Quamdiu vero infans lactatur, illi prorſus nihil de reliquis cibo- p. 220.
rum

infantis recens nati alimento. Argentor. 1753. 4. pag. 29. et Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 315.

rum generibus * praeter memoratam pulticulam concedendum eſſe ſuadet, et cautiones addit, quibus mediante nutricum lacte medicamenta quaedam infantibus exhiberi queant. Pulchra denique ſaliuationis infantum dentitioni praeuiae, pruritus gingiuarum, et dentitionis negotii ipſius, deſcriptio, additis ubique medendi conſiliis, primam educationis
p. 234. medicae infantum partem abſoluit. Miramur vero, cur in neceſſitatis caſu gingiuas cum unguis extremitate ſuperficietenus tantum incidendas eſſe ſuadeat, cauendo, ne gingiua ad os uſque maxillare nec periosteum laedatur?

p. 243. Quando iam omnes fere dentes prodierunt, id quod decimo quinto vel ſexto menſe plerumque fieri
p. 254. ſolet, tunc infans tuto ablactari poteſt. Methodum vero, qua infantibus cibi maſticati exhibentur, reprobat Cl. Auctor, et longe melius eſſe cenſet, ſi ipſi cibos maſticare propriaque cum ſaliua miſcere adſueſcant, taliaque ipſis exhibeantur, quae diuturna
p. 260. maſticatione haud indigent. Ablactationis vero tempore infantes omni lacte penitus priuandi ſunt, plurimique ablactationi ſuperuenientes morbi Noſtro vel a praua variorum diuerſimode inter ſe mixtorum alimentorum qualitate, vel a nimia eorum quantitate
p. 262. dependere videntur. Generatim vero ablactatis cibos facilis digeſtionis, et aquam puram pro potu ordinario commendat, totumque reliquum infantibus maxime conueniens diaetae regimen ſecundum ſex
p. 319. res non naturales egregie pertractat. Veſtimenta dein conſiderat, quae horum ſanitatem tueri corporisque incolumitatem quam commodiſſime ſeruare
p. 328. poſſunt. Oleoſa et magis emolliens lanae qualitas infantum cuti, quae rudis plerumque, ſicca, leuibusque fiſſuris ſubiecta eſſe ſolet, prae linteis Noſtro conuenientior eſſe videtur, et hinc quoque ſubtiliores,

* Conf. cit. diſſert. Cl. SPIELMANN. p. 6. et 30. ſeq. et Comment. noſtr. l. c. p. 314. et 316.

res, ex lana confectos, pannos iisdem ad corporis ſuperficiem tegendam ſuadet Cl. Auctor. Thoracum p. 330. commodis incommodisque perpenſis, eosdem, ſi modo rite confecti ſint, plane reiiciendos non eſſe, ſed potius varios non contemnendos uſus praeſtare poſſe arbitratur. Pubertatis tandem mutationes cum p. 342. HIPPOCRATE atque STAHLIO ex cutis tunc temporis fiente contingente maiore conſtrictione maioreque exſiccatione deriuat; et haec quoque Noſtro uberioris crinium prouentus barbaeque ortus ratio eſſe videtur. Miramur vero, Cl. Auctorem primores p. 372. dentes pro ſuccedaneorum epiphyſibus habere, eosque radice plane deſtitui, affirmare potuiſſe. Ea, p. 379. quae dentibus interdum ſub tartari nomine adhaeret, lapidea fere concretio, a morbis potius, quam a terreſtribus alimentorum particulis Cl. Auctori deriuanda eſſe videtur. En ſingularem caſum, quo hoc ulterius confirmare conatur! Virgo quaedam aetate iam prouectior, colicae nephriticae admodum ſubiecta, ſaepiſſime calculos piſi magnitudinis per plures annos excernens, dentium tandem doloribus corripitur; quo facto dentes non ſolum exterius ad marmoreae ſubſtantiae altitudinem uſque laminis eiusmodi tartareis obteguntur, ſed idem quoque in interna oris parte prope dentes inciſores accidit. Hac vero cruſta paullo poſt ſponte delapſa, nec colicae nephriticae reuerterunt, nec aegra amplius calculos, ſed per urinam tantum ſabuli quidpiam ſubinde excreuit. Dentes praeter ea in plurimis morbis, praecipue ta- p. 382. men in quibusdam febribus malignis, tartareis eius modi, ex Noſtri opinione, laminis obteguntur, quas pro tot lamellis contextus celluloſi gingiuarum, conſiſtentiam ſcirrhoſam nactis, haberi poſſe autumat. Monita tandem de capillis unguibusque, ad ſanitatem pulchritudinemque corporis conſeruandis, primi voluminis ſecundo libro finem faciunt.

In

In recenſendo tandem ſecundo volumine, ſeu tertio totius operis libro eo breuiores eſſe poterimus, quo breuius ipſe Cl. Auctor plurimos infantum morbos nobis pertractaſſe videtur. Indicata igitur capitum ſumma, pauca tantum, Cl. Auctori propria viſa,
p. 4. hinc inde decerpturi ſumus. *Primum caput* acutos infantum morbos tradit, quorſum conuulſiones, tuſſis, vomitus, diarrhoea, vermes, ventris intumeſcentia, nec non variolae ac morbilli referuntur.
p. 91. *Secundum* morbos externos complectitur, ut cruſtam lacteam, morbos narium, aurium, oculorum, faciei, aphthas, cingulum et cruſtas circa umbilicum reliquumque corpus, hernias, haemorrhoides, ac inteſtini recti prolapſum et fiſſuras tandem labiorum manuumque, in quibus fere omnibus vini tepidi lo-
p. 131. tiones optimum remedium eſſe cenſet. *Tertium* morbos organicos exhibet, in quo de mala conformatione capitis, morbis oculorum, palpebrarum, labro leporino, morbis trunci, atque extremitatum
p. 175. tam ſuperiorum, quam inferiorum agitur. *Quartum* morbos infantum chronicos deſcribit, quales ſunt, diſpoſitio ad calculum renum et veſicae, ſcrophulae,
p. 217. rachitis. *Vltimum* denique raros infantiae morbos et extraordinarios recenſet; huc pertinent: vermes umbilicales, crinones, pili inter cutem et carnem naſcentes, loquelae vitia et defectus, chorea S. Viti, tracheae tumor, verrucae manuum et faciei, morbus ſolſtitialis S. Syriae, aurium ſtillicidium, oſcitatio frequentior, hydrocephalus, pediculi capitis, et corporis totius marceſcentia.

p. 10. In conuulſionum paroxyſmo infantibus ſaepe tartarum emeticum maiore, quam Ill. HOFFMANN doſi, et cum ſucceſſu quidem exhibuit, remiſſio enim non ſemper exſpectari poteſt. Purgantia quoque conducunt, ſed extra paroxyſmum; leniora vero
p. 37. morbum ipſi potius augere videntur. Vermes omnem chylum conſumere, inteſtina rodere ac perforare,

ſorare, in oeſophagum adſcendere, inteſtinorum motum intercipere, eosdemque vermifugis fugari poſſe, ideo prorſus negat, quia 1) parum admodum comedant, pinguiſſimique ſaepe infantes vermibus maxime excrucientur, 2) inſtrumentis ad mordendum aptis deſtituantur, 3) ipſi potius a conuulſiuis ventriculi et inteſtinorum motibus ſurſum deorſumque rapiantur, et 4) longe debiliores ſint, quam qui inteſtinorum motum intercipere valeant. Vermes p. 48. quoque viuos et bene nutritos aceto, vino, abſinthii decocto, aquae atque oleo indidit, quorum bina ultima eos parum tantum debilitare, reliqua vero potius longe viuaciores reddere videbantur. Tartarus ſtibiatus, quem in omnibus vermium affectibus p. 60. valde commendat, puellae undecim annorum bis exhibitus, vermem ſolitarium cum multa viſcoſa bilioſaque materie excuſſit. Infantes quoque ante pubertatis terminum aſcaridibus fere non ſubiectos eſſe arbitratur *. Inteſtini recti prolapſum facile curari p. 121. poſſe memorat, ſi alui excrementa erecti ſtantes reddere moneantur. Cartilaginem xiphoideam a riſu p. 151. immoderato interiora verſus cedere vidit, et quaeſtionem tandem proponit, annon ſcrophularum inoculatio illas minus periculoſas minusque pertinaces p. 196. reddere poſſit?

* Nobis vero aliquot pueri noti ſunt, qui ante hos aliquot annos, quinto circiter vel ſexto aetatis anno de intolerabili ani pruritu conquerebantur; et cum exterius nulla huius pruritus cauſa detegi poſſet, excrementa horum puerorum ſtatim poſt alui depoſitionem attentius perluſtrata innumerabiles, paruos, viuosque adhuc, albos, iisque haud abſimiles vermiculos undiquaque in externa ſuperficie conſpectui exhibebant, qui in caſeis fere quotidie occurrunt. Continuatus per aliquot ſeptimanas rhabarbari aethiopisque mineralis uſus eos ab hoc intolerabili pruritu aſcaridibusque ipſis prorſus liberauit.

XII.

Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de Chirurgie Tom. I. à Paris chez Delaguette, 1753. 4to. mai. 3 alph.

Hoc eſt:

Collectio diſſertationum, quibus de praemio, in academia regia chirurgiae obtinendo, concertatum fuit. Tom. I.

Non de praemio tantum obtinendo, ſed de aſſenſu eruditorum aſſequendo ſolliciti ſunt, qui quaeſtiones a ſocietatibus publicis propoſitas elaborandas ſibi ſumunt, omnem itaque animi vim eo dirigunt, ut de themate propoſito accurate exponant, ideoque in medicina et ſcientia naturali potiſſimum perficienda hos labores omnino utiles eſſe, quis eſt, qui neſcit. Et certe utiles erunt eae, quae nunc proponuntur, diſſertationes, qua propter nos, qui nuper tomum ſecundum commentariorum, ab academia regia chirurgica pariſina editum, propoſuimus *, lectoribus noſtris haud ingratum laborem ſuſcepturi erimus, ſi et ea, quae in hoc volumine continentur, breuiter indicemus.

Exoptat vero in praefatione ſocietas, ut ii, qui quaeſtiones reſoluendas ſibi ſumunt, ideam quaeſtionis primo euoluant, porro vel definitiones vel propoſitiones principes praemittant, deinde diuiſionem aptam et ordinem conuenientem ubique aſſumant, et tandem argumenta probantia ex theoria et praxi petant. Theoriam quod concernit ea, principiis phyſiologico anatomicis ſuperſtruatur, praxis autem in obſeruationibus veris et concinne propoſitis theoriam illuſtret atque perficiat. In primo hoc volumine quaeſtiones ab anno huius ſeculi triceſimo ſecundo ad

* vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 575. ſqq.

ad quadrageſimum tertium uſque propoſitae ventilantur, reliquas in ſequenti volumine proxime expectamus.

Prima quaeſtio anno triceſimo ſecundo expoſita, ſequenti anno praemium reportauit: *Cur quidam tumores exſtirpandi, alii tantum aperiendi ſint, in una vero et altera operatione quaeritur, ubinam cauterium inſtrumento ſecanti praeferendum ſit, et quaenam ſint rationes, cur praeferatur.* Auctore Cl. MEDALON, Med. Doct.

Quaeſtionem propoſitam in duas partes diuidit p. 5. Noſter, et monet eandem tumores humorales et tales quidem, qui reſolui nequeunt, concernere. Diſquirendum primo eſt, quinam tumores exſtirpandi, quinam aperiendi ſint, et generatim reſpondet eos tumores, in quibus, et humor vaſa et interſtitia obſtruens euacuari, et unio partium ſiue regeneratio nouae carnis praeſtari poteſt, aperiendos eſſe, hinc neceſſario ſequitur exſtirpationem in caſu contrario locum habere. Haec ex ſuppurationis conſideratione declaranda ſunt, quae duplex eſt, prima, quae effuſionem obſtructi humoris una cum vaſis et ſolidis corruptis efficit; altera, quae affluxum ſucci unientis et carnem regenerantis praeſtat, illam *praeparantem*, hanc *regenerantem ſuppurationem* appellat, et utramque erudite explicat. Illa locum habet, ubi humores nondum p. 8. ad illum gradum indurationis peruenerunt, qui diſſolutionem eludit, haec obſeruatur, ubi vaſa per priorem libera reddita non niſi lympham balſamicam et ſuccum nutritium verum exhibent, ſi enim alia vaſa ſuccum extraneum adducunt, hic lympham optimam inquinat et conſolidationem impedit. Prior itaque ſuppuratio bene ſuccedens, dum plenariam effuſionem obſtructi praeſtat, neceſſario poſteriori fauet. Hinc Noſter concludit: *Tumores, qui vere et perfecte in ob-* p. 10. *ſtructis partibus ad effuſionem praeparati ſunt, aut per*

ſuppurationem praeparantem eo deduci poſſunt, aperiendos eſſe, omnis vero tumor exſtirpandus eſt, qui per ſuppurationem praeparantem ad diſſolutionem integram partium deduci nequit; vel in quo organiſatio ita praeparata eſt, ut ſpem affluentis ſucci nutritii auferat, aut effectus eius perturbet.

Haec generatim enunciata in diuerſis tumoribus declarat et de phlegmone primo loco exponit. Haec vel plenariam ſuppurationem ſubiit, vel tantum ad veram ſuppurationem tendit, ſubſiſtente tantum leuiori inflammatione, tumore et duritie, vel in ſcirrhoſam duritiem tranſiit; in primo et ſecundo caſu aperiendus eſt tumor, in tertio ille exſtirpandus eſt. In ſcirrhoſa phlegmone forte adhuc aliqua ſanguinis et lymphae mixtio et inde noua ſuppuratio expectari poſſet, quae tamen in ſcirrho vero, ubi lympha ſtagnat, nullo modo expectanda eſt, qui ideo exſtirpationem omnino exigit. Tumores calloſi circa orificia fiſtularum ad naturam ſcirrhi accedunt, hinc exſtirpatio quoque neceſſaria eſt, interdum tamen, ſi loca calloſa haud adeo magna ſunt, ſcarifatio inſtituta ſuperuenientem ſuppurationem et certam ideo ſeparationem promittit.

p. 14. Oedema recens inciſione ſuperatur et parua quidem, tumori non proportionata, cum humores ſtagnantes fluidi ad orificium duci, et in vaſis et cellulis tonus per topica reſtaurari poſſint; inueteratum vero ob nimiam diſtenſionem, et ob nimiam lymphae remoram, quae partes ſolidas maceratas et ad putredinem diſpoſitas reddidit, exſtirpationem exigit. Progreditur inde Cl. Auctor ad carcinoma et cancrum, et de incremento carnis luxuriantis vegetationi ſimili varia proponit, ſimilique modo furunculos, anthraces aliosque tumores praeternaturales conſiderandos ſibi ſumit.

p. 28. Altera quaeſtionis pars caſus definit, in quibus, ſi tumores vel aperiendi vel exſtirpandi ſunt, cauterium inſtru-

inſtrumento ſecanti praeferendum eſt. Generatim ideo Noſter effectus cauterii et inſtrumenti ſecantis inter ſe inuicem comparat, et hoc illi utplurimum praeferendum eſſe iudicat, quasdam tamen exceptiones paſſim admittit v. c. dolor et inflammatio, quae per actionem cauterii excitantur, in tumoribus, ubi ſuppuratio imperfecta eſt, hanc excitare et perficere valent, uti in abſceſſibus lentis, valida inflammatione non ſtipatis. Cum etiam cauterium potentiale acrem et rodentem vim haud raro corporis ſuccis inferat, actuale praeferendum eſſe iudicat Noſter, monet tamen et hoc ab incommodis generalibus cauteriorum minime liberum eſſe. p. 31.

Eadem quaeſtio a Cl. LE CAT declarata fuit, qui eam quoque in binas partes diuidit, et de reſolutione et ſuppuratione tumorum in genere agit. Quatuor itaque tumorum claſſes proponit, quarum prima tumores, ad optimam ſuppurationem diſpoſitos, ſecunda eos, qui emolliendo et relaxando ad optimam ſuppurationem diſponi poſſunt, tertia eos, quos ad ſuppurationem perfectam deducere non poſſumus, quarta eos, qui nunquam ad ſuppurationem diſponuntur, proponit. p. 40.

His in articulo primo generatim expoſitis, in altero ad tumores aperiendos refert omnes, qui ad primam et ſecundam claſſem pertinent, qui per ſuppurationem veram aut ſpuriam, perfectam aut imperfectam accurate diſſolui poſſunt, ut phlegmones diuerſae ſpecies, et tumores lymphatici ſcirrhoſi, qui ſuppurationem admittunt. Non enim permittendum eſt, ut per ſe aperiantur, quoniam, cum materia purulenta non ſatis euacuari poſſit, ſinus et fiſtulae inde eueniunt. Dum quartae claſſis tumores ſcilicet ſcirrhos et carcinomata exſtirpandos eſſe oſtendit Cl. Auctor, poſſibilitatem, utilitatem et neceſſitatem exſtirpationis contra diſſentientes defendens. Tandem tertiae p. 45. p. 47. p. 51

tiae claſſis tumores addit, qui et fluida continent, non niſi euacuatione, et concretiones ſolidas non niſi exſtirpatione remouenda, in quibus itaque utrumque auxilium adhibendum eſt, ut ſunt ſcirrhoſi tumores aliquo modo ſuppurantes et tumores cyſtici non nulli.

p. 52. In altera quaeſtionis parte diſquirit Noſter, quo in caſu cauterium et in aperiendo et in exſtirpando tumore inſtrumento ſecanti praeferendum ſit. Huic quidem in operationibus chirurgicis inſtituendis laudem non detrahit, ſed poſtquam differentiam actualis et potentialis cauterii oſtendit, hoc etiam interdum adhibendum eſſe declarat, dummodo apta ap-
p. 54. plicatione efficax reddatur et commodum. Cauterium itaque praeferendum eſt inſtrumento ſecanti in aperiendis tumoribus 1) ſanguineo lymphaticis ſiue inflammatoriis lente ad ſuppurationem deducendis, v. c. in quibusdam phlegmones oedematoſae ſpeciebus, quoniam ſanguinem ad vaſa capillaria alliciendo, inflammationem auget et vaſa dilacerat et fundit; 2) inflammatoriis malignis, quarum materia ad maſſam humorum non reducenda eſt, ut in tumoribus venereis et peſtilentialibus, cauterium enim et purulentae materiae exitum et coctionem aptam conciliat, et irritationes ſolidorum regreſſum materiae ad ſan-
p. 56. guinem impediunt. Sed et in exſtirpandis tumoribus cauterium inſtrumento ſecanti non nunquam praeferendum eſt, ſi magna et reiterata inciſio aegroto nimium dolorem inducit v. c. ubi verrucae et condylomata exſtirpanda ſunt, porro etiam ſi poſt inciſionem tumores magis propullulant, quos tamen cauterium ſtringendo partes vicinas ad ſuppurationem diſponit.

p. 60. Hanc ipſam quaeſtionem Exp. BASSIVS Cl. Halenſium Profeſſor, cuius obitum nuper indicauimus *, examinan-

* Vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. II. p. 359.

examinandam quoque ſibi ſumſit. Hic primo differentiam tumorum omnium a contento vel liquido vel ſolido, et a continente membrana vel alio velamento deſumtam proponit, poſtea ad tumores ſingulos conſiderandos ſe conuertit, et cur quidam radicitus euellendi, alii inciſione ſimplici tantum remouendi ſint, apte diiudicat. Cum eum in omnibus ſequi haud poſſimus, en quaedam exempla, quae rationem tractationis declarant.

Glandulae induratae, dummodo nec vaſa magna p. 78. nec aliae partes vicinae prohibeant, beneficio ferri ſecantis funditus euertendae ſunt, hoc in caſu nec uſtio nec ſepſis locum inueniunt, inde enim intolerabiles ferme dolores, ſtagnationes nouae inflammatoriae, immo conuulſiui motus oriuntur. Ob lapideam etiam duritiem neque ferro urenti neque corroſiuis medicamentis obediunt. Idem valet de ſcirrhis, in quibus et inciſione et cauteriis materia hactenus quieſcens in motum deducitur. Simili ratione cancrum occultum in corpore puro exſcindendum eſſe monet Noſter, cum e contrario in inueterato hoc fieri nequeat. Apoſtemata, quae materiam purulentam in penetralibus ſuis fouent, inciſione ſcalpelli optime aperiuntur; ea vero, quae valide dura ſunt, et tarde in ſuppurationem abeunt, magis cathaereticorum applicationem, quam cultelli cuſpidem efflagitant. Sar- p. 93. comata et polypi exſtirpationem exigunt, ſi haec apte perfici poteſt, vel ſcalpello vel ligatura vel corroſione praeſtandam, ſi enim fibrae relinquuntur, denuo propullulant. Et tumores cyſtici, cuiuscunque demum ſunt indolis, cum folliculo reſecandi et exſtirpandi ſunt, chirurgus tamen ad magnitudinem, locum affectum, et partium vicinarum ſitum omnino reſpicere tenetur. In fine de cauteriorum et poten- p. 103. tialium et actualium applicatione in quibusdam tumoribus aliisque operationibus chirurgicis diſſeritur.

p. 109. Quaeſtio anno trigeſimo tertio huius ſeculi propoſita, et cui ſequenti anno praemium decretum fuit, *commoda et incommoda adhibitarum turundarum aliorumque remediorum dilatantium in diuerſis caſibus examinanda* exhibet. Praemium Cl. LE CAT obtinuit, qui quaeſtionem ſequentem in modum pertractauit. Turundae ſiue remedia dilatantia ſeparationem partium vel maiorem reddunt, ut ſpongia et quaedam radices ſiccae, quae humore ſuſcepto mole augentur, vel ſeparationem praeſentem tantum ſuſtinent, et vel integra ſunt, ut lintea, vel caua, ut canales ex metallo parati. Turundae vero certiſſimos quosdam effectus praeſtant, ex quibus earundem agendi ratio declaranda eſt, diminuunt enim vel prorſus tollunt lumina vaſorum vicinorum et rete neruorum his vicinum, diſtendunt.

p. 114. Incommoda remediorum dilatantium, quae in prima parte recenſentur, vel ſuppurationem vel geneſin nouae carnis concernunt, quae in duobus articulis ſeparatim proponuntur. Diſpoſitio ſuppuratoria moderatam obſtructionem in capillaribus vaſis et tenſionem ſolidorum, cuius beneficio pus formatur, exigit. Turundae itaque vaſcula minima comprimendo, obſtructionem in parietibus vulneris, ubi neceſſaria eſt, tollunt, in profundiore autem parte nimiam et inde periculoſam reddunt. Porro irritabilitatem partium et tenſionem inde oriundam, quae moderata eſſe debet, praeter modum augent, et ita

p. 117. indurationem vel putredinem inducunt. Vti vero hos, quae ſuppurationem praecedere debent, effectus impediunt, ſic ſimili ratione ſuppurationem iam formatam ſupprimunt, dum acceſſum et egreſſum puris haud permittunt, quod ex generalioribus effectibus paulo ante oſtenſis declaratur, oriuntur inde calloſa et fiſtuloſa ulcera, et materia non apte excernenda in maſſam ſanguinis reuehitur.

In

In altero articulo incommoda dilatantium reſpe- p. 120.
ctu regenerationis carnis ita declarantur, ut primo oſtendatur, quo modo ſuccus nutritius affluens et adhaerens paruulam eminentiam et ita ſenſim ſenſimque carnem nouam quaſi granulatam efficiat, quae aucta nouas acceſſiones admittit, donec non niſi vapor tenuis perſpiret, et ſic cicatrix formetur. Omnes hi effectus compreſſione orificiorum vaſorum per turundas et irritatione neruorum, qui vaſa ſtringunt, inde ſuccedente impediuntur; hinc paruulae eminentiae non libere formari poſſunt, ſed callus oritur, et, licet poſtea turundae remoueantur, depreſſa tamen et inepta ſe ſiſtit cicatrix. Ex his etiam grauiora, quae ſubſequuntur incommoda, v.c. fiſtulae explicari poſſunt.

Altera tractationis pars commoda turundarum p. 122.
et aliorum remediorum dilatantium recenſet, quae tribus articulis exponuntur, in quorum primo utilitas dilatantium exiguis incommodis ſtipata declaratur. Si magnae inciſiones vaſa diſſecant, ex quibus haemorrhagia pernicioſa oriri poſſet, compreſſio a turundis inducta et orificia anguſtiora reddit, et irritatione ſtricturas fibrarum efficit, quae aptius quidem, quam per medicamenta adſtringentia, hoc in caſu ab aliis propoſita, praeſtantur. Si apertura naturalis coalita inciſione aperienda eſt, tunc apte ſatis turunda orificium apertum ſeruat, in eo quoque caſu, ubi humor effluens aperturam denuo coaleſcere non ſinit, melius cannula quaedam iniicitur, ne humor acris labia vulneris arrodat et nimis inflammet.

In ſecundo articulo caſus recenſentur, ubi uſus di- p. 126.
latantium longe maior eſt, quam incommoda concomitantia, v. c. ubi corporis alicuius peregrini vel corrupti exitus expectandus eſt, vel ubi fluida corrupta exire, medicamenta autem iniici debent, qua in re Cl. Auctor non nullas regulas circa ſitum partium, quibus vulnera inflicta fuerunt, addit et varia chirurgiae capita breuiter illuſtrat.

p. 131. In tertio tandem articulo exemplo fiſtularum et ſetaceorum oſtenditur, haec ut vitia localia in aegrotis interdum diu admitti, quo uniuerſali humorum vitio remedium afferamus.

p. 133. Haec ipſa quaeſtio porro ab anonymo quodam Auctore ſub examen reuocata fuit. Hic in prima parte tractationem de operatione naturae in regeneratione carnis praemittit, in altera vero ad quaeſtionem motam de commodis et incommodis turundarum reſpondet.

p. 135. Totum corpus ex vaſculis, tenui rete tendinoſo connexis, compoſitum eſt, in his liquor partim ſanguineus, partim lymphaticus vehitur. Sanguis maxime compoſitum eſt fluidum, ex quo omnes reliqui humores praeparantur, ex his lympha eſt, quae ſpiſſior reddi poteſt, ſerum autem tenue manet vix inſpiſſandum, lympha igitur, quae omnium partium nutrimentum praeſtat, in ſuppuratione bona affluit et ita ſaepius in inſigni eius augmento diſſipatur, ut aegri inde debilitentur; quod ſi vero etiam in moderata ſuppuratione aliqua pars diſſipetur, reliqua tamen tenues illas eminentias efficit, quae carnem nouam et inde cicatricem formant.

p. 138. His praemiſſis in altera nunc parte Cl. Auctor ad quaeſtionem propoſitam ſe conuertit. Non operatione chirurgica tantum, ſecundum regulas artis peracta, naturam iuuat, ſed apta quoque ſuccedere debet deligandi ratio, ad quam etiam turundae et alia remedia dilatantia pertinent. Horum uſus ad quinque capita reduci poteſt: 1) abſorbent maximam partem ſucci ex labiis vulneris tranſſudantis; 2) vulneri balſama aliaque medicamenta applicant; 3) ſanguinis affluxum ſiſtunt; 4) labia vulneris ſeparata ſeruant; 5) eadem labia magis diſtendunt.

p. 140. In ſimplicibus igitur vulneribus, ſine deſtructione ſubſtantiae inflictis, ſanguinolentis, vel etiam aliqua ſuppu-

ſuppuratione conſpicuis, turundae minus neceſſariae, immo nociuae ſunt, et, ſi etiam balſamus quidam digeſtiuus applicandus eſt, linteum carptum molle ſufficit, quo nec labia nimis deterguntur, nec comprimuntur. In complicatis vero vulneribus natura omnino auxiliis chirurgicis adiuuanda eſt, Cl. Auctor itaque vulnera capitis, pectoris, abdominis et extremitatum conſiderat, varia lectu digna in primis reſpectu turundarum proponit, et paſſim oſtendit haec auxilia interdum cum fructu adhibita, ſaepius tamen praeter neceſſitatem applicari, et ita plus nocere, quam prodeſſe. p. 144.

Quaeſtio 1734 propoſita *in quolibet genere morbi chirurgici caſus, ubi frequens vel rara deligatio conuenit, definiendos* exhibet. Elaboratio, cui praemium adiudicatum fuit, eſt Cl. LE CAT, qui argumentum hoc ſequentem in modum pertractauit. Deligatio autem non tantum circumuolutionem faſciarum, ſed et applicationem remediorum, variae medicationi inſeruientium, exigit. Oſtendit itaque utilitatem deligationis et poſt ea morbos, qui crebram deligationem requirunt, conſiderat, tandem eos morbos attendit, ubi applicata remedia diutius relinquenda ſunt. Deligatione autem 1) partes male affectas in ſtatu conuenienti conſeruamus, quod exemplis vulnerum recentium, fracturarum et luxationum facile declaratur, 2) remedia medicationi inſeruientia applicamus, 3) partes minus conuenientes remouemus, e. g. pus, ſaniem, partes oſſium, vel corpora peregrina, vulneri nociua. p. 155. p. 158.

His in primo articulo expoſitis, in ſecundo caſus citat, ubi crebra deligatio requiritur. Hi rariores ſunt, quoniam utplurimum indicationi curatoriae contrariae inueniuntur, inde utplurimum in ſymptomatica indicatione tantum valent, v. c. ſi dolor in fractis vel abſceſſibus urget, vel ſi excrementorum collectio p. 162.

poſt

poſt lithotomiam et operationem fiſtulae ani remouenda eſt. Sic porro medicamentorum applicatio crebram hanc deligationem exigit, in gangraena vel aliis morbis celeriter proſerpentibus. Tandem et quantitas et qualitas materiae excernendae hanc attentionem poſcit, v. c. in pure copioſius moto vel ſero acri rodente.

p. 165. Simili modo et rara vulnerum deligatio ex his fundamentis in tertio articulo diiudicatur. In fractis, luxatis et vulneribus recentibus partes ſeparatae ſemper in ſitu retinendae ſunt, niſi ſymptoma quoddam apparatum remouere iubeat. Medicamentum applicatum diu relinquendum eſt, ſi vel tardius vires ſuas exerit, vel easdem diu retinet, ita, ut per longius temporis interuallum utile eſſe poſſit; his enim vel operationes naturae diu adiuuantur, vel obſtacula huic oppoſita diu arcentur. Hinc incommoda apparatus praeter neceſſitatem ſoluti demonſtrat, et alia exponit, quae in ipſis momentis inter remotam et iterum applicatam deligationem oriuntur, v. c. frigus partem affectam laedens, in crebra deligatione vix ſatis arceri, vel medicamenta ſub conuenienti caloris gradu applicari poſſunt, deinde etiam et motus et dolor inde oriundi haud raro nocent, tandem et puris formatio et partium ex vulnere remouendarum v. c. oſſium exfoliatione ſolutorum ſeparatio non apte fieri poteſt, niſi interdum longiorem applicationem faſciarum et medicamentorum permittamus.

p. 173. Eadem quaeſtio ab Anonymo quoque pertractata fuit. Hic omnes morbos chirurgicos ad duo capita reducit et tum reſpectu ſolutionis continui, tum reſpectu tumorum, quaeſtionem propoſitam examinat. In primo capite, quae vulnera tradit, eiusque primo articulo ſimplicia vulnera diſquirit; haec ſine deſtructione ſubſtantiae ſunt, nec ratione morbi coniuncti, nec cauſae, nec ſymptomatis aliquid mali oſtendunt,

dunt, in his itaque omnino rara deligatio conuenit. In vulneribus complicatis, in quibus omnia contraria p. 176. eueniunt, maior attentio requiritur. Reſpiciendum itaque in primis eſt ad ſuppurationem praeparantem, quae, ſi pus diutius in vulnere relinquitur, et eroſioni et reſorptioni occaſionem praeberet; hinc crebra deligatio requiritur, quae et ideo neceſſaria eſt, quo chirurgus exinde ſtatum morbi frequentius ſe mutantis cognoſcere queat. Finita vero ſuppuratione praeparante, regenerans ſuccedit, ſub qua rara deligatio omnino expoſcitur. In virulenta vulnerum conditione hoc eo magis attendendum eſt, cum mala morbi materia ſemper laedens crebrius remouenda ſit.

In vulneribus cum fracturis crebra deligatio non requiritur, niſi in nimis violenta partium deſtructione. Si cauſa vulnus efficiens latet v. c. globulus plumbeus, cuſpis enſis etc. tunc crebra deligatio eo uſque continuanda eſt, donec peregrinum corpus remoueri queat, poſtea ſuppurationis ratio habenda erit. Sym- p. 182. ptomata vulneribus accidentia ſunt haemorrhagia, dolor et conuulſio, de quibus Noſter porro agit, et ſolutionem continui in partibus durioribus conſiderat, in cunctis vero ad antecedentia monita reſpicit.

In altera parte huius tractationis quaeſtionem re- p. 186. ſpectu tumorum et in primo quidem articulo eosdem ratione temporis examinat. Hic ad phlegmonem et oedema praecipue reſpicit, cum reliqui tumores ex his intelligi queant. In principio igitur, ubi phlegmone reprimentia, oedema autem ſpirituoſa exigit remedia, crebra eorundem requiritur applicatio, cum vires facile perdant. In augmento tumorum chirurgus eo reſpiciat, ut ex una parte ſymptomata mitigentur, quod in inflammationibus ſaepe attendendum eſt, ex altera parte vias reſolutioni aptas praeparat, quod omnes tumores concernit. Oſtendit itaque Noſter, quomodo emollientia leniter anodyna in inflammatione, et ſpirituoſa in oedemate applicanda ſint, et

quo-

quomodo obſeruatio operationis medicamentorum et inde praeſtanda mutatio, crebram deligationem exigant.

p. 191. Pergit itaque ad articulum ſecundum, in quo tumorum differentiam reſpectu mutationis inductae diſquirit. Si reſolutio tumorum incipit, crebra emollientium et reſoluentium applicatio requiritur, in continuatione vero et quando reſolutio ſuccedere videtur, medicamenta eam adiuuantia fortiora eligenda ſunt, ita tamen, ut ſenſim ſenſimque ab emollientibus ad reſoluentia progrediamur, qua in re crebra raraque deligatio ex concomitantibus cauſis et ſymptomatibus definitur. Tumores in ſuppurationem tendentes diſtinguendi ſunt, illi enim, qui per malignam indolem corruptionem maſſae humorum inferre poſſent, crebrius deligandi ſunt, quo materia purulenta, licet nondum copioſa ſit, remoueatur; alii, qui humores non malignos continent, parciorem remediorum applicationem exigunt, tandem alii, in quibus lenta ſuppuratio eſt, ut in tumoribus ſcrophuloſis etc. naturae quidem negotium committendum eſt, ita tamen, ut ea medicamentis rarius applicatis adiuuetur.

Ab hac tractatione ad ulcerum curationes progreditur Noſter, et dum illa, quae ſuppurationem praeparantem non admittunt, ad induratorum tumorem indolem refert, ſic illa, quae hanc ſuppurationem ad-
p. 196. mittunt, ex monitis ſupra propoſitis diiudicat. De tumoribus ad putredinem deductis pauca monet, cum in illis ſeparatio integra magis, quam lenta tractatio conueniat. In articulo tertio pauca de tumoribus ſanguineis, ſcilicet varicoſis et aneuriſmaticis, nec non de hernioſis ſubiungit.

p. 199. Quaeſtiones, ad annos tríceſimum quintum et ſextum propoſitae, annis ſequentibus praemium non reportarunt, prima igitur, quae *differentias vulnerum ſclopetis inflictorum ab aliis vulneribus et medendi rationem*

tionem propoſuit, ad annum triceſimum ſeptimum translata fuit, et duplum praemium Cl. LE CAT obtinuit, qui cum explicationem ex pathologia et therapia generali repetat, omnem hanc doctrinam concinne propoſuit, ita, ut nos non niſi ordinem paucis indicare poſſimus verbis. Quaeſtio enim ipſa in duas p. 205.
partes diuiditur, quarum prima characteres vulnerum, ſclopetis inflictorum, quibus ab aliis vulneribus diſtinguuntur, tradit. Mutationes vulnerum, quae inciſione, ruptura, diſſolutione, contuſione et attritu fiunt egregie proponuntur, inter ſe comparantur, et vulnera ſclopetis inflicta attritu potiſſimum fieri oſtenditur, quo partes ſolidae parietum criſpantur, ſubſtantia ipſa deſtruitur, haemorrhagia minimorum vaſorum ſupprimitur, hinc ſimul obſtructio et tenſio inſignis, nec non ſtupor et irritatio partium vicinarum efficitur. Phaenomenon, quod vulnus, ſclopeto infli- p. 214.
ctum, partem mollem penetrans, anguſtius ſit in introitu, quam in exitu, ita declaratur, quod nimirum maior ſit impetus et reſiſtentia carnis in ingreſſu, in egreſſu vero impetus globuli imminuatur, cum nil niſi aer reſiſtat, hinc tumor partis laeſae anguſtiam maiorem in introitu efficiat. Symptomata vero, quae cum his vulneribus ſunt, ideo in primis atrociora deprehenduntur, quoniam ſyſtema neruoſum, omnes actiones dirigens, concutitur, idque eo magis, ſi nobiliores et neruoſae partes deſtruuntur et globuli laedentis figura conquaſſationi partium magis apta eſt.

In therapia horum vulnerum, quam altera pars p. 218.
tradit, tres potiſſimum indicationes formantur, quarum prima de humoribus ad unionem praeſtandam aptis ſollicita eſt, et ideo vires vitae inſtaurare, bonos ſuccos ingerere, peruerſos autem corrigere et euacuare docet; Secunda aequalem humorum diſtributionem efficere tentat, quae non niſi remotis partibus deſtruentibus et deſtructis fieri poteſt, ſupprimendo ſimul irregulares ſolidorum et fluidorum motus;

tus; tertia tandem indicatio eo reſpicit, ut ſolutae partes illum ſitum acquirant, qui depurationi et conſolidationi partium fauet. Has indicationes accurate proſequitur Noſter et ea, quae profert, obſeruationi-
p. 225. bus illuſtrat. De amputatione partium his vulneribus affectarum iam alibi multa propoſita fuerunt *. Cl. Auctor vero monet, ſphacelum poſt talia vulnera oriundum, deſtructiones articulorum, laeſiones maiorum vaſorum ſaepius quidem amputationem membri exigere, et in genere quidem concludi poſſe, partem, quae ſeruari non poteſt, amputatione auferendam eſſe, neminem vero, niſi chirurgum artis peritum et experientia clarum, in caſibus dubiis decidere poſſe.

p. 239. Quaeſtio 1738 propoſita, *an carcinoma mammarum, vulgo cancer appellatum, amputari debeat?* diſquirit. Duplex praemium, ex quaeſtione altera vice exhibita enatum, partim Cl. LE CAT, partim Cl. LA SONE redditum fuit. Prior conſiderationem generalem pathologico therapeuticam carcinomatis ſequentem in modum exhibuit. Humores per tot ſeries vaſorum, ſibi inuicem ſuccedentium, in ſtatu naturali apte tranſeunt, ſi vero iidem in vaſis vel relaxatis vel ruptis extra limites propelluntur, vel etiam in vaſis, praeter naturam conſtrictis, condenſantur, tunc tumores vel molles vel duri oriuntur, ex quibus praeſuppoſitis Noſter in differentiam tumorum ulterius inquirit, et ſcirrhum et carcinoma ſpecies tumorum dicit, in quibus quaſi concretio ſolidorum et fluidorum facta fuit.

p. 245. In cauſas poſtea inquiritur, nec virus aliquod peregrinum, nec ſingularis quaedam humorum deprava-

* Vid. varii commentarii in *Memoires de l'academie royale de chirurgie* Tom. II. Paris 1753. 4to. et Commentarii noſtri Vol. III. Part. IV. in recenſione huius libri paſſim, in primis p. 599. et 612. ſeq.

prauatio, ſed peculiaris irritatio cum dolore et tenſione aſſumitur, et porro declaratur, quo modo conſenſus neruorum per ſuppreſſas menſium et haemorrhoidum euacuationes, melancholiam animique triſtem affectum, contuſionem validam, medicamenta fortiora, ſcirrhum quieſcentem agitantia, ut per cauſas acceſſorias irritationem hanc adeo funeſtam producere valeat, et quo modo conſtrictio, ex irritatione oriunda, vel fluida ad vicina vaſa anguſtiora protrudat, vel in propriis vaſis figat, ideoque concretiones efficiat. Hoc potiſſimum in glandulis fit, in quibus nimirum diuerſae vaſorum ſeries ſibi inuicem ſuccedunt. Si obſtructio in primo genere vaſorum eſt, et circulatio adhuc in multis vaſis libera manet, tumores ſcrophuloſi nuncupantur; ſi illa ulterius progreditur et concretio magis compacta fit, ſcirrhus dicitur; ſi illa in ultimis vaſculis occurrit, in quibus omnium vitalium humorum motus intercipitur, carcinoma appellatur, quod Noſter ut gangraenam albam ſiue anthracem chronicum conſiderat.

Fibras neruoſas ulterius productas et concretionibus fluidorum conſpicuas ut radices carcinomatis, interdum occurrentes, conſiderare poſſumus. Circulus ſanguinis interceptus venas varicoſas ſiſtit et haemorrhagias frequentes efficit. Lymphatica vaſa ultra modum extenſa et rupta, aquae copiam, quae ex his tumoribus ſaepius effluere ſolet, exhibent. Carcinoma itaque ſiue cancer eſt tumor durus tuberculatus, urentem dolorem in centro et inde lancinantem exhibens, in ulcus ſanioſum, rodens, foetidum, oris calloſis reflexis conſpicuum, mutatus. Si obſtructio intima in parte tumore nondum affecta oritur, iam carcinomatica eſt et cancer primarius dicitur, ſi vero noua irritatione, quocunque modo inducta, tumor iam formatus, minime vero carcinomaticus, agitatur, cancer ſecundarius, ſiue ſcirrhus, in cancrum mutatus, appellatur.

p. 249.
p. 251.

p. 253. Ad therapiam carcinomatis poſtea accedit Noſter, nec reſolutione nec ſuppuratione hos tumores diſſipari poſſe monet, et quanta incommoda ex tentatis his medendi viis oriantur, oſtendit. Cum igitur durum omnino videatur, exitioſum hoc malum intactum relinquere, vel exſtirpationem tantum in cancro paruo, in corporis ſuperficie poſito et nobili ſuſcipere, methodos tractandi carcinomata, a variis in arte verſatis viris propoſitas, breuiter recenſet et ſimul oſtendit, quo modo recentioribus temporibus haec chirurgiae pars magis exculta fuerit, ita, ut et cancer adhaerens et ulceroſus factus non nunquam cum optimo ſucceſſu exſtirpatus fuerit. Quid vero tandem in dubio caſu efficiendum eſt, ubi malum habituale factum humores ipſos corruptos reddidit? cum CELSO reſpondet Noſter, melius eſſe anceps eligere remedium, quam nullum.

Tandem, quo modo exſtirpatio ſuſcipienda ſit, diſquiritur. Veteres poſt inciſionem ferrum candens ad radices exſtirpandas applicabant, alii innumera medicamenta, quorum vis cauſtica deprehenſa fuit, vel quae inuentores inter arcana retulerunt, ad carcinomata exſtirpanda apta iudicarunt: Noſter vero his ipſis irritationem ceu primariam cancri cauſam augeri et vicinis partibus communicari oſtendit, ideoque uſum cauſticorum omnino ſuſpectum reddit, et inſtrumentum ſecans, ut unicum remedium cancro exſtirpando conueniens, proponit.

p. 268. Cl. IOSEPHVS LA SONE eandem quaeſtionem ſequentem in modum reſoluere tentauit. Mammarum muliebrium ſubſtantia laxa et veluti fungoſa obſtructioni et obſtructi humoris corruptioni praecipue obnoxia eſt; hinc crebra in eadem carcinomata oriuntur, quae ex partis ſitu et fabrica huiusque tumoris maligna indole declaranda ſunt.

Cancer

Cancer in genere conſideratus eſt tumor durus, p. 273.
ſphaeroideus, dolens, qui mox ab initio malignam indolem obtinet. Eſt vero vel criticus vel ſymptomaticus, prior oritur, ſi morboſa quaedam materia vi vitae ex interioribus ad mammas defertur, ſi v. c. poſt quartanam febrem, praecipue ex viſceris cuiusdam abditi vitio, cancer in mammis generatur; ſymptomaticus vero cauſam in mammis praeſentem habet, v. c. tumorem, cui vel per internam vel per externam cauſam vitium accedit cancroſum, ſic menſium et haemorrhoidum ſuppreſſio, dyſcraſia ſanguinis, valida contuſio, et inepta medicamentorum applicatio ſcirrhum latentem euoluunt. Cum igitur do- p. 281.
lori anodyna et lenientia, tumori emollientia, reſoluentia et diſcutientia, quae indicari videntur, ſaepius fruſtra applicentur et haud raro damnum afferant, chirurgica ſectio tanquam ſola et legitima medendi methodus eligenda erit. Quem ad modum enim SEVERINVS ſtrumas mammarum cancro affines extrahendas ſtatim proponit, ſic carcinoma eo maiori iure reſecandum erit.

Maligna enim materia morbi, metaſtatica criſi huc mota, exigit, ut eadem in ſacco quaſi collecta reſecetur; ſi tumor ex quacunque cauſa increſcit et totam fere mammam occupat, ſi ſcabroſa ſuperficies ex coadunatis glandularum inaequaliter tumentium ſuperficiebus redditur, ſi dolor veluti ab acu candente pungens et lancinans interior obſeruatur, ſi liuor hinc inde ſparſus et radices malignae, more pedum cancri fluuiatilis expanſae, fluida vitalia ad centralem duritiem non ferri declarant, tunc, cum omnia medicamenta emollientia et reſoluentia nociua ſint, ſola amputatio locum habet. Et in triſti caſu, ubi ulcus ſordidum fit tetrumque odorem ſpirat, praeter ea inſignem dolorem et non raro haemorrhagias efficit, ſectio negligenda non eſt, cum enim et hoc in caſu

 topica

topica ſemper noxia inuenta fuerint, amputatio, licet rarius ex voto ceſſerit, tentanda tamen eſt.

p. 289. His itaque praemiſſis caſus, ubi cito et tuto ſecandum eſt, recenſet Noſter, non nullos tamen ſubiungit, ubi, cum et ſectio fruſtranea ſit, ab ea abſtinendum eſſe ipſe iudicat. Tandem quasdam obiectiones circa amputationem cancri factas remouet, et in fine monet, ignem cauſticum et intenſiores dolores efficere et euidentem vim repellendi virus cancroſum habere, hinc ſectionem ſemper praeferendam eſſe.

p. 296. Quaeſtionibus anno 1739 de medicamentis repellentibus et anno 1740 de medicamentis reſoluentibus propoſitis, ſequentibus annis praemium non adiudicatum fuit, hinc diſſertatio prior, in qua *diuerſae ſpecies medicamentorum repellentium, eorum agendi ratio et uſus, quem in diuerſis morbis chirurgicis praeſtant*, definienda erant, ad annum 1741. iterum propoſita fuit, et duplex praemium Viri Cll. ALARY et KÜLBEL obtinuerunt.

p. 301. Prior medicamenta repellentia ſequentem in modum diiudicat: ſunt nimirum ea, quae humores, ad partem morboſam progredientes vel ad eam iam deductos, ad maſſam humorum reprimunt. Haec ut ſimplicia et compoſita in tres claſſes coniiciuntur, vel enim aquoſa vel acida vel terreſtria ſunt. Ad aquoſa referuntur aqua ſimplex, nix et glacies, ex vegetabili regno plantae ſucculentae, v. c. lactuca, nymphaea, narcoticae v. c. ſolanum, cicuta, hyoſcyamus, ex animalibus ſerum lactis et albumen oui. Ad acida pertinent ex vegetabili regno ſucci citri, acetoſae etc. ex minerali vero nitrum et vitriolum, ex praeparatis acetum et acida mineralia varia. Ad terrea medicamenta plantae adſtringentes biſtorta, tormentilla, pentaphyllum etc. nec non ex terris bolus armenus et terrae ſigillatae variae referuntur, quibus et lithargyrium additur. Plura habet Cl. Auctor, nos praecipua exempli cauſa allegare voluimus. Agendi

Agendi rationem veteres in refrigerio poſuerunt, quod non actu, ſed potentia in illis eſt, et adſtrictionis effectum praeſtat, hic tres gradus admittit, quos vel varia medicamenta vel diuerſimode applicata ſiſtunt. *Defenſiua* dicuntur in primo gradu, ſi vaſa in naturales limites conſtringunt, quo fluida apte transmittantur. In ſecundo gradu *repellentia* ſtricte ſic dicta appellantur, ſi tonum ſolidorum per impetum fluidi contenti imminutum ſenſim ſenſimque augent, quo humores in circulum aptum et liberum reduci queant. *Stiptica* tandem ſunt in tertio gradu, ubi fibras vaſorum ita criſpant, ut diametro ferme ſublata acceſſus fluidorum ulterior denegetur. Praecipua horum medicamentorum vis in neruos eſt, per quos in vaſa ſanguifera et lymphatica agunt. In neruis enim repellentia agitatum fluidum nerueum in motu compeſcunt, languentes huius fluidi motus tono reddito excitant, et irregulares impetus coercent. Caute tamen in applicatione verſandum eſt, ne inconſiderato uſu veterum ſententia, quod nimirum frigida neruis inimica ſint, confirmetur. p. 305. p. 307.

In primo igitur gradu actionis repellentium interdum imminentia mala praeuertuntur, v. c. ſi ad perniones diſpoſiti ante acceſſum vehementiſſimi frigoris articulos niue fricant; interdum his ipſis principio mali oriundi obſiſtitur, v. c. aeſtus inſurgens epithematibus acidis compeſcitur, contuſionis effectus his acidis cum bolo miſtis, et ſi dolor urget, additis anodynis coercentur, vaſa tamen ita diſpoſita ſint, ut circulo liberiori humorum nihil ſe opponat. In vulneribus ſimplicibus tumores et inflammationes vicinae decoctis adſtringentibus vel aqua aluminoſa reprimuntur. p. 311.

Dum in alterum gradum repellentium inquirit Noſter, omnino monet circulum ſanguinis non mutari, ſed vaſis tantum illum tonum reddi, qui fluida apta conuenienti modo reducere valet, quamobrem p. 313.

 diſpoſi-

diſpoſitiones et ſolidorum et fluidorum, quae huic medicamentorum operationi reſpondet, ſtudioſe diiudicat. Si enim ſolida iam nimis ſtricta ſunt, aquoſa tantum et acida mitiora conueniunt, ſi vero tumores laxi et aquoſi obſeruantur, acida fortiora et terrea magis conducunt. Fluida vero in felici medicamentorum operatione dominio ſolidorum adhuc obnoxia ſint mobilia non coagulata, blanda non virulenta, bonae mixtionis non nimium reſoluta. In contuſionibus interim et ipſa ſanguinis coagula interdum ab acidis admotis reſoluuntur, et tenſio nimia anodynis additis corrigitur; ſpiritus quoque aceti, ſale ammoniaco admixto efficacior redditus, diſpoſitiones
p. 317 gangraenoſas non raro tollit. Tres caſus potiſſimum ſunt, in quibus ſtiptica ſiue repellentia tertii gradus applicanda ſunt; primo in herniis, prolapſu ani et vaginae, aneuriſmatibus veris et varicibus; deinde ruptura vaſorum ſanguiferorum et haemorrhagia inde oriunda, tandem in vulneribus et ulceribus puris redditis et nunc conſolidandis. In his tamen omnibus caute verſandum eſt, ne effuſiones ſalutares cohibeantur. Cum vero repellentia effectum ſuum praecipue in ſolida exſerere videantur, Cl. Auctor quaeſtionem mouet, an non interdum in fluida immediate agant, et in maſſam humorum reſorbeantur? in huius rei teſtimonium quaedam phaenomena adducit, licet ipſe fateatur, in his difficile rationem actionis definiri poſſe.

p. 322. Hanc ipſam quaeſtionem Cl. KÜLBEL, cuius obitum nuper indicauimus *, enodandam ſibi ſumſit, et omnem hanc doctrinam in tribus capitibus propoſuit, quorum primum *de remediorum repellentium natura et diuerſitate ſpeciali* agit. Repellentia Cl. Auctori dicuntur, quae externe applicata partim humores in ſuperficie corporis ſubſidentes, et extra vaſa

miſſos

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. I. p. 169.

miſſos in oſcula venarum et vaſorum lymphaticorum reprimunt et maſſae humorum reddunt, partim calorem nimium inflammatorium coercent, partim ulteriorem decubitum humorum ad locum affectum impediunt. Agunt itaque in ſolida et fluida, et in refrigerantia, adſtringentia et anodyna diſpeſcuntur. Remedia plurima ad has tres claſſes pertinentia, quae hic fuſius enarrantur, omittimus, cum praecipua paulo ante indicauerimus, et reliqua ex ſcriptoribus materiae medicae repeti queant.

In ſecundo capite *modum operandi repellentium* describit Noſter; refrigerantia in ſolida et fluida agunt, in his motum inteſtinum compeſcunt v. c. ſi aqua frigida ebullientis motum temperat, in illis fibras cutaneas criſpant et ita fluida repellunt, uti exanthemata non raro recedunt. Ita ille haec medicamenta ut actu frigida aſſumit, et poſteriorem effectum in ſolida ex ſenſu principii vitalis declarat, eundemque non mechanico phyſicum, ſed phyſico moralem dicit. Mucilaginoſa partim ad refrigerantia, partim ad acrimoniam inuoluentia referuntur. Adſtringentia vera repellentia ſunt eorumque effectus mechanice declaratur, terreis praeter ea vis humida reſorbendi tribuitur. Narcotica ſpecifica quadam vi inſtructa dicuntur, quam tamen ex principii vitalis ſenſu et emollientium indole deducere tentat Cl. Auctor. p. 335.

Caput tertium tandem *de conuenienti et legitimo repellentium uſu* agit. Varii itaque caſus adducuntur, ubi eorum uſus noxius deprehenditur. Si enim in tumore, ulcere vel vulnere materia maligna, acris vel virulenta obſeruatur, repellentia non niſi poſt maſſam humorum correctam applicanda ſunt; hinc nec in illis, in quibus criſis naturae adeſt. A repellentibus quoque abſtinendum eſt, in plethoricis et cacochymicis corporibus, vel in quibus laeſi viſceris indicia apparent, in primis, ſi congeſtiones inflamma- p. 347.

 toriae,

toriae, rheumaticae et arthriticae cum acutiſſimo dolore incedunt, vel parti nobiliori, in quam con-
p. 357. uerti poſſunt, proximae ſunt. Quibus praemiſſis illi potiſſimum caſus recenſentur, in quibus repellentia optimo cum ſucceſſu applicantur. In genere oſtenditur, omnia contraindicantia paulo ante recenſita examinanda eſſe, ante quam indicatio reſolutoria ſuſcipitur, et ſelectus aptiſſimorum remediorum inſtituitur. In ſumma inflammatione non efficaciſſima, ſed moderatiora eligenda ſunt medicamenta, hinc ſemper ad qualitatem inflammationis, indiuidui temperamentum et tempora morbi reſpiciendum eſſe Noſter abunde declarat, et examen praecipuorum medicamentorum repellentium, nec non cautelas circa eorum uſum paſſim ex praeſtantiſſimis ſcriptoribus et propria experientia adducit, ideoque in phlegmones, eryſipelatis et apoſtematis curatione, quae a cauſa interna deducuntur, nec non in ſymptomaticis ulcerum, vulnerum, fracturarum et luxationum inflammationibus veras medendi vias explicare tentat. Omittimus ampliſſimam tractationem, quae medicamentorum varias compoſitiones nobis exhibet, cum vera de omnibus iudicia vix ubique afferre, et cuncta ad caſus ſpeciales reducere nequeamus.

p. 420. Quaeſtio ultima, quae in hoc volumine continetur et anno 1742 propoſita fuit, *diuerſas ſpecies reſoluentium medicamentorum eorumque agendi modum, nec non uſum diuerſis morbis chirurgicis accommodandum* exhibet. Praemium duplex Viri Cll. PONTIER et HVGON obtinuerunt et diſſertatio Cl. MOPILIER prelo quoque digna iudicata fuit. Prior vero ex his argumentum ſequentem in modum pertractauit. Ab eo, quod in motu ſolidorum et fluidorum aequabili accidit, ad ſtatum morboſum concludendum eſt; vel enim robur ſolidorum augetur vel imminuitur, vel mixtio fluidorum varie vitiata redditur, haec igitur,

quae

quae intra ſolida ſtagnant, effectum reſolutionis exigunt. Reſolutio eſt diſſipatio humoris, qui vaſa vel nimium diſtendit, vel extra eadem miſſus fuit; exigit igitur diſpoſitionem humorum aptam vel talem eorundem mutationem, ſub qua vel in vaſa iterum regredi, vel ex contextu celluloſo reſorberi et diſſipari poſſunt. Natura ſaepius reſolutionem ipſa et p. 425.
ſola praeſtat, et circumſpecte omnino agendum eiusque veſtigiis inſiſtendum eſt, ſi operationes per remedia applicata adiuuare ſuſcipimus; quamobrem, cum tonus vaſorum auctus et imminutus, diſpoſitiones morboſae variae humorum aliaeque cauſae congeſtiones diuerſas forment, repellentibus, emollientibus, narcoticis, diſcutientibus, adſtringentibus et aliis medicamentis opus eſt, ſi reſolutionem apte praeſtare volumus, et reſoluentia certa, quae ſemper effectum ſperatum producunt, vix inueniuntur. Medicamenta vim ſuam et in ſolida et in fluida exercent, attamen in conſideratione operationum ſuarum vel ut ea, quae in ſolida agunt, vel ut ea, quae in fluida agunt, ſigillatim contemplari et effectus inde pendentes ita deduci debent. Noſter itaque claſſes p. 429.
emollientium, narcoticorum, ſtimulantium, adſtringentium conſtituit, et oſtendit, quo modo vires eorundem ad reſolutionem praeſtandam concurrunt, et his generatim praemiſſis varias medendi vias in tumoribus diuerſis recenſet, et indicantia et contraindicantia ponderat, quae in his, ut acutis et chronicis conſideratis, occurrunt. Varietas enim applicandorum medicamentorum non tantum per ſucceſſiuam tumorum mutationem, ſed etiam per partis affectae fabricam et alia accidentia definitur, quam rem et Noſter non nullis exemplis declarat.

Eandem quaeſtionem Cl. HVGON ſequentem in p. 447.
modum pertractauit. Reſoluentia ſunt medicamenta, quae humores ſtagnantes attenuant, diuidunt, et

 ſenſibus

ſenſibus percipienda quadam perſpiratione in vaporibus calidis et humidis propellunt, aerem praeter ea rarefactum, telam cellularem ſaepe diſtendentem, diſcutiunt. Eorum itaque vis in volatilitate quadam poſita eſt. Quo vero Noſter rationem agendi melius declarare queat, tres claſſes conſtituit, et attenuantia, reſoluentia ſtricte ſic dicta et carminatiua ſeparatim conſiderat. Attenuantia partem fibroſam ſanguinis diuidunt, et ſolida, in quibus illa impacta haerent, irritant; Reſoluentia ſtricte ſic dicta naturalem tonum irritatione intendunt; carminatiua vehementius oleo ſubtili et ſale volatili in neruos agunt, quo contractione ſua diſtenſioni flatuoſae ſe magis opponant. His, in prima parte breuiter et ut nobis videtur non
p. 450. ſatis accurate, expoſitis, in ſecunda parte et ſimplicia et compoſita medicamenta, quae ad has tres partes referuntur, in tabulis, nominibus tantum exhibitis,
p. 455. recenſentur. In tertia tandem parte, quae uſum reſoluentium, in variis morbis chirurgicis explicandum, ſibi ſumit, ampla recenſio plurium medicamentorum compoſitorum, quae a praeſtantiſſimis viris paſſim in ſcriptis chirurgicis allegantur, exhibetur, agit itaque de tumoribus cyſticis, ſcirrhoſis, ſcrophuloſis, inflammatoriis, oedematoſis et flatulentis, cum vero omnis haec tractatio tantum compilata ſit, ulteriori recenſioni ſuperſedemus.

p. 491. Vltima diſſertatio, quae idem argumentum tractat, Cl. MOPILIER Auctorem habet. Hic differentiam reſoluentium ex ratione agendi deſumit et uſum ex diuerſitate morborum definire tentat. Omnis ideo tractatio in duas partes diuiditur, quarum prima differentiam reſoluentium ex effectu declarat. Reſolutio humores ſtagnantes et partes continentes mutans in his vel relaxationis, vel roboris aucti effectus, in illis diſſolutionem ſiue maiorem fluiditatis gradum praeſtat.

Hoc

Hoc in tribus articulis ulterius explicatur, in quorum primo effectus reſoluentium, ad vaſa relaxanda aptorum, declarantur. Fluidae partes fibris ſe interponentes ſolida relaxant, huc faciunt aquoſae et oleoſae, quae vere fluidae dici poſſunt; eſt tamen in his ea differentia, ut aquoſa medicamenta ſedatiua et antiphlogiſtica ſint, acriaque ſalia ſoluant, cum e contrario oleoſa calore potiſſimum excitata ſalia extricent et inde magis acria fiant, hinc ſaepius aquoſo oleoſa ut lac et mucilaginoſa melius conducunt. p. 493.

In ſecundo articulo effectus reſoluentium ad vaſa roboranda aptorum recenſentur, aut enim humida reſorbent, fibras leniter exſiccant et ad motum quaſi ineptas reddunt, haec paſſiua magis ſunt, fixa et frigida; aut ſtimulo ſuo in vaſa agunt, eaque conſtringunt fluidaque ita diſſipant, haec actiua magis ſunt; ſtimulantia et calida. p. 495.

In tertio tandem articulo ea recenſentur reſoluentia, quae ſpiſſos humores mutant. Humidi defectus et nimia vaſorum actio fluida ſpiſſa reddunt, hinc optimorum fluidorum acceſſus et applicatio per vaſa agiliora reddita vitium tollit, quae quidem mutatio per emollientia, tum in fluida tum in ſolida agentia, et diſcutientia ſiue leniora ſtimulantia, quae ſcilicet fibras non criſpant, inducitur. Coniunctae hae vires in ſaponaceis ſic dictis medicamentis deprehenduntur, quae optime forma emplaſtri applicantur, fluidae enim partes, quae in hac reſolutione requiruntur; vel iam in ſpiſſis humoribus adſunt, licet immobiles ſint, vel a partibus vicinis in ſuppreſſa per topicum medicamentum perſpiratione adducuntur. p. 497.

In altera parte uſus reſoluentium per indolem morborum accuratius definitur. Conſtrictio nimia et inertia vaſorum uſum reſoluentium exigunt: in priori caſu durities et dolor relaxantia medicamenta indicant, ſed inflammatio ſic mota eo reſpicere iubet, ut ſedatiua et antiphlogiſtica eligantur; in altero caſu p. 499.

inertia

inertia fibrarum ſtuporem et frigus oſtendunt, ſi itaque nimia relaxatio eſt, tunc adſtringentia fixa, ſi autem nimia immeabilitas humorum obſeruatur, reſoluentia, emollientia et diſcutientia requiruntur.

Haec generalius enunciata ut eo melius intelligantur, in duobus articulis ulterius declarantur, et in
p. 500. primo quidem uſus reſoluentium diuerſo gradui et effectui conſtrictionis vaſorum accommodatur. Conſtrictionis, quae ab irritatione pendet, effectus non tantum ratione cauſae, ſed et ratione fabricae vaſorum et diuerſorum humorum contentorum variant. In inflammatione ſic dicta alba, quae in ſeroſis et lymphaticis vaſis ſedem habet, humores nimis aquoſi ſunt, et contractio vaſorum non viuida ſatis deprehenditur, ut calorem excitare queat, in ea itaque relaxantia oleoſa pura, igne acria non reddita exigit Noſter, cum laxas reddant fibras et acria irritantia inuoluant. Inflammatio, quae a contractione ſpaſmodica arteriarum ſanguinearum dependet, tres gradus conſtituit phlogoſin, eryſipelas, et phlegmonem. In phlogoſi dolor, calor et rubor ſine tumore et pulſatione ſunt, cum in extremis arteriolis, a corde admodum remotis, leuis irritatio inueniatur, refrigerantia igitur conueniunt medicamenta leuiter auſtera, acida et aquoſa. Eryſipelas ſymptomata phlogoſeos auctiora ſiſtit, maiorem tumorem et vibrationem, nec non maiorem criſpationem, hinc antiphlogiſtica relaxantibus miſcenda ſunt. Phlegmone tandem omnia inflammationis ſymptomata auctiora exhibet, in primis calorem inſigniorem, hinc relaxantia et antiphlogiſtica in ſimili proportione ſuperhabenda ſunt.

p. 503. In articulo altero uſum reſoluentium ad diuerſos gradus et effectus inertiae vaſorum diſponere ſuſcipit Cl. Auctor, agit itaque de tumoribus aneuriſmaticis, varicoſis, flatulentis, oedematoſis, ſcrophuloſis, ſcirrhoſis variaque de inflammationis diuerſae gradibus ſubnectit, in quibus ut in antecedentibus genera-

generalem medendi methodum tantum proponit, et ita, ut nobis videtur, non ſatis diſtincte reſoluentium uſum definire potuit, cum in medicamentorum applicatione ad ſolida tantum, non vero ad humores contentos reſpiciat.

XIII.

Obſeruationes quaedam botanicae et anatomicae, de vaſis ſubtilioribus oculi et cochlea auris internae. Ad Vir. Ill. PAVL. GOTTLIEB WERLHOF, M. D. Auctore IO. GOTTFR. ZINN, M. D. Prof. Med. Extraord. Gottingae, 1753. 4. pl. 5½.

Duplicis generis, id docente etiam inſcriptione, obſeruationes in hoc libello occurrunt, quarum argumenta vero utique maiorem merentur, quam quae a nobis adduci poſſent, attentionem. Hinc ea tantum cum noſtris libet communicare lectoribus, quae ſunt praecipua.

Primam quaſi partem botanicae abſoluunt obſer- p. 1.
uationes; quibus mox ab initio catalogus plantarum faſciatarum augetur, qualem faſciam in *Moldauica, floribus calycem vix ſuperantibus.* HALL. creſcentem vidit Cl. Auctor, ita comparatam, ut duo rami, ex caule procedentes, in unum coaluerint, latum et faſciatum. Idem in *Andryala* ROY. occurrit, cui flores monſtroſi inhaerebant, et in *Hieraciode* multicauli et multiflora. Porro et folia laxuriantia deprehenſa ſunt, tum quoad numerum, tum quoad ſitum; in *Aſtere Tripolii flore* namque varia ſeſe obtulerunt exempla, quibus duo, immo tria folia inter ſe concreuiſſe manifeſtum fiebat, quam mutationem ex delineatione prima in gemma deducit Cl. Auctor. Partium floris varietas quotidianis exemplis confirmatur, in calyce plerumque maior eſt conſtantia, tamen hunc

hunc etiam in *Atriplice*, *Sedo*, *Anacampſerote*, foliolorum et laciniarum numero diſcrepantem adnotauit Noſter, et vel in his aliisque exemplis, ut reliquarum etiam partium numerus differret, nec ne, quo ſimul pateat, ex eo non admodum certum methodi
p. 6. fundamentum deſumi. Certioris conſtantiae eſt, non omnes verticillatas plantas quinquifidum et monophyllum habere calycem, cuius rei varia exempla proponuntur et praecipue *Ocimum* adducitur, cuius calycis labium non ſolum ſuperius, ſed reliquae etiam quatuor laciniae ſingulae bifidae ſint *. In *Sideritide Monſpeſſulana* TOVRNEF. cuius deſcriptionem floris ſuppeditat Cl. Auctor, calyx bilabiatus et ariſtatus eſt, labio inferiori in duos dentes abeunte, ſuperiore in tres maiores, medio trifido, lateralibus minori accedente auctis. In umbellis ſaepe inuolucri foliolum abundat vel deficit, et calycis folia atque ſtructura flores compoſitos diſtinguit, quamuis et in his limites difficiles ſint et creſcendi ratio aliquam videatur mutationem poſſe inducere. Quo tandem in numero non eſſe genuinum methodi fundamentum ulterius declaretur, deſcriptionem plantae cuiusdam adiungit Noſter, quae cum *Crotone*, a LINNAEO deſcripto ſub nomine: *Croton foliis cordatis*, *inferius tomentoſis* conueniat proxime, numero laciniarum autem, et petalorum defectu longiſſime abſit.

p. 10. Reliquae obſeruationes emendationes continent, ſic *Cakile anguſtifolia maritima* ob ſiliquas diſpermas, et folia pinnata, pinnis longis linearibus, inter ſe diſtantibus, a *Raphano ſiliquis ouatis*, *angulatis*, *monoſpermis* differt: *Solanum Guineenſe*, caule ſpinoſo, foliis vix emarginatis, oblongis, corolla dilute violacea,

* Etſi autem miretur Cl. Auctor, a nemine animaduerſam fuiſſe hanc denticulorum diuiſionem, reticere tamen non poſſumus, in copioſis a nobis diſquiſitis exemplis, et ſuperioris labii et inferioris nullam fuiſſe deprehenſam.

cea, fructu maiori, a vulgari diſcrepat. In arenoſis circa Berolinum ſyluis umbelliferam inuenit Noſter plantam, quae, conſentiente eodem, magnam cum *Caruifolia* BAVHINI habet affinitatem, quam vero quantum ab *Angelica tenuifolia* RIVINI, et ſpecie *Peucedani* GMELINI, *Seſeli* LINNAEI, differat, ſimul oſtendit.

Sed ad anatomicas tranſimus obſeruationes, quae p. 15. viſus atque auditus organum, nouis adnotationibus locupletant. Ligamenta ciliaria olim iam Cl. Auctor muſculoſa fabrica deſtitui probauerat *, nunc eadem ex meris vaſculis, reticulum elegans efformantibus, componi demonſtrat. Idque eo melius quo fiat, de choroideae tunicae fabrica primo exponit. Vaſa vorticoſa choroideae, quae cum Ill. HALLERO ** venas eſſe adſumit, inter ſe decurrentes arterias, ſed rectas habent, quae circulum iridis faciunt. Aliae vero arteriae per internam choroideae faciem antrorſum procedunt, et reticulo elegantiſſimo vaſculorum minimorum obducuntur, cuius inuentionis laudem modeſte Cl. LIEBERKÜHNIO tribuit Noſter. Harum arteriarum ramuli recti absque omni ramificatione ulteriori ad plicas choroideae deueniunt, in iisque, miro modo flexi et inoſculati, reticuli etiam ſub forma, procedunt ad ligamenta ciliaria, unum autem maius vaſculum, ſemper ad extremitatem plicae continuatum, alteri demum iungitur. His argumentis permotus, multum nunc dubitat, utrum ad mutationem lentis diſtantiae a retina ligamenta ciliaria in uniuerſum conferre quidquam poſſint. In primis, quod in iridem vaſcula ligamentorum ciliarium non tranſeunt, nec nerui quidem ciliares, ſiquidem hi omnes per externam choroideae ſuperficiem ad iridem dimittuntur. Ligamentorum ciliarium forman-

* In progr. de ligamentis ciliaribus. Gotting. 1753. 4. vid. Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 459.

** Vid. ibid. Vol. IV. P. II. p. 213.

formandorum neceſſitatem autem aliquam mechanicam eſſe ſubſumit Cl. Auctor, quum choroidea tunica, maximum circulum oculi ſuccingens, hoc minorem lentem circumdare debeat, et ea propter in plicas componi. Impedire autem haec ligamenta poterunt, quo minus radii lucis ad retinam deferan-
p. 20. tur alii, quam qui per lentem tranſierunt. Quodſi tamen haec diſtantia lentis a retina mutationi ſit obnoxia, eaque ab his ligamentis fieri nequeat, eandem muſculorum obliquorum inſertionibus actionique maiori iure tribuendam eſſe demonſtrare ſatagit Noſter: hi namque agentes, ſpatium, tendinum inſertioni intercedens, ad planitiem redigunt, et humorem vitreum, aliunde cedere neſcium, antrorſum cogunt, id, quod ex actione horum muſculorum et anatome comparata corroboratur. Paullo obſcurior uſus reticuli vaſculoſi eſt, quem merito in ſecretione facienda ponendum eſſe concedimus, nec omnino refragamur Cl. Auctori, choroideam tunicam glandulae inſtar conſiderandam eſſe, in qua vaſcula non in acinos colligantur, ſed in tunicam expanſa, ſecedant, ex quorum oſtiis, humor aqueus maximam partem proueniat. Siquidem hic ex iridis vaſculis paucioribus, et inter duas etiam laminas celluloſas conſtitutis, deriuari nequeat. Hae laminae in humano quoque oculo facile conſpiciendae ſunt, anteriorem autem ita craſſam in bubulo oculo detexit Cl. Auctor, ut hydrarygro repleta vaſa non pellucerent, in oculo vero humano, membranae albae ſpecie ſeparauit, extus quae tota villoſa eſt. Ex hiſce villis et vaſorum vario decurſu colores iridis pendent, cuius ſimul aliqua pars pigmento nigro adſcribenda eſt.
p. 23. Vaſcula porro iridis unice ab arteriis, extimam choroideae faciem tranſeuntibus, ſunt, quae iridis conſtrictionem perficere declaratur. In lente cryſtallina vero vaſa quidem a proceſſibus ciliaribus adcedunt, ſed et alia tentamina ex centrali oculi arteria quaedam fuiſſe

fuiſſe adducta indicarunt, eorumque originem diuerſam eſſe demonſtrarunt.

Tandem oculi vaſa, in externa ſcleroticae facie reperiunda, adducuntur, et breuiter *circulus anterior* *, circa originem corneae ex ſclerotica, *circulusque poſterior*, circa neruum opticum conſtitutus, deſcribuntur, ad quem poſteriorem praecipue variae arteriolae, a centrali arteria aliisque, ad ſuperficiem ſcleroticae accedentibus, pertingunt. Sed de omnibus hiſce accuratiſſime expoſitis, propediem Cl. Auctoris eruditam oculi humani hiſtoriam explanaturis, noua dicendi orietur opportunitas. p. 26.

Ab his ad organi auditus conſiderationem progredimur, quae praecipue de cochlea, et deinde de aequaeductu FALLOPII aliisque externis oſſis temporum partibus inſtituta eſt. Neque tamen haec omnem harum partium hiſtoriam abſoluunt, ſed ſingularia tantum quaedam annotata concernunt. Vulgo apicem cochleae promontorium efficere dicitur, quum primi tantum cochleae gyri initium hic ſitum ſit, os autem hic duriſſimum eſt, et teſta oſſea, in foetu cochleam conſtituens, non ubique eiusdem eſt craſſitiei, baſis craſſior, ad ſummum fornicem in tenuiſſimam ſolum laminam abit, cum aetate duriorem magis magisque euaſuram. Foraminula etiam quaedam, ab aliis praeteruiſa, hic animaduerſa deſcribuntur, quorum praecipue duplex ſeries exſiſtit in ſinus cochleae eminente linea. Lamina porro oſſea, quae modiolum cochleae interius ambit, ex duplici ſubſtantia conſtat, altera interior pars aſpera eſt *in ſcala veſtibuli granulis hirta et foueolis inaequalis, in ſcala autem tympani notatur multis lineis extantibus, ex ipſo modiolo in illam porrectis;* altera pars faſciam ſiſtit, leuem et microſcopio perluſtratam ex ſtriis transuerſis parallelis compoſitam, quae ſenſim breuio- p. 27. p. 31.

* vid. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 213.

breuiores ſunt. Conoideum quoque cauum magis quam conicum relinquitur, dum modiolus non ad apicem cochleae pertingit, ſed ad finem ſecundi gyri terminatur, cuius verticem apex modioli, baſin fornix cochleae et peripheriam paries internus, ultimum gyrum abſoluens, conſtituit. Lamina ſpiralis ad apicem uſque delata, hamulum efformat, per quem ſcala tympani foramine in ſcyphi Cl. VIEVSSENII cauitatem patet. Quantum autem haec a Cl. CASSEBOHMII deſcriptione differant, oſtenditur. Ex his dictis ſimul utilitas harum partium quodam modo ſtabiliri poteſt, quae eo fere redire videtur, ut non tendantur fibrillae nerueae, quippe quod in earum actione non obſeruatur, ſed potius a tremente perioſtio concutiantur, et quum variae ſtriae ſint transuerſae oſſeae longiores et breuiores, mox haec, mox illa, pro ratione facti tremoris ſingula vel cum vicinis quibusdam ut contremiſcat, effici poterit, quo facto nerui, his inhaerentes, ſimili afficiuntur ratione.

p. 37. De aquaeductus Fallopiani directione deinde, qui ſepto intercedente a canaliculo illo diſtinguitur, cui muſculus ſtapedis ineſt, et variis aliis foraminibus tandem diſquiſitionem inſtituit Cl. Auctor, de quibus vero omnibus, quum eius in obſeruando adhibitum ſtudium ex iam adlatis luculentum reddatur, et ſubtiles eiusmodi adnotationes ipſae legi mereantur, plura iam hic non adferimus.

XIV.

Diſſertatio inauguralis medica, qua quaedam de neruo intercoſtali notantur. Praeſide D. CASIMIRO CHRISTOPHORO SCHMIEDELIO, Anat. et Botan. P. P. O. Reſpondente *Ioh. Gerold.* Gienga Sueuo. Erlangae 1754. 4. pl. 4½. tab. aen. I.

Quam controuerſa nerui intercoſtalis origo ab antiquis fuerit temporibus, et noſtris etiam eſſe ſoleat, anatomes ſtudioſis res eſt maxime nota, et ſingulari etiam ſcripto a Cl. Auctore ante aliquot annos demonſtratum fuit*. Eſt autem hic inter eos, qui ſententiam tuentur hanc, neruum intercoſtalem ſuam etiam a quinto pare neruorum repetere originem, et eius quidem ſecundo ramo. Varia contra propoſitam eo tempore explicationem monita fuerunt, quae iam noſtra non facimus, eam potiſſimum ob rationem praeſentis pertractationis iniicientes mentionem, quod totius nerui intercoſtalis decurſus per corporis truncum nunc fuerit declaratus. Ita vero enarrabimus dicta, ut normam, a Cl. Auctore obſeruatam, explanemus, quam in obſcurioribus neruorum itineribus illuſtrandis, ſequi poſſint alii et vel confirmare vel emendare. Probaturus autem, *neruum interco- p. 31. ſtalem, neque ex cerebri cerebellique, neque ex ſpinae medulla directe procedere, et hinc complexum unionis neruorum medullae ſpinalis cum quibusdam neruis capitis eſſe*, notat eius originem in ſinu ophthalmico ex p. 5. ſexto neruorum pari nunc ſimplici nunc duplici radice fieri, cui per canalem carotidis arteriae deſcendenti,

* Edidit nimirum: Epiſtolam anatomicam, qua de controuerſa nerui intercoſtalis origine quaedam diſſeruntur, ad IO. WILELM. WERNERVM, Med. D. & Prof. Publ. in Academia Regiomontana. Erlangae, 1747. 4. c. fig.

denti, ſecundi rami paris quinti propago accedit, quae circa primam dictae arteriae flexuram adiungitur, aliquando tota, aliquando ex parte tantum, ramulis aliunde quibusdam et ad auditus organum properantibus. Hoc facto neruus intercoſtalis, rubicundum et mollem conſtituit funiculum, ſenſim ad poſteriora carotidis recedentem, et dum ex oſſe temporum exit, inuolucro durae matris partim, partim nerueorum truncorum vicinorum concurſu tectum. Hic enim nonum neruorum par non nunquam cum eo communicat, vagum ſeu octauum exterius poſteriusque poſitum eſt, nec non occipitale. Inter ea neruus in ganglion ceruicale primum intumeſcit, oblongo ouale, antice et poſtice planum, inferius gracile. Magnitudine tamen illud variat, licet utrinque ramos diſpergat. Ex *interiore* ſcilicet latere ſecedunt haud raro duo magni ad pharyngem oeſophagum et laryngem, quibus alii et hic deſcripti inconſtantius adcedunt, tertius gracilis, quartus itidem ad laryngem, quintus maximus ex fine ganglii, cum aliis ad cardiacos pertinens. Ex *exteriore* latere retrorſum mittuntur ramus ad par occipitale, quandoque ad vagum, alii ad ceruicales, varie communicantes; ex quibus tamen nullus ad quartum ceruicale par a Cl.
p. 11. Auctore delegatus viſus eſt. Truncus autem deſcendens ab hoc ganglio, muſculo colli recto interno incumbens, eique neruos ſuppeditans, aut ſine ramis progreditur, aut circa thyroideam inferiorem arteriam diuiditur in duos ramos, interiorem atque exteriorem. *Interior* ſupergreditur arteriam et varios ramos ſuſcipit, deſcendens ſub ſubclauiam tranſit, ad latera tracheae progreſſus, cum vagi paris ramis communicans, cardiacum quendam neruum conſtituit. *Exterior*, qui etiam poſterior eſt, et cum priori communicat, iuuante ſaepe minore ganglio, ſub thyroidea arteria ſito. Ex hoc autem rami poſterius ad vertebras ſecedunt, alii cum inferioribus ceruicalibus

uicalibus iunguntur, qua facta coniunctione itidem ganglion variae ſit formae et ſitus, ceruicale inferius. Idem hic ramus retrorſum procedendo in thorace, nerui intercoſtalis truncum conſtituit, quum autem minores rami ad cardiacos pertineant neruos, eorum hiſtoriam tradit Cl. Auctor; hi multum variant, et p. 15.
ex gangliis iam dictis, mox hoc, mox illo, enaſcuntur, et ad varias cordis partes pertingunt. Truncus tamen nerui intercoſtalis, circa thoracis confinia, ganglion nouum, thoracicum ſcilicet primum, efformat, in foetu et recens nato oblongum, in adulto latius et in cornua diuiſum, ab inferna eius parte ſecedens truncus ad coſtarum capitula appropinquat, ſub pleura latens cum neruis coſtalibus medullae ſpinalis totidem gangliis coniungitur, ramuſculis ſaepiſſime bifidis, angulo inſertionis diſcrepante. Deinde ab anteriore parte ramuli ex hoc trunco dimittuntur, ad venam azygos, arteriae aortae parietes locaque vicina, et ex inferiori loco circa vertebras thoracis ultimas ramulos porrigit, qui *anteriorem intercoſtalis nerui truncum* efficiunt, ad vertebrarum corpora adſcendentem et ad diaphragmatis appendicem anteriorem accedentem, in quam ramuſculis datis ad abdomen pergit. Sub diaphragmate mox in ganglium ſemilunare ille deſinit, cuius conformatio in omnibus non eadem eſt hominibus, ſaepe ex pluribus coagmentatur lobis, quae quidem varietas ramorum etiam differentiam facilem inueniendam arguit. Longe ſingularis huius ganglii fabrica, in aliquo cadauere reperta, in addita icone ſiſtitur, et ſtudioſe deſcribitur. Strata nempe gangliofa, ut vocat, varia ex ramorum concurſu efformantur, et inde plexus diuerſi, coeliacus et meſentericus exiſtunt, quorum multiplex in viſcera eſt diſtributio. Non tamen libuit Cl. Auctori omnium ramificationum ultimos definire fines, quorum deſcriptionem abſque iconibus difficillimam eſſe ſenſit, quum ex multiplici

 demum

demum ſacta inter ſe collatione eorum, quid pro naturali habendum ſit, intelligi poſſe arbitremur. Po-
p. 27. ſterior deinde intercoſtalis neruus, ex thorace egreſſus, circa primae lumbaris vertebrae corpus gracilis redditur, uſque dum ad primum lumbarem neruum ramus quidam, ad angulum acutum adſcendens, ipſi adiungitur, trunco fere aequalis, quo facto ab eo rami ad lumbares vertebras mittuntur, cum plexubus intercoſtalis nerui communicantes, tres eorum concatenatos ad aortam vidit Noſter, ganglion ſuper dictam arteriam formantes. Inferiores lumbares nerui ſuas radices ad angulos magis obtuſos ad hunc deferunt, uſque dum, ramis inconſtantioribus in glandulas, hic occurrentes, lymphaticas datis, in lumborum terminis ad os ſacrum exſpiret. In ſacro autem oſſe conſtitutus ab ipſis ſacris neruis, nouis auctus acceſſionibus, iterum craſſior euadit, nouo etiam ad quemcunque ſacrum neruo enato ganglio. Rami, ex dictis coniunctionibus egredientes, tum ad membranas, poſt inteſtinum rectum ſitas, tum ad poſticam eius ſuperficiem, et ad latera corpusque veſicae urinariae, tum tandem ad coccygis os et terminos infimi ventris properant.

p. 31. Breuiter ex omnibus ſimul ſumtis conditionibus utilitates pateſcunt, nunc, quatenus febrile frigus inde dilucidetur, enarratur. Siquidem illud, infimo ventri et lumbis moleſtum, neruoſorum filorum intricatorum ſingulares ſtricturas ſignificat. Porro ex quinti paris cum intercoſtali nexu, clauus hyſtericus, dentium dolor, aliaque explicationem inueniunt, et ex diſtributione mirifica ipſius nerui in pelui, effectus catameniorum haemorrhoidumque abundantium intelliguntur. Vberiorem nerui expoſitionem alia ſe occaſione daturum eſſe promittit Cl. Auctor, quam pro eius, in anatome peritia exhibiturum quoque eſſe ſperamus.

XV.

XV.

Obſeruationes anatomico chirurgico-medicae nouae et rariores, accurate deſcriptae iconibusque illuſtratae a IO. LVD. LEBERECHT LOESEKE, Med. D. Berolini apud I. I. Schützii viduam 1754. 4. pl. 6. tab. aen. 3.

Eo lubentius obſeruationum rariorum, ad corporis humani machinam, tum ſanam, tum morboſam declarandam facientium, mentionem facimus, quo maiorem in noſtram ſcientiam utilitatem inde redundare arbitramur. Continentur autem in paruo hocce libello aliquae, quae omnino videntur attentionem mereri. Sunt earum quatuor, quarum conſiderandarum neceſſitatem etiam Cl. Auctor in addita praefatione, variis adductis exemplis confirmare annititur.

Obſeruatio I. de noua acetabuli ſcapulae, quod articulationi cum humero inſeruit, formatione per ſolam αὐτοκρατείαν naturae, agit. Articulationum nouarum, per morbum factarum, exempla plura proſtant, aliqua etiam a Cl. SALZMANNO deſcripta; in ſcapula tale quid accidiſſe, vix legitur adnotatum. Luxatum autem humeri caput, ſub naturali ſua glenoidea in margine anterioris coſtae paulo demiſſiori loco, ad locum, ad quem ſubſcapularis muſculi fibrae accedunt, ſubſidit, et nouum, recipiendo humeri capiti aptum, acetabulum efformauit ſenſim, circa ambitum aſperum et inaequale, media ſui parte tamen laeue. Ob frictionem ſimul intumuit eminens eius margo, quod a nouo ſucco oſſeo adducto et poſt deſtructum perioſtium laminamque externam oſſis, factum fuiſſe perhibetur, apophyſis etiam coracoidea plana magis euaſit, et foraminulas pertuſa. Haec momenta addita quoque declarat delineatio, dolemus interim de motu huius brachii et ligamentorum ad- p. 11.

haeſione nihil reſcire potuiſſe et animaduertere Cl. Auctorem.

p. 15. *Obſeru. II.* demonſtrat *naturam errantem in conformatione partium corporis humani: exemplo membranae tympani duplicis et arteriae pulmonalis, quae loco canalis arterioſi tota in arteriam aortam terminabatur.* Variam ſe ſcribit Cl. Auctor in perueſtigando organo auditus dediſſe operam, qua ſaepe repetita factum ſit, ut in homine atque brutorum animantium haud raro ipſi occurrerint inſolita. Vidit muſculum mallei duplicem, ſtapedis crus breue in ſpinam extenſum, et ad cochleam pertingens, ſimiliaque; nunc potiſſimum de nerui acuſtici portionis durae progreſſu diſſerit, in quo non nulla, quae ab aliis adnotata non ſunt, obſeruauit. Diſquirit vero eam tantum illius partem, quae ab ingreſſu per foramen acuſticum in aquaeductu FALLOPII ad exitum eius latet, eamque ex ſitu ſuo extractam, cum iis, quos inuenerat, ramificationibus delineatam ſiſtit, nec non zonam tympani, inter malleum incudemque tranſeuntem, et cum quinto neruorum pari coniunctam, ex ipſo hoc dicto quinto neruo potius, quam ex ſeptimo originem ſumere argumentis euincere tentat. Deſcribit autem iter nerui noſtri ſequenti

p. 17. modo: Neruum durum per proprium foramen, ad cochleam ſitum, tranſeuntem extrorſum flecti, ſub dura meninge exeuntem, oſſi petroſo incumbere, ramo per hiatum aquae ductus cum neruo petroſo, qui a ſecundo ramo quinti paris proficiſcitur, iungi: porro ex curuatura ramulum ad mallei muſculum internum dimittere, reflecti et aquae ductum ingredi, in hoc recta poſtquam deſcendit, ramulum muſculo ſtapedio largiri, vel aliquando plures: in progreſſu ulteriori ad angulum acutiſſimum dare ramulum flexuoſum ad cauitatem tympani, qui zona tympani eſt, quae vero partim cruri incudis longo adhaeret, partim tenuiſſimis filis duobus tribusque in membra-

nam

nam tympani inſeritur, alio in membranae aream minorem abit: deinde hanc per membranam tenuem ad FOLII proceſſum adcreſcere, inter muſculos mallei externum et internum pergere, illique filum tenuiſſimum neruoſum dare: iter poſt in fiſſura GLASERI continuari, ab hac deſcendendo tubae incumbere, ramulos ad muſculos tubae remittere et tandem neruo maxillari inferiori ad angulum acutiſſimum iungi, qui exinde craſſior euadit. Ipſum autem truncum nerui duri ante exitum ex canali ramulis quibusdam cellulis proceſſus maſtoidei proſpicere. His praemiſſis duplicatam veram membranam tympani obſeruatam ex adulto homine ſiſtit, quarum altera a conſueta diſtabat, nullumque cum malleo nexum habebat.

Quum deinde alia naturae, ut vocat, aberrantis exempla proponere vellet Cl. Auctor, in vaſis potiſſimum, quod anatomicis frequentiſſime obuenit, ſanguiferis, varietates detectas adducit, et immediatum arteriae pulmonalis in infante tranſitum in aortam delineat, quippe quae non diuiſa et bifurcata, ſed tenuibus tantum ramulis in pulmones abiuerit. Alia occaſione ſimul memorat, ſe omnes pulmonales venas unico trunco in auriculam poſteriorem terminatas vidiſſe. Adduntur tandem malae conformationis documenta varia, quae forte ulteriori digna deſcriptione ſigillatim exponi potuiſſent. Notamus enim, ubiuis Cl. Auctorem ad obſeruationes certiores reddendas ex iis, quae ipſi occurrerunt, exemplis ea addidiſſe, quae huic ſcopo ſatisfaciendi idonea ipſi viſa ſunt.

Obſeru. III. docet *naturam vi morbi ſuperatam,* p. 29. *in primis exemplo, aboliti ferme inteſtini coeci et ſumme anguſtati coli in recens nato.* Quum itidem huius rei demonſtrandae cauſa omnium, oeconomiam corporis animalis infeſtantium, morborum effectus poſſint adduci, in os conuerſa varia vaſa, ut corona-

 riam

riam cordis arteriam, ipſam ad iliacarum ſeceſſum uſque oſſeam redditam aortam, glandulam pinealem petrefactam, ſimilia que recenſet Cl. Auctor, hacque data occaſione varia praxin adiutura momenta perpendit. Singulare interim eſt, obſeruaſſe eundem, oſſa capitis in vetula ſic abraſa, ut interna tantum lamina ſuperfuerit, nec non praeter naturam factos diuerſorum oſſium coalitus, eorumque habitum omnem mollem redditum. Inter alia porro eſt cordis ventriculus anterior, aneuriſmate permultum diſtentus, et ex partibus, praeter molem naturalem contractis, inteſtina ſunt. Huc itaque pertinet caſus, in tenera adhuc puella recens nata obſeruatus, cuius nempe coecum et coli proxima pars anguſtata, colon autem quaſi abolitum detegebatur, quam conditionem icon exprimit.

p. 39. *Obſeru. IV. Res contra naturam* proponit, ad quas veteres vermes ſimul referebant. Taenias easque numero etiam multiplices, inuenit Noſter, et cucurbitinos, per ſe viuentes, ſingularesque vermes ſiſtentes, obſeruauit. Priorum etiam capita oſculo rotundo inſtructa, non tamen acuminata vel oculis praedita detexit, et tandem vermes, ex carioſo dente, vapore aromatico expulſos, deſcribit atque depingit, qui anteriore parte ſimplices erant, poſteriore in duas caudas plano conuexas diuidebantur.

Tandem, quod recentiorum experimenta, cum radice rubiae tinctorum in animalibus inſtituta eiusque vegetabilis efficacia, oſſa rubro inficiendi colore magis magisque innoteſceret, quae a ſe inſtituta fuerint experimenta, docet Cl. Auctor in *appendice*,
p. 44. quae *radicis rubiae tinctorum per experimenta effectus in cartilaginibus et oſſibus animalium* monſtrat. Vidit nempe in columba, tribus tantum diebus hoc cibo nutrita, cartilagines oſſis hyoidis, laryngis et tracheae eleganter rubicundas euaſiſſe, in cane deinde, per rubiam paſto, et emaciato, poſt aliis cibis iterum

iterum refecto, poſt quatuor adhuc annos dentes rubere vidit, ex quo non adeo fugacem hanc, oſſibus colorem inducendi, vim eſſe coniici poſſe arbitratur.

XVI.

Graecorum chirurgici libri SORANI unus de Fracturarum ſignis: ORIBASII duo, de Fractis et Luxatis e Collectione NICETAE ab antiquiſſimo et optimo codice Florentino deſcripti conuerſi atque editi ab ANTONIO COCCHIO, Anatom. Prof. P. et Antiquario Caeſaris. Florentiae e typographia Imperiali. 1754. fol. 2 alph. 5 pl. 1 tab. aen.

Cum Cl. COCCHIVS ſtudium rei medicae ita inſtituiſſet, ut cum literarum graecarum ſcientia coniungeret, perluſtraretque editos ineditosque graecorum de re medica libros, incidit in bibliotheca Medicea in codicem, dudum praedicatione clariſſimiorum virorum, HOLSTENII, BARTHOLINI, SPONII, TOLLIIque nobilitatum, qui ab LASCARI in Italiam allatus, et per CLEMENTEM VII. in eam bibliothecam illatus eſt, continetque Corpus medicorum graecorum, ad chirurgiam pertinentium, confectum a NICETA, ſaeculo undecimo exeunte, vel duodecimo ineunte, ſcriptum in membrana nitide, literis rotundis, raris interpunctionibus, itemque apicibus et notis. Hunc codicem cum diligentius inſpexiſſet, vidit in eo eſſe partim plane ineditos libros, partim, quorum tantum latinam verſionem haberemus, denique etiam, per quos edita exemplaria medicorum graecorum pluribus locis emendari poſſent. Itaque induxit in animum, in primis ineditos libellos publici iuris facere, praeſertim impellentibus clariſſimis medicis, BOERHAAVIO, MEADIO, ad

ad extremum etiam ANT. ASCEVIO, Britanno, graece doctiſſimo. Id quo modo fecerit, et quid ei debeat res literarum publica, quam breuiſſime poterimus, demonſtrabimus.

Primum exhibet conſpectum totius Collectionis, adſperſis literariis quibusdam animaduerſionibus, unde emendari ſuppleriqne poſſunt, quae de ea Collectione tradunt FABRICIVS B. G. Vol. XII. p. 1778.
p. 34. aliique. Sequuntur tria epigrammata in laudem NICETAE verſibus iambicis, ut mos illorum temporum
p. 44. tulit, non uſquequaque legitimis. Ea excipit SORANI *de ſignis Fracturarum* libellus, cui ſubiiciuntur ex ORIBASII Collectione medica *Liber XLVI. de articulis excidentibus* ſ. *Luxationibus* ex iisdem et praeter ea *Aſclepiade*. Ad extremum, velut corollarium, additur *varietas lectionis* e codice MSt. Florentino CELSI, pertinens ad Lib. VIII. in quo de eodem argumento agitur, h. e. de Fracturis, grata futura iis, qui CELSVM emendatiorem edere velint, quod nuper in animo habebat Cl. GVNZIVS, multis librorum veterum ſubſidiis inſtructus: nunc ſpes eſt facturum Cl. BLANCONVM, haud paulo ab literis antiquis inſtructiorem. Graeca e codice, ſatis vitioſe ſcripto, emendate edita ſunt, addita verſione bene latina, perſpicua, graecisque bene conſentiente. Notae ſunt paucae et breues, ſed bonae, et plurimum exquiſitae doctrinae habentes. Ab iis primum hoc quisque expectet, ut loca GALENI, unde excerpta SORANI, ORIBASIIque repetita ſunt, indi-
p. 55. centur. Sed eo labore, utique immenſo, et plerumque inani defungi ubique noluit Cl. Editor. Ac profecto id ſufficiebat fieri locis iis, ubi corruptio aliqua aut obſcuritas comparationem GALENI deſiderabat: quibus locis id facere Vir doctus non neglexit. Sed diſtinctius agamus.

SORANOS quinque aut ſex hiſtoria medicinae commemorat. Horum ei COCCHIVS libellum de *fractu-*

fracturis tribuit, quem SVIDAS Epheſi natum, et Alexandriae eruditum, Romae medicinam feciſſe magna cum hominis fama, ſub TRAIANO et HADRIANO, tradit, nulla tamen eius coniecturae ratione reddita. Libellus inſcribitur ille quidem in codice *de* p. 44.
ſignis Fracturarum in Caluaria, ſed agit de *ſignis Fracturarum uniuerſarum*, eſtque titulus ille a manu non prima adſcriptus, et ad primam libri particulam pertinet.

In caluaria genus eſt fracturae, quae fit ab corporis acuti illapſu. Eam ſcriptura vitioſa apud PAVLVM, etiam GALENVM, facit ἐκκοπὴν, perperam, pro ἐγκοπῇ, ut mox alteras ſpecies duas ἐκγείσωμα et ἐκπίεσμα pro εγγ. et εμπ. Noſter e Codice Florentino omnia iſta compoſita edidit ex ἐν. Ceterum ita frequens eſt iſta in multis talibus verbis confuſio, ut ſubinde ſuſpicari liceat, utramque ſcripturam rectam eſſe, cuius nec exempla certa deſunt. Nam patria, et mater dicitur εκτεκοῦσα et ἐντεκοῦσα, itemque proles ἔγγονα et ἔκγονα etc. Nec dubitemus ἐγκοπὴν et ἐκκοπὴν recte dici, cum etiam εκκόπτειν ita ſaepe pro ἐγκόπτειν reperiatur in bonorum librorum locis, nihil de menda ſuſpectis, ut nimis multa loca corrigenda ſint, ſi ea omnia vitioſa pronuntiare velimus. Sed forte quis nec hoc dubitet facere. Ἐμπιέσματος effectum SORANVS facit etiam p. 48.
torporem: quod vehementer probat COCCHIVS, ſed grauiorem docet, et pernicioſiorem ſequi ſolere eo, quem SORANVS commemoret. Nam confractis oſſiculis vertebrarum, medullam, per ea deſcendentem, comprimi, pungi: atque ea irritatione inflammari neceſſario ſubiectas corporis partes, uniuerſas reſolui, veſicae denique et inteſtini recti vim conſtringentem ita frangi, ut excrementa et urina vel excerni nequeant, vel ſine ullo hominis niſu prorumpant. His animaduerſis, ſaepe ſe ſuſpicatum ait, vertebrae alicuius proceſſum ſpinoſum confra-

ctum

ctum eſſe, idque ſe verum deprehendiſſe, quoties a morte cito conſecuta corpus inciderit, etiam cum nullo modo vertebrae excidiſſent. Veteres exiſtimaſſe, eas noxas a vertebris luxatis venire, cum ſint a fractis. Atque ad eo ſaepius accidere expertus tradit, contra quam veteres crediderint, ut frangantur oſſicula illa, quam ut luxentur.

p. 51. Talum SORANVS negat frangi, quia contineatur fibula, et *κυβοειδεῖ*, *oſſe cubo ſimili.* Pro eo verbo Vir Cl. legendum ſuſpicatur *σκαφοειδεῖ.* Nam os illud cubiforme non attingere talum, ſed os *nauiculare* cum eo committi. Perplacet viri docti ratio, ſed longius recedit correctio a ſcripturae veſtigiis. Lenius fuerit, corrigere *κυμβοειδεῖ*, quod ſynonymum eſt *σκαφοειδεῖ*, et ab edito verbo una modo litera differt, quam ſatis conſtat a librariis ſaepe vel detrahi, vel addi alieno loco. Quodſi *κυβοηδεῖ* verum ſit, intelligendum coniicit os calcis, quod eo nomine appellaſſe videatur et ipſe SORANVS, proxime praecedentibus verbis et BACCHIVS apud EROTIANVM in verbo *κυβιτῷ.*

Oribaſiana quoad e GALENO ducta ſunt, hunc uſum praeſtant, ut per ea vulgata GALENI lectio permultis locis (in quibusdam etiam HIPPOCRATIS) emendari poſſit: Quod ſingulis locis monere Cl. Editor non neglexit*. Iuuat unum locum apponere, ita corruptum et lacunoſum, ut intelligi non poſſit: unde etiam ab ALDO ſtellula notatus eſt. Is eſt in Comm. I. de Artic. T. V. ed. Baſil. p. 586 (non 589, ut operae dederunt) lin. 14. Ibi ſic vulgati libri habent: *ἐν ταῖς μυσὶν ὠθεῖν αὐτὸ χρὴ πρὸς τὴν ἐναντίαν χώραν ἐμβαλόντα τῶν μυῶν ἀνασπασθὲν εἰς τὴν μασχάλην ἐνεχθῆναι.* E libro NICETAE autem ſic plenius editum eſt: *ἐν τοῖς - - - τῶν μυῶν. Ἐν τούτῳ δὲ τῷ ἔργῳ κίνδυνός εἰς τὴν κάτω χώραν ὀλισθῆναι αὐτὸ, πρὸς τῶν*

μυῶν

* Vt pag. 58. not. 6. 59, 10. 12. 16. 17. 62, 4. 65, 4. 5. etc.

μυῶν ἀνασπασθὲν εἰς τὴν μασχάλην ἐνεχθῆναι. Atque hunc fere ſenſum expreſſit VIDIVS: unde colligere licet, eum in loco hoc vertendo uſum eſſe libro graeco MSto meliore ac pleniore vulgatis. Nam olim hic mos fuit virorum doctorum, qui graecos ſcriptores facerent latinos, ut codices meliores inſpicerent, et in locis corruptis eos exprimerent, ſine omni oſtentatione et iactatione, quae nunc in talibus obtinet.

Notulas autem COCCHIVS etſi perpaucas addidit, eaeque maxime habent indicia locorum GALENI, unde ſua excerpſit ORIBASIVS, tamen paſſim etiam in iis occurrunt alius generis, eaeque exquiſitae eruditionis obſeruationes: quarum aliquot ſpeciminis cauſa ponemus, ad vocabula chirurgica pertinentes. GALENVS in Expoſit. Voc. HIPPOCR. in v. Ἀρὶς, p. 92.
nil aliud interpretandi cauſa ponit, quam *ὄργανον*, contentus nomine generis, ut in obſcuris gloſſis ſaepe faciunt Gloſſographi. Item SVIDAS ſolum hoc, *τεκτονικὸν ἐργαλεῖον*. Nec plus FOESIVS in Oecon. HIPP. aut STEPHANVS in Theſ. G. L. At ex HELIODORI loco, cuius excerpta dedit ORIBASIVS, patet, fuiſſe partem terebrae, per quam circumagitur, h. e. arcum cum habena, ut exprimitur a IO. ANDR. CRVCIO, in Officin. Chirurg. p. 10. Atque huic coniecturae fauent verba HIPPOCRATIS de articulis, c. 14. p. 770. ed. LIND. quem in animo habuiſſe GALENVS videtur, ubi parili motu agitari HIPPOCRATES ait *ſerram* et *ἀρίδα*, tum PHILIPPI verſus in Anthol. VI. epigr. antepen. *καὶ γύρας ἀμφιδέτους ἀρίδας*, denique POLLVCIS locus X, 146 ubi *τρυπάνια τρυπανίας ἔχοντα*, ex inſcriptione antiqua ipſe explicat, *ἴσως τὴν ἀρίδα.*

Κυκλίσκους apud GALENVM, et hinc apud ORI- p. 108.
BASIVM, Lexica interpretantur *ſcalpra caua* et *exciſoria.* Sed COCCHIVS rectiſſime correxit, et in textum adeo Oribaſianae orationis recepit *κοιλίσκους*. Nam etſi nulla MSS. librorum auctoritate nititur, at

auctorem

auctorem habet HESYCHIVM, in quo eſt κοίλισκον,
κοῖλον. Tum, ubi in GALENI vulgatis eſt τοῖς κυ-
κλίσκοις, Oribaſianus liber praefert τοῖς κοίλοις, quod
forte per compendium, aut negligentiam librarii fa-
ctum eſt e κοιλίσκοις. ſed tamen et τὸ κοῖλον potuit
p. 118. eſſe inſtrumenti nomen. Illa quoque eſt bella emen-
datio, cum in loco ORIBASII, ubi ex ARCHIGE-
NE de ὑπερσαρκώσει praecepta ponit, eamque medi-
cos demere poſſe ait, vel medicamento exedente, vel
ſcalpello, ἀποδήσαντας, cauentesque, ne modus ex-
cedatur. Ibi pro ἀποδήσαντας, quod ſane ineptum
eſt, reponit, mutatione leuiſſima, ἀπεδίσαντας, *com-
planantes*. Nam HESYCHSVS ἀπεδίζειν interpretatur
ὁμαλίζειν, ex ἄπεδον, quod eſt ὁμαλὸν, *planum*.
Ad ASCLEPIADIS fragmentum, quod ante hos de-
cem annos iam ediderat ſeparatim Florentiae, repu-
diat opinionem eorum, qui auctore PLINIO XXVII,
3. eum POMPEII MAGNI aetate vixiſſe dicunt. In
quo nititur maxime CICERONIS loco Or. I, ubi
CRASSVS orator ait, eo ſe medico et amico uſum
eſſe. Sed id argumentum nobis hanc vim non ha-
bere videtur, ut PLINII auctoritatem deſerendam
putemus. Neque vero credibile eſt, PLINIVM, in
re non longe remota a ſuis temporibus, erraſſe, qui
in aliis longe remotioribus rebus tanta diligentia eſt
uſus. Illa autem mera coniectura eſt, cum ASCLE-
PIADEM iam mortuum fuiſſe putat, quo tempore
iſta loqui CRASSVS apud CICERONEM fingitur.
Quid impedit, quo minus CRASSI medicus fuerit
ASCLEPIADES, et tamen ad POMPEII mortem
vixerit, cum centum amplius annos vixiſſe tradatur.
In eo autem ASCLEPIADIS fragmento commemo-
rantur duo exempla femoris luxati et ſede ſua expulſi
ab longo aut graui morbo ſine vi externa. Ad eum
locum, quia ea res raro accidit, quae commentatus
eſt Cl. COCCHIVS non ingrata fore ſperauimus le-
p. 154. ctoribus noſtris: itaque ea adſcripſimus: *Vitiatorum*
ſic

ſic femorum exempla oppido rara, ASCLEPIADEM, *oſtendunt, in viſendis aegris operam diu dediſſe. Nobis ſemel licuit anno MDCCXLV. cultello corpus aperire hominis tabe iſchiadica extincti, in quo caput femoris ſua ſede prolapſum vidimus. Fuit is* DOMINICVS PALATIVS, *famulus noſter, cui crus dextrum ab ineunte aetate debilius fuerat, et aliquantulum valgius longiusque, ut leuiſſime claudicare videretur. Annum agenti XXXIII. ob equi caſum, cui inſidebat, femur dextrum ad terram compreſſum fuit: inde tamen parum doluit, inceptumque iter biduum equitando perficere potuit. Bene valuit duos menſes: ſed rurſus iter faciens menſe decembri, cum ex equo deſcendiſſet, et aliquot paſſus cum grauibus ocreis ambulaſſet, ſubito dolore, ab ipſius coxae ſinu ad ultimum pedem affectus fuit. Qui dolor etſi ſtatim remitteret, nunquam tamen deinde in coxae articulo euanuit, imo ſua munia interdiu, non aegre obeunti, ad noctem quotidie dolor increſcebat, atque una debilitas, ita, ut menſe demum ianuario ſtare et ambulare nequiuerit. Iacenti nullus ibi tumor apparuit, femur vero attollenti dolor ingens intimus ad coxam oriebatur. Non defuit illi quidem neque conſilium neque opera chirurgiae principum* BENEVOLII *atque* NANNONII: *Sed crus altero longius plus pollice fuit, coxaque admodum gracilior, et attollendi femoris facultas ablata, cum conuertendi ſatis integra permaneret, totiusque corporis macies ſenſim et fabricula ſuperuenit, et exeunte martio ſub trochantere exteriori tumor latus paulum extans ſine dolore et rubore deprehendi potuit, mollis in cute, materiamque intus mobilem tactu prodens. Quo lente matureſcente, quamuis idonea medicamenta impoſita fuerint, extremo aprili cutis ferro aperta puris aliquantum emiſit, tenuis ſubliuidi, inodori. Linamentis iniectis, vel aridis, vel aqua cum melle madefactis, et calidae perfuſione plaga diu nutrita fuit. Cumque ulcus nunc purgari, nunc putreſcere, iterum-*

que purum fieri ac ſanari videretur, et mouendi, ac leui quoque adiumento ſuſtollendi cruris facultas augeri, febris magna cum horrore et frigore acceſſit, et in inguine totus locus intumuit, coxaque exterior, ulceriſque ima pars, quae caua antea fuerat. Intumuit quoque pes, et crus omnino immobile, integro crure non nihil breuius, cum antea longius et aliquando aequale fuiſſet. A plaga puris copia manauit, unde tumor inguinis minuebatur, ibique corpus globoſum, durum, non dolens tactu percipiebatur, quod caput femoris extra ſinum coxae promotum eſſe coniecimus. Quotidie tum ſponte tum comprimendo multum puris albi craſſique emiſſum eſt, quo denique imminuto ac tenuato, et ulcere albido atque arido, tabida macie homo conſumptus, et poſtremo breui pulmonis inflammatione extinctus eſt. Diſſectum cadauer magnam puris ſubuiridis copiam oſtendit, muſculorum interſtitia recti et vaſti exterioris uſque ad genu opplentis, et in ipſum articulum femoris ac tibiae eroſo alicubi ligamento deriuati. Muſculi poſtici gluteus, medius praeſertim, parte, qua femori accedit, gluteus medius, et minimus, et quicquid carnis eſt a criſta ilii ad femur poſt trochanterem, corrupta omnia in pus verſa fuerant, fibris aliquot ſubnigris confuſis transuerſis remanentibus, reliquiis muſculorum pyriformis, geminorum, quadrati et obturatoris interioris, ita, ut oſſis ilii ſuperficies prorſus nuda, et alicubi eroſa quoque fuerit, pus vero et per interſtitia muſculorum deſcenderat. Ipſum femoris caput extremis muſculorum pſoae et iliaci integris, ſed gracillimis appenſum, e ſuo ſinu vel cotyla elapſum iacebat introrſum, paulo ſupra eiusdem cotylae ſupercilium. Vtrumque ligamentum capſulae ac teres abruptum et in pus diſſolutum fuerat, cartilago tum capitis femoris, tum cotylae exeſa, et oſſea utraque ſuperficies carie aſpera erat. Ex quibus omnibus abunde patuit morbi principium ab ipſo coxae ſinu proximaque ei exteriori parte fuiſſe, abſceſſu ibi exorto, vel

ab

ab inflammatione ob naturalem illarum partium habitum, vel fortaſſe ab iniuria extrinſecus illata, vaſculis nempe colliſis et ad inflammationem altius mouendam, penitusque conditam ſuppurationem faciendam comparatis. Patuit quoque femoris caput, non niſi diſruptis ligamentis, muſculisque validis abſumptis, e ſuo ſinu excidere potuiſſe. Duos praeter ea curationi noſtrae traditos obſeruauimus, quibus ab iſchiadico dolore totum crus ſubito immobile, ac tumidum, et breuius varumque factum fuit, aliaeque notae apparuere, quae femori promoto vulgo tribuuntur, qui cum diu quieti iacuiſſent, nulla reſtitutione tentata, moueri denique, claudo tamen aliquantulum pede potuerunt. His ego omnibus valde ſuſpicor femoris caput in ceruice fractum in ſinu remanſiſſe, reliquumque os initio diuulſum ab eo et dehiſcens fallacia ſigna dediſſe, quaſi totum os elapſum fuerit, idque poſtea obducto callo eidem capiti, etſi minus concinne adglutinatum, corpus ſuſtinere ac ferre valuiſſe.

Haec COCCHIVS. Age vero quoniam Auctarium quoddam additum diximus e codice CELSI Mediceo: de eo quoque aliquid planius dicendum videtur. Eſt autem codex ille antiquiſſimus, correctus, ſed multo poſt, manu B. MARCHIONIS PALAVICINI, adſcriptasque habet quasdam POLITIANI emendationes. Nomen CELSI aliter quam ceteri exhibet, nunquam AVRELIVM appellans, ſed A. CORNELIVM CELSVM, interdum tamen omiſſo pronomine atque adeo CORNELII nomine. Differt etium capitum titulis liber iſte ab ceteris codicibus omnibus, alios habens ac pauciores. Et ceterorum quidem codicum tituli videntur deberi auctori, non admodum vetuſto, qui eos margini antiqui libri adſcripſerat. Memorantur enim in iis SORANVS, qui poſterior CELSO fuit. Sed illi tamen reperiuntur in libris ſcriptis, etiam Florentinis omnibus, praeter unum illum antiquiorem et meliorem, de quo nobis

iam ſermo eſt. Ab hoc autem cum abſint, isque alios et pauciores habeat, credibile fit, exemplum CELSI, unde hic liber ductus ſit, diuerſum et antiquius eo fuiſſe, unde ceteri omnes manarint, conſentientes illi inter ſe quam maxime, et ab hoc plurimis locis valde diſcrepantes. Itaque Cl. Editor exiſtimat, de reſtituenda vera Celſianorum librorum lectione tum demum ſpem fore, ſi tertium quoddam, antiquius et emendatius exemplar, proferatur. Vt nunc eſt, Florentini illius auctoritas haud dubie maior eſt ceterorum, quam adeo non deſerere debebant editores CELSI. Itaque praeclare fecit Cl. COCCHIVS, cum octaui libri accurata excerpta dedit, paſſimque loca CELSI protulit alia ex illius codicis lectione, ut p. 81. et aliis locis. Atque etiam p. 52. omnium codicum Florentinorum, qui ſunt ſeptem, notitiam dedit, ſeque facturum promittit, cum primum aliquid otii nactus fuerit, quod eum in Ep. VII. in CELSVM rogarit Cl. MORGAGNIVS, ut totius codicis varietatem proderet.

Ceterum in Codice NICETAE reſtant promenda porro hac tria: APOLLONII CITIENSIS Commentarii tres, in HIPPOCRATIS librum de articulis, PTOLEMAEO regi inſcripti, quem Vir Cl. putat eſſe Cypri regem, PTOLEMAEI AVLETAE fratrem: ORIBASII de laqueis et machinamentis liber, latine tantum editus a VIDIO: denique locorum quorundam HIPPOCRATIS, GALENI, ORIBASII, PAVLLI, RVFI, PALLADII, emendationes. Quae ut pollicetur Vir Cl. ſe proditurum, ſi vires ſuppetant, et viris bonis edita placeant: ita, ut illae ipſi contingant, optamus; viris quidem peritis edita, et editoris diligentiam, doctrinamque in iis edendis, probari, certo ſcimus.

XVII.

XVII.

Elementa Mineralogiae ſyſtematice diſpoſita a FRIDERICO AVGVSTO CARTHEVSER, Med. Doct. Francofurti ad Viadrum. Impenſis Pauli Sigiſmundi Gaebler. 1755. 8. pl. 8.

Quam in indaganda corporum naturalium per chemiam indole et miſcela diu et cum laude pater poſuit operam, eam iam quoque in mineralium corporum contemplatione dignum tanti nominis parente filium profitemur poſuiſſe. Etſi enim ipſe ſe fatetur ingenue Cll. virorum, LINNAEI, WALLERII, WOLTERSDORFII et in terris LVDWIGII preſſiſſe veſtigia, eum tamen ſollertiori indagine tam externas mineralium contemplando qualitates, quam varias eorum ad ſe inuicem aliaue corpora relationes attendendo, multum omnino in facta hac mineralium diſpoſitione arbitramur adhibuiſſe ſtudii atque operis, quod ſuo ſibi iure vindicare poſſit. Septem vero conſtituit Cl. Auctor Regni ſui mineralis Claſſes, iisque terras, lapides, ſalia, inflammabilia, ſemimetalla, metalla, et mineralia heteromorpha comprehendit. Primae claſſis, terras complectentis, duos ordines conſtituit earum facilis vel difficilis in aqua diſſolubilitas; inde terrae diſſolubiles vel indiſſolubiles. Alteram claſſem lapidum in quinque ordines diſpoſuit Cl. Auctor, in lamelloſos, filamentoſos, continuos, granulatos, aggregatos et diuiſionis fundamento ab aggregatione et natura molecularum deſumto, quod affirmat firmius meliusque eſſe, quam ſi cum aliis lapidum ad ignem relationem reſpexeris. In tertia claſſe quatuor occurrunt ordines, ſalium nimirum alcalinorum, acidorum, mediorum et ſtypticorum, qui nouus, ab Auctore additus, duo genera, vitriolum et alumen ſub ſe comprehendit; externo enim habitu aeque ac interna miſcela a reliquis

 quum

quum differant, diſtinguere ſe eadem quoque iure poſſe Noſter arbitratus eſt. Inflammabilium nomen quartae claſſi datum fuit vel ideo, quod generalior eius latiorque notio melius conueniat, quam ſpecialior ſulphurum aut bituminum denominatio; iam etenim duo conſtitui poterant ordines genuinorum et ſpuriorum inflammabilium; illis ſubſunt bitumen et ſulphur; his autem humus maiori iure, quam terris, adnumeratur. Quinta claſſis, ſemimetalla complectens, tres habet ordines, nempe ſolida non malleabilia, ſolida ſubmalleabilia et fluida: primum ingrediuntur biſmuthum, cobaltum, arſenicum et antimonium; alteri zincum, tertioque additur mercurius ordini. Metalla occurrunt in ſexta claſſe, in tres ordines ſubdiuiſa, ſubuolatilia flexilia, ſubuolatilia dura et fixa. Primus ordo plumbum et ſtannum; ſecundus cuprum et ferrum; tertius comprehendit argentum et aurum. Vltima tandem claſſis exhibet heteromorpha mineralia tribus ordinibus, petrefacta vera, petrefacta ſpuria et figurata.

Atque haec eſt generalis huius mineralium diſtributionis conſpectus, unde iam ſatis patere arbitramur, quid Noſter praeſtiterit, quidue cum aliis commune habeat auctoribus, quid contra noui addiderit tam in ordinum, quam in generum ac ſpecierum facta diſpoſitione. Iam per ſingulas claſſes earumque ordines eundum nobis eſſet indicandumque uberius, quae ſingulis ſubſint ordinibus genera et ſpecies, quique ſint horum characteres eſſentiales aut differentiae varietatesque ſaepe occurrentes; ſed breuitatis ſtudioſi haec praetermittimus, illud unicum adhuc monentes, Cl. Auctorem ubique tam a qualitatibus externis mineralium, quam a relationibus eorum ad ſe inuicem vel ad alia, puta ignem et menſtrua, aptos ſufficientesque characteres generum aeque ac ſpecierum deſumſiſſe, varietates ſedulo adnotaſſe,

taſſe, illudque omne, quod ad ſyſtematicam mineralium diſpoſitionem requirebatur, praeſtitiſſe feliciter.

XVIII.

Noua phyſico-medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes.

1) In Academia Roſtochienſi:

GEORG. CHRISTOPH. DETHARDING, Phil. et Med. Doct. Sereniſſ. Duc. Mecklenburg. Regn. Conſiliar. Aulic. Anatom. et Mathemat. ſuperior. Prof. Publ. Ducal. * Ord. Collegii Ducalis Profeſſor et Facult. Med. Senior.

GVSTAV. CHRISTIAN HANDTWIG, Med. D. Sereniſſ. Duc. Mecklenb. Regn. Conſil. Aul. Med. Prof. Publ. Ducal. Ord.

IOH. BERNHARD QVISTORP, Med. D. et Prof. Publ. Ord. Ciuitat. Roſtochienſis Poliater.

CHRISTIAN EHRENFRIED ESCHENBACH, Med. Doct.

2) In Vniuerſitate Auenionenſi **:

SPIRITVS ROVX, Facultatis Medicinae Doctor Aggregatus, Profeſſor primarius et Regens Ordinarius.

* Bini enim priores profeſſores a Sereniſſ. Duce Mecklenburgico conſtituuntur, *Ducales* ideo dicti, tertius autem, *Senatorius* dicendus, ab urbis ſenatu ex tribus illis eligitur candidatis, quos illud corpus academiae, quod profeſſoribus ſenatoriis conſtat, nominandi deinque Senatui, qui ex iis unum ſeligat, ſiſtendi gaudet poteſtate.

** Scire tamen licet hoſce iam nominatos profeſſores a menſe tantum octobri ſuperioris anni ad eundem huius anni menſem uſque publice docere medicinam *Auenio-*

IOANNES FRANCISCVS DE LA FONT, Doctor Medicus Aggregatus et Profeſſor Botanices.
PETRVS LVDOVICVS MANNE, Doctor Medicus Aggregatus et Profeſſor Anatomes.

Stutgardiae ſocietas eruditorum eum in finem coiit, ut in phyſices, artis oeconomicae, ac in genere in vitae hominum communem utilitatem atque incrementum eius generis ſcripta, quae ad illas ſcientias pertinent, tum ex aliis eruditorum diariis depromta, tum quoque alia ſuo marte elaborata, colligat, ſingulisque ſeptimanis unam plagulam edat. Quod utile ut iuuent inſtitutum, omnes rogantur eruditi, nouaque inuenta, tentamina atque problemata, quae huc ſpectant, cum illa ſocietate communicent; iis tamen omnibus ſedulo neglectis, quae incerta ſunt et inutilia, vel quoque nimis abſtruſas mathematicas inueſtigationes, vel indecentia et acria de principum edictis lata iudicia, continent. E contrario autem collectoribus valde erunt gratae obſeruationes de agrorum cultura, metallorum fodinis, morbis epidemice graſſantibus methodoque eis medendi optima; de variis rerum naturalium mutationibus, aeris temperie, fructuum horaeorum prouentu atque pretiis, natorum mortuorumque hominum numero, variisque nouis principum edictis, politiam regnorum, commercia resque manuum opera parandas e. ſ. p. reſpicientibus. Si quis argumenta ſuppedita-

Auenione. Is enim ſingularis nobisque certe adhuc de aliis academiis numquam cognitus factus mos apud uniuerſitatem Auenionenſem inualuit, ut ex omnium doctorum regentium et aggregatorum, qui dicuntur, numero ſingulis annis noui eligantur profeſſores medicinae, qui lectiones ſuas publicas per illum habeant. Non numquam autem fit, ut unus alterque eorum, qui iam per totum annum, quam debebant, docuere doctrinam, in ſuſcepto munere iterum confirmetur.

ditauerit, quae unam tantum explent plagulam, omnes, quae per totum annum prodibunt, ſchedulas accipiet absque ulla pro iis ſoluta pecunia; quodſi vero plures, pro earum ſingula duos reportabit florenos imperiales.

Singulis quoque annis praemium duodecim nummorum aureorum illi promittit haec ſocietas, qui quaeſtiones ab ea propoſitas omnium optime ſoluet. Ea, quae ad proxime futurum annum referri debet, ita ſe habet: Quaenam datur via et facillima, et optima et viliſſima, vineas, quae humiliter poſitae ſunt, ita praeſtandi tutas, ne gelu, quod veris iam tempore non numquam ſolet conſequi, eis noceat? Porro quaenam eius generis vinearum cultura eſt facillima et utiliſſima? Tandem vero, ſi quis humiles iſtos agros viti colendae aut propagandae prorſus non conuenire exiſtimet, is modum doceat, quo alius generis fructus melius atque facilius inde colligi queant? En inſtituti alicuius, quod laudem mereri videtur, delineatio. Quicunque igitur nouum illud diarium poſſidere aut ſcripta quaedam ad eius collectores transmittere cupit, ſuas ideo dabit literas vel ad officinas librarias, quae ſunt Stutgardiae, *Erhardianas* aut *Mitzlerianas*, vel ad rei curſoriae curiam Stutgardienſem vel quoque Lipſienſem, impoſito hoc titulo: *An die Verfaſſer der phyſicaliſch-oeconomiſchen Real-Zeitung in Stuttgard.* Exemplum collectionis, quae uno anno prodibit, ſingulum pretio duorum fere florenorum imperialium vendetur.

Berolini praemio, de quo, ad futurum annum 1757 reportando, certent eruditi, ante breue tempus, die nimirum quinto menſis iunii a Regia Scientiarum Academia ſequens propoſita fuit quaeſtio: Num arſenicum, cuius magna copia in fodinis, e quibus varia eruuntur metallorum genera, reperiri ſolet, primum atque verum ſit metallorum princi-

 pium?

pium? An illud autem aliqua ſit ſubſtantia ibi orta et excretionis cuiusdam ope progenita? Cuius quaeſtionis ſolutionem veris atque claris ideo captis experimentis ſolide confirmatam cupit Illuſtris Academia.

Holmiae Reg. Scient. Academia in publico, quem die tertio menſis maii habuit, conuentu praemia quoque diſtribuere coepit, quorum bina decem nummorum aureorum pretii ſingulis annis in poſterum tradentur illis eruditis, qui optima Academiae obtulerunt ſcripta; id, quod fieri legimus ex teſtamento Ill. Comitis DE SPARRE. In una nummi illius memorialis facie conſpiciuntur gentis *Sparriae* inſignia, hisce circa extremum eius marginem poſitis literis: *Superſtes in Scientias Amor* FRIDERICI SPARRE. Ex his nummis unum prima hac vice reportauit Ill. CAROLVS LINNAEVS, Eques Suecicus, Archiater, Med. Doct. et Prof. Vpſalienſis et plurimarum Acadd. ſocius, quem ſua in primis diſſertatione de utilibus in Laponiae montibus et progerminantibus et ſtudio colendis herbis ſuperiore anno edita promereri Academiae viſus fuit.

In eodem quoque publico conuentu eadem Ill. Academia ſequentes, quos a nobis commemorari fas erit, Cll. Viros ſuis annumerauit ſociis: ERICVM nempe GVSTAVVM LIDBECK, Med. Doct. in Acad. Suecica Lundinenſi Regium horti botanici Praefectum, Facultatis Medicae Adiunctum et Hiſtor. natur. Prof. Publ. Regium; porro IO. NATHANAEL. LIEBERKÜHN, Med. Doct. Acad. Nat. Curioſ. et Berolinenſis, uti et Londinenſis Scientiar. Societatis ſocium; tandem Pariſienſem Anatomiae Profeſſorem Publ. MORAND, iuniorem dictum.

Gottingae Regia Scient. Societas Cl. XAVERIVM MANETTI, Caeſarei horti botanici Florentini Inſpectorem

ſtorem et Academiae, quae phyſices atque botanices incremento ſtudet Florentiae, Secretarium, iis nuper annumerauit, cum quibus ipſa literarum habet commercium.

Itidem, quae *Monte Peſſulano* floret, Reg. Scient. Academia, Virum Cl. PETRVM CHRISTIANVM WAGNER, Sereniſſ. March. Brandenburgo-Baruthini Conſiliar. Aul. et Archiatrum ac Ciuitatis Baruthinae Phyſicum primarium, Acadd. Imper. Nat. Cur. et Scient. Bononienſis, ut et Societ. Botan. Florentinae ſodalem, in eorum, cum quibus epiſtolarum colit commercium, ſociorum numerum menſe martio adſciuit.

Ad nos quoque pertinere arbitramur Virum Ill. GEORGIVM Comitem DE MACCLESFIELD, Reg. Scient. Societat. Londinenſis Praeſidem, quem in b. LE MOIVRE locum, celeberrimi illius mathematici, inter ſocios ſuos extraneos retulit Reg. Scient. Acad. *Pariſina*.

Eodem quoque illa affecit honore Ill. LEONH. EVLERVM, phyſicum illum et mathematicum, quo Berolinenſis gaudet Academia celeberrimum.

Bononiae quae floret Scient. Academia, *Inſtituti Bononienſis* nomine potiſſimum celebris, die decimo quarto maii inter alios quoque illum rerum naturalium indagatorem Pariſienſem Cl. BVFFON, elegit ſibi ſocium.

A *Londinenſi* tandem Reg. Scient. Societate locum in ſociorum catalogo obtinuit die decimo tertio menſis martii Vir Cl. CAROLVS FRIDER. HVNDERTMARK, Phil. et Med. Doct. huiusque in uniuerſitate noſtra Lipſienſi Prof. Publ. Extraord. Facultatis Medicae Aſſeſſor.

Gottingae

Gottingae menſe maio huius anni a Pot. Magnae Britanniae Rege Archiatri, quem diu merebatur, honore condecoratus fuit Vir Cl. IO. GOTHOFR. BRENDEL, Phil. et Med. Doct. et Chirurgiae Prof. Prof. Publ. Ordinar.

Ibidem et ab eodem Rege Cl. GEORG. MATTHIAE, Phil. et Med. Doct. bibliothecae Academicae Cuſtos, Profeſſor Medicinae Extraordinarius nominatus fuit.

Ad Hiſpanos quoque percrebuit fama de meritis, quae circa hiſtoriam naturalem in primis habet Vir Ill. CAROLVS LINNAEVS, paulo ante iam a nobis commemoratus, ita, ut Pot. eorum Rex inde commotus eum vocauerit *Madritum*, qui liberi Baronis titulo ac honoribus cohoneſtatus vitam ibidem degat, omnisque rei herbariae per totam Hiſpaniam ſupremam habeat curam, conceſſa ſimul ipſi poteſtate libero ſacrorum iure utendi. Nondum tamen adhuc conſtat, num inuitationem illam ſecuturus? an potius, id, quod alii credere malint, in ſtatione ſua remanſurus ſit Vir meritis iam veris illuſtris factus?

Sub initium menſis aprilis *Moſcouiae* diem ſuum obiit ſupremum LAVRENTIVS BLVMENTROST, Med. Doct. Conſiliar. Status et Petri primi, Magni nomen iure meriti, Ruſſorum Imperatoris, olim Archiater et Academiae ſcientiarum Petropolitanae Praeſes primum conſtitutus; eo autem, dum e vita exceſſit, tempore uniuerſitatis Moſcouiae erigendae, Curator et noſocomii Moſcouienſis Director.

Tubingae die menſis maii viceſimo e viuis ereptus fuit Vir, dum viueret, fama meritisque celeberrimus, IO. GEORGIVS GMELIN, Med. D. Botan. et Chemiae Prof. Publ. Ord. saepius a nobis

ſuo

ſuo tempore laudatus, de cuius vita atque ſcriptis proxime ad lectores noſtros relaturi ſumus.

Munus, quod eius morte vacuum factum fuerat, in fratrem, PILIPP. FRID. GMELIN, Med. D. eiusque in eadem illa academia *Tubingenſi* huc uſque Profeſſorem Extraordinarium *, delatum fuiſſe legimus.

Pariſiis nuperrime vitam cum morte commutauit IO. CLAVD. ADRIAN. HELVETIVS, Med. D. Pot. Regi Chriſtianiſſimo dicto a conſiliis ſanctioribus, Ser. Gall. Reginae Archiater, noſocomiorum militarium Praefectus, e Reg. Scient. Acad. Pariſ. Reg. Scient. Academ. Berolinenſis et Regii Nanceianorum medicorum Collegii ſocius, cuius alio tempore laudandi habuimus occaſionem **.

Archiatri loco eum habuiſſe ſucceſſorem legimus V. Cl. CLAVD. DE LA VIGNE DE FRECHEVILLE.

Ienae denique nuperrime die menſis iulii viceſimo ſecundo viuere deſiit vir inter phyſicos atque medicos multum famae conſecutus, GEORG. EHRHARD. HAMBERGER, Phil. et Med. D. Phyſices, Chemiae et Praxeos Prof. Publ. Ordinar. Sereniſſ. Ducum Saxoniae ſtirpis Erneſtinae Conſil. Aul. Caeſ. Acad. Nat. Cur. Socius, Medicus prouincialis Ienenſis, Facultatis Medicae Senior, cuius enarrandam vitam alii occaſioni reſeruamus.

* Vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 61.
** l. c. Vol. III. P. IV. p. 731 et Vol. IV. P. I. p. 99.

XIX.

Continuatio indicis Scriptorum, quae anno 1754. prodierunt.

GERAVDLY, *Abhandlung von Zahn-Krankheiten, nebſt der Kunſt die Zähne ſchön, weiß und geſund zu erhalten; Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. Strasburg*, 8.

Diſſertation ſur l'incompatibilité de l'attraction et de ſes differentes loix avec les phénoménes; et ſur les tuyaux capillaires. Par le P. GERDIL; à Paris, 12. mai.

IO. GESNERI Diſſ. de hydroſcopio conſtantis menſurae. Tiguri, 4.

NICOL. GEORG. GEVE, *monathliche Beluſtigungen im Reiche der Natur, der hartſchaalichten Thiere, Gebäuſe und Seegewächſe; Deutſch und Franzöſiſch; bis 18tes Blat; illuminiret. Hamburg*, 4.

CAROLI GIANELLAE Diſſ. de admirabili radicis Ipecacuanhae virtute in curandis febribus. Patauii, 4.

A new treatiſe on the diſeaſes of Horſes. By WILLIAM GIBSON. The ſecond edition. 2 Voll. London, 8. c. f

Abhandlung von Vertilgung der Zug-Heuſchrecken und den eigentlichen Hülfsmitteln, die ſich auf eine richtige und natürliche Erkenntniß dieſes Ungeziefers gründen. Auf Genehmhaltung und Approbation des Königlichen Collegii Sanitatis *zu Berlin herausgegeben von* IOHANN GOTTLIEB GLEDITSCH. *Berlin und Potsdam*, 8.

IO. GEORG. GMELIN, Diſſ. de innocuo atque egregio corticis Peruuiani in febribus intermittentibus uſu. Reſp. *Georg. Chriſtoph Heller*. Tubing. 4.

PHILIPP. GOBBI, Diſſ. hiſtoriam amplectens et curam epidemicae febris, quae finiente anno 1752. et

et incipiente 1753 Tergeſti incolas vexauit, cum deductis theſibus. Viennae Auſtriae, 4.

Formulae medicinales cum indice virium, quo ad inuentas indicationes inueniuntur medicamina. In uſum medicorum praxin inchoantium editae a IO. DE GORTER. Hardervici, 8. mai.

GRESSEL, *phyſical- und mediciniſche Abhandlung von der Hornvieh-Seuche. Augſpurg, 8.*

Muſaeum Ichthyologicum, ſiſtens piſcium indigenorum et quorundam exoticorum, qui in Muſaeo L. T. GRONOVII aſſeruantur, deſcriptiones ordine ſyſtematico. Accedunt non nullorum exoticorum piſcium icones aeri inciſae. Lugd. Batau. fol. c. f.

IOH. AVG. GROTIANS *güldne Kunſt Brandteweine zu brennen, welche die bisanhero ganz geheim gehaltenen Vortheile: 1) wie aller mögliche, in den Früchten ſteckende Wein herauszubringen? 2) zu verhüten, daß der Brandtwein keinen branderichen Geſchmack bekomme, nach Anweiſung einiger Tabellen und ſelbigen beygegebenen Erläuterungen, deutlich zeiget. Nordhauſen, 8.*

IO. FR. GVTERMANN, *erklärte Anatomie für Hebammen. Augſpurg, 8.*

Manuel des Médecins; ou Recueil d'aphoriſmes choiſis, tirés des ouvrages d'HIPPOCRATE et de CELSE; recueillis par M. GVYOT et traduits en françois par M. P. R.; avec une preface ſur l'utilité de cet ouvrage; laquelle contient un abrégé de la vie de ces deux grands médecins; les notes fort courtes et deux tables des matiéres; l'une latine et françoiſe, et l'autre françoiſe et latine, pour en faciliter l'intelligence et l'uſage; Ouvrage tres utile à tous les Chirurgiens; à Paris, 12.

IOH. SIEGM. HAHN, *Unterricht von Kraft und Würkung des friſchen Waſſers in die Leiber der Menſchen, beſonders der Frauen; Neue Auflage. Breslau, 8.*

Unter-

Unterricht vom Seidenbaue, oder I. B. DV HALDE *chineſiſche Nachrichten, wie mit dem Seiden-und Maulbeerbaum zu verfahren. Wolfenbüttel, 8.*

Iconum anatomicarum, quibus aliquae partes corporis humani delineatae traduntur, Faſciculus VII. Arteriae cerebri, medullae ſpinalis, oculi. Auctore ALBERTO DE HALLER. Gottingae, Fol. c. f.

GEORG. ERHARD HAMBERGER, Diſſ. inaug. de tremore. Reſp. *Laurent. Chriſtian. Clauſſen.* Ienae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de gangraena. Reſp. *Maur. Caſimir Wenneber.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de inflammationum therapia. Reſp. *Io. Theoph. Trogmayr.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. exhibens obſeruationes quasdam clinicas. Reſp. *Chriſtoph. Gottlieb. Schulze.* ib. 4.

Traité de la culture des terres contenant les expériences et réflexions ſur la culture des terres faites pendant l'année 1754. par Mr. DV HAMEL. Vol. III. à Paris, 12. c. f.

GVSTAV. CHRISTIAN HANDTWIG, Diſſertatio de dormientibus ſecunda, agens de iuſta ſomni ſalutaris quantitate et menſura. Reſp. *Io. Wilh. Frid. Lieb*, Roſtochi, 4.

Eiusd. Diſſ. de calculo in glandulis ſublingualibus reperto; Reſp. *Io. Frid. Caſim. Roſenberger*, ib. 4.

Mediciniſche Gedanken von Säugung eines neugebohrnen Kindes, worinne erwieſen wird, daſs es beſſer ſey, ein Kind durch eine Säugamme, als durch die eigene Mutter, zu ſtillen; von IO. ANDR. HARNISCH; *andere vermehrte Auflage. Leipzig*, 8.

Ausführlicher Unterricht von der Zucht und Wartung der beſten Art von Schaafen; zum gemeinen Nutzen ertheilet von FR. W. HASTFER; *aus dem Schwediſchen überſetzt. Göttingen*, 8.

Expe-

Experiences phyſico-méchaniques ſur differens ſujets et principalement ſur la lumiére et l'électricité, produites par le frottement des corps: Traduites de l'anglois de Mr. HAVKSBEE, par feu Mr. DE BREMOND. Revûes et miſes au jour avec un diſcours préliminaire, des remarques et des notes, par M. DESMARETS, avec des figures en taille douce. 2 Voll. à Paris, 12.

IO. ERNEST. HEBENSTREIT, Pr. Παλαιολογιας therapiae ſpecimen XXXV. chirurgiam efficaciorem eorum, quae auferenda vel reponenda ſunt, ſiſtens. Lipſiae, 4.

Eiusd. Progr. Ordo morborum cauſalis. Specimen primum de methodo morbos ordinante. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. Ordo morborum cauſalis. Specimen alterum de genere morborum ad artis uſum conſtituendo. ib. 4.

ABRAHAM HEEMSKERK, Diſſ. de animi pathematum efficacia in corpus humanum. Lugd. Batau. 4. mai.

GER. NICOL. HEERKENS, Quaeſt. med. An ſepultura in urbe et templis prohibenda? Paris, 4. mai. (*Reperire eam quoque licet in Quaeſtionibus medicis Pariſinis anno 1751. Groningae editis*).

LAVR. HEISTERI Deſcriptio noui generis plantae rariſſimae et ſpecioſiſſimae Africanae ex bulboſarum claſſe, cui in honorem ac ſempiternam memoriam Ser. Princ. ac. Dom. CAROLI Brunſv. ac Luneb. Ducis hodie regnantis, tanquam rei herbariae ſummi promotoris et fautoris munificentiſſimi, *Brunſvigiae* illuſtre nomen impoſuit; in qua ſimul multae botanicorum quorundam hallucinationes indicantur et emendantur, cum tribus magnis tabulis aeneis huius plantae coloribus naturalibus repraeſentatae. Brunſvigae, fol.

Eiusd. Diſſ. inaug. de hernia carnoſa vulgo ſarcocele dicta. Reſp. *Chriſtian Dan. Heiſe*. Helmſtad. 4. c. f.

IOH. FR. HENKELS Pyritologia, *oder Kieshiſtorie, als des vornehmſten Minerals, nach deſſen Nahmen, Arten, Lagerſtätten, Urſprung, Eiſen, Kupfer, unmetalliſcher Erde, Schwefel, Arſenic, Silber, Gold, einfachen Theilgen, Vitriol und Schmelznutzung, aus Sammlung, Grubenbefahrung, Briefwechſel und chymiſcher Unterſuchung, mit phyſicaliſch-chymiſchen Entdeckungen und Kupfern. Neue verbeſſerte Auflage. Leipzig, 8.*

GEROGE HEVERMANNS *Abhandlung der vornehmſten chirurgiſchen Operationen an menſchlichen Körpern mit Abzeichnung der hierzu erforderlichen nöthigen und neuen Inſtrumenten. Erſter Band. Koppenhagen und Leipzig, 8. m. K.*

Commentaria in HERMANNI BOERHAAVE Inſtitutiones medicas, ſtudio et opera IOH. GVIL. HEYMAN. Pars ſeptima. Lugd. Bat. 8. (*Nouos ad omnes priores partes referendos titulos typis ſimul excudendos curauit Cl. Auctor, quibus ſuum addidit nomen et annum 1754. cum indice contentorum*).

W. S. C. HIRSCHING, *Verſuch phyſicaliſch-chymiſcher Lehrbegriffe zu möglicher Prüfung des Weſens, des Beſtändniſſes und der Würkungsart des ſo berüchtigten Metall verwandelnden Meiſterſtücks und deſſen vorgeblichen Nutzanwendungen zu einem allgemeinen Geneſsmittel in Abſicht einiger Vergnügung einer Natur und Grundforſchenden Wiſsbegierde entworffen. Leipzig, 8.*

Hiſtoriſche und phyſicaliſche Nachricht von einem Stahl- oder martialiſchen Trinck- und Badebrunnen des Fürſtenthums Meinungen bey der Stadt Salzungen, der Grundhöfer Sauerbrunnen genannt, beſchrieben von IOH. CARL. HOFMANN. *Eiſenach, 8.*

Obſervations phyſiques et chymiques, dans leſquelles on trouve beaucoup d'expériences curieuſes, et de remédes très efficaces, et qui ſervent à établir

blir une chymie ſolide et raiſonnée: traduites du latin de M. FRED. HOFFMANN; 2 Voll. à Paris, 12.

Conſultations de médecine par M. FRED. HOFFMANN, traduites du latin. 4 Voll. à Paris, 12.

A treatiſe of the extraordinary virtues and effects of aſſes milk in the cure of various diſorders, particularly the gout; ſcurvy and nervous diſeaſes; and of its peculiar nouriſhing, and reſtorative qualities in all conſumptive diſorders and even the decays of old age. Illuſtrated with ſeveral remarkable caſes. Tranſlated from the latin of the celebrated FREDERICK HOFFMAN. London, 8.

IO. V. HORN, *die zwo von Gott wohlbelohnten Webemütter, welche unterwieſen werden, wie einer mit Leibesfrucht geſeegneten Frauen in der Geburth recht beyzuſtehen ſey. Vierte ganz neue vermehrte Auflage. Stockholm*, 8.

PETRI HORREBOWII initiamenta philoſophiae naturalis, edita in gratiam iuuentutis ſcholaſticae. Hauniae et Lipſiae, 12.

CAROL. FRIDERIC. HVNDERTMARK, Diſſ. de mercurii viui et cum ſalibus varie mixti ſumma in corpus humanum vi atque efficacitate eiusque cum ſulphure laxius vel arctius coniuncti virtute in idem nulla. Reſp. *Frid. Conrad. Bergmann*. Lipſiae, 4. mai. (*Eadem Diſſertatio ſub titulo:* Liber ſingularis *prodiit*).

CHRIST. FRID. IAMPERT, Diſſ. inaug. de cauſis incrementum corporis animalis limitantibus. Halae Magd. 4.

Della perfetta conſervazione del Grano; diſcorſo di BARTOLOMMEO INTIERI. Neapoli, fol. c. f.

IOH. GOTTFRIED IVGELS *gründliche Nachricht von dem wahren metalliſchen Saamen oder* prima materia metallorum, *wie aus derſelbe das ganze mineraliſche Reich ſeinen Urſprung hat, nach eige-*

ner Erfahrung geprüft, durch ordentliche Würkungen der Natur beſtätiget, und auf eine vorher unbekannte Art der Welt mitgetheilet. Zittau, 8.

IO. IVNCKER, Progr. quo matronae, *Dorotheae Chriſtianae Erxlebiae*, natae *Leporinae*, diſſertationem inauguralem comitatur. Halae Magd. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de chronicis deliriis legitime curandis. Reſp. *Io. Chriſt. Hechtlin.* ib. 4.

Eiusd Diſſ. inaug. de ſpaſmis eorumque quadruplici reſpectu. Reſp. *Frid. Conr. Meyenberg.* ib. 4.

IOH. HEINRICH GOTTLOB VON IVSTI, *neue Wahrheiten zum Vortheil der Naturkunde und des geſellſchaftlichen Lebens der Menſchen. Erſter Band. Leipzig, 8.*

Eiusd. *Entwurf eines vernünftigen Zuſammenhangs und practiſchen Vortrags aller Oeconomie-und Cameral-Wiſſenſchaften; Leipzig, 4.*

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, Diſſ. inaug. de adfectibus ſpaſmodicis vagis. Reſp. *Sam. Chriſt. Ebart.* Ienae, 4.

Eiusd. Progr. de vulnere capitis a chirurgo intempeſtiue conſolidato, fiſſura cranii neglecta, et trepanatione feliciter inſtituta, detecta. ib. 4.

Eiud. Progr de vulnere vaſorum intercoſtalium non lethali. ib. 4.

CHRISTIAN. GOTTHILF. KIESLING, Diſſ. inaug. uterum poſt partum inflammatum ſiſtens. Lipſiae, 4.

The analyſis of inoculation comprizing the hiſtory, theorie and practice of it; with an occaſional conſideration of the moſt remarkable appearances in the ſmall-pox; by I. KIRKPATRICK. London, 8. mai.

IAC. KISLER, Diſſ. de verbasco. Argentorati, 4.

LVDOV. GODOFR. KLEINII de aere, aquis et locis agri Erbacenſis atque Bunbergenſis largi Odenwaldi

di tractus tentamen phyſico-medicum. Francof. ad Moen. 8.

Doutes ou obſervations de M. KLEIN, ſur la revue des animaux faite par le premier Homme, ſur quelques animaux des claſſes des Quadrupédes et Amphibies du ſyſtême de la Nature de M. LINNAEVS; et des remarques ſur les cruſtacés, ſur les animaux qui ruminent, et ſur la vie de l'homme comparée avec celle des animaux. Avec figures. Ouvrage traduit du Latin. à Paris, 8. mai.

Ordre naturel des ourſins de mer et foſſiles, avec des obſervations ſur les piquans des ourſins de mer et quelques remarques ſur les bélemnites. Par M. THEODOR KLEIN; augmentées de ſix planches d'ourſins qui ſont dans le cabinet de M. DE REAVMVR. Ouvrage traduit du latin avec le texte de l'auteur; à Paris, 8. mai. c. f.

An attempt to demonſtrate, that all the phaenomena in nature may be explained by two ſimple active principles, attraction and repulſion; wherein the attractions of coheſion, gravity and magnatiſm are ſhewn to be one and the ſame; and the phaenomena of the lather are more particulary explained. By GOWEN KNIGHT. London, 4.

IOH. HIERONIM. KNIPHOF, Diſſ. inaug. de compreſſione. Reſp. *Io. Adam Umlauf.* Erford. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de pilorum uſu. Reſp. *Ioh. Gottfried. Kniphof.* ib. 4.

IOH. CHR. GERH. KNOLL, *Forſetzung der Gedanken über einige Materien der Arzneywiſſenſchaft. Quedlinburg*, 8.

Regnum florae; *das Reich der Blumen, mit allen ſeinen Schönheiten nach der Natur und ihren Farben vorgeſtellt; bis 200tes Blatt; in Kupfer geſtochen und illuminiret von* GEORG WOLFG. KNORR. *Nürnberg, fol.*

Lapides ex celeberrimorum virorum ſententia diluuii uniuerſalis teſtes etc. *Sammlung von Merkwürdigkeiten der Natur und der Alterthümer des Erdbodens zum Beweis einer allgemeinen Sündfluth, aus dem Reiche der Steine bewieſen; in Kupfer geſtochen und mit Farben ausgedruckt von ebendemſelben, bis 40. Blatt.* ibid. fol.

Deliciae naturae ſelectae; *oder auserleſenes Naturalien-Cabinet, welches aus den drey Reichen der Natur zeiget, was behalten und geſammlet zu werden verdienet; bis 11tes Blatt; in Kupfer geſtochen und illuminiret, von eben demſelben.* ib. *fol.*

Praelectiones academicae publicae in phyſicae partes opticas et his cognatas, commoda auditoribus methodo conſcriptae a GEORG. WOLFG. KRAFFT. Pars III. 8. c. f.

LVDW. PHIL. KRAVSENS *kluger und ſorgfältiger Gärtner, oder nützliches Handbuch für die Liebhaber eines wohleingerichteten Luſt- Küchen- und Baumgartens, nebſt einem Anhange von Bienen. Dritte vermehrte Auflage. Langenſalza, 8. m. K.*

PETER KRETSCHMERS *oeconomiſche Practica, oder deutliche Anweiſung, wie der Ackerbau ohne Vermehrung der Unkoſten, wenigſtens um ein Drittel beſſer, als bishero geſchehen, zu nutzen ſey, und zugleich Holzungen angelegt werden können. Verbeſſerte Auflage. Leipz. 8.*

IO. GOTTLOB KRÜGER, *Träume. Halle, 8.*

Eiusd. Diſſ. de ſomno, morborum matre et filio. Reſp. *Georg. Chriſtoph Scheibner.* Helmſtadii, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de lege naturae: quod in corpore animali ſpasmum excipiat atonia ſpasmo proportionata. Reſp. *I. D. Moſcheroſch.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de nitri virtute temperante. Reſp. *Io. Anton Dettmer.* ib. 4.

IO. GOTTLOB KRÜGER, Diſſ. inaug. qua exhibentur experimenta non nulla cum aqua oſtracodermatum inſtituta. Reſp. *Chriſtoph. Henr. Beſte.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de differentia elateris, toni, contractionis vitalis, voluntariae, ſenſibilitatis et irritabilitatis. Reſp. *Michal. Brandt.* ib. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de opiſthotono, emproſthotono et tetano. Reſp. *Chriſt. Lud. Gelpke.* ibid. 4.

CHRISTOPH KVHLEMANNI Obſeruationes quaedam circa negotium generationis in ouibus factae. Editio ſecunda. Lipſiae, 4. c. figg.

TIBERII LAMBERGEN, Oratio inauguralis exhibens encomia botanices eiusque in re medica utilitatem ſingularem. Groningae, 4. mai.

Eiusd. Lectio inauguralis ſiſtens ephemeridem perſanati carcinomatis. ib. 4 mai.

IO. CHRISTIAN LANGE, Diſſ. inaug. de acidorum natura et virtutibus, nec non de acido aereo inſonte. Hauniae, 4.

GEORG. AVGVST. LANGGVTH, Diſſ. inaug. de oculorum integritate improuidae puerorum aetati ſolicite cuſtodienda. Reſp. *Gottlob. Andreas Paſche.* Wittenbergae, 4.

Eiusd. Progr. de paradoxo Hippocratico ad Libr. de Arte. V. 20. ibid. 4.

DAN. LANGHANS, *Entdeckung eines Mittels wieder die Auszehrung der Leiber und der Geſchwüre der Lungen. Zürich, 8.*

IAC. FRANC. LATIER, Quaeſt. med. An in partu difficili ſola manus inſtrumentum? Reſp. *Amabilis Chomel.* Paris, 4. mai.

Traitemens des maladies internes et externes; traduits du Latin de M. LAZERME; avec les formules en latin et en françois; augmentés d'un traité des maladies veneriennes par M. DIDIER DES MARETS. 2 Voll. à Paris, 12.

Nouveaux elémens d' odontologie, contenant l' Anatomie de la bouche ou la deſcription de toutes les parties qui la compoſent, et de leur uſage et la pratique abrégée du Dentiſte avec pluſieurs obſervations. Par M. LECLVSE, à Paris, 12. mai.

GVIL. BLAAVW VAN LEENDT Diſſ. inaug. de variolis. Lugd. Bat. 4. mai.

IOH. CHR. LEHMANNS *allgemeine oeconomiſche Holz-Spahr-Kunſt, oder deutliche Anweiſung zur Erbauung vortheilhafter Stuben- und Haushaltungs-Oefen, darinnen bey 70 Arten verbeſſerter Oefen beſchrieben, auch wie ſolche mit wenig Koſten erbauet, und dabey jährlich mehr als die Helfte Holz erſparet werden könne, gezeiget worden. Zu aller Holz-Menage bey Waſchen, Brauen, Mälzen, Gerben, Färben, Salz und Alaune, auch Vitriolſieden, Kochheerden, Brandtwein-Brennen, Töpfer- und Kalkoefen; alles aus der Erfahrung und bereits erwieſenen Proben, in 2 Theilen, nebſt 10 Kupfer-Platten herausgegeben und anitzo mit einem Anhange vermehret. Neue Auflage. Leipzig,* 4.

NICOL. LEMERI, Curſus chymicus, *oder vollkommener Chymiſt, welcher die in der Medicin vorkommende chymiſche* Praeparata *und* Proceſſe *auf die vernünftigſte, leichteſte und ſicherſte Art zu verfertigen lehret. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt, und bey dieſer fünften Auflage aufs neue durchgeſehen, corrigiret und mit Zuſätzen vermehret von* IOH. CHR. ZIMMERMANN. *Dreſden,* 8. *m. K.*

FRIEDR. CHRISTIAN LESSERS *kleine Schriften, theils zur Geſchichte der Natur, theils zur Phyſicotheologie gehörig. Leipzig und Nordhauſen,* 8.

Geſchichtliche Nachricht von natürlichen Merkwürdigkeiten der Fürſtl. Schwarzburgl. Rudolſtädtiſchen Unterherrſchaft Frankenhauſen; ausgefertiget von FRIEDRICH CHRISTIAN LESSER, ibid. 8.

IOH. CHRISTIAN LEVSCHNER, ad CVNRADI Sileſiam togatam ſpicilegia XII. Hirſchbergae, 4.

Traité des eaux minerales de Spa par IEAN PHILIPPE DE LIMBOVRG. à Leide, 12.

CAROLI LINNAEI Diſſ. de flora Anglica. Reſp. *Grufberg.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. ſtationes plantarum. ib. 4.

Eiusd. Conſectaria electrico-medica. Vpſal.

Obſeruationes anatomico-chirurgico-medicae nouae et rariores, accurate deſcriptae, iconibus illuſtratae a IO. LVD. LEBRECHT LOESEKE. Berolini, 4. c. f.

Di TITO LVCREZIO CARO della natura delle coſe, libri ſei; tradoti dal Latino in Italiano da ALESSANDRO MARCHETTI, dati nuovamente in luce da FRANCESCO GERBAVLT. 2 Voll. In Amſterdamo, 8. mai.

LVCRETII CARI de rerum natura libri ſex cum notis THOMAE CREECH. Edit. tertia. Londini, 8. mai.

CAROL GÜNTHER LVDOVICI, *Eröfnete Academie der Kaufleute, oder vollſtändiges Kaufmanns-Lexicon. 3ter Theil. Leipzig,* 8. mai.

CHRISTIAN GOTTLIEB LVDWIG, Inſtitutiones pathologiae praelectionibus academicis accommodatae. Lipſiae, 8.

Eiusd. Inſtitutiones therapiae generalis praelectionibus academicis accommodatae. ibid. 8.

Eiusd. Diſſ. inaug. de diarrhoea in febribus acutis. Reſp. *Philipp. Ludov. Haenlein.* ib. 4.

Eiusd. Pr. de uſu roborantium medicamentorum in cacochymia. ib. 4.

GERARD. MAAS, Diſſ. inaug. de angina inflammatoria. Lugd. Bat. 4. mai.

La taille laterale s'execute-t-elle plus ſurément et plus facilement avec l'inſtrument connu ſous le nom de litothome caché? Queſtion medico-chi-

rurgicale, diſcuté dans les écoles de la Faculté de Medecine de Paris le 24 April 1754. ſous la preſidençe de M. CLAVDE THOMAS GVILLAVME GILBERT DE PREVAL et propoſée par HENRY IACQVES MARQVART. Quaeſtio medico-chirurgica, an ſcalpello vagina recondito Cyſtitome lateralis perfectior? à Paris. 8. (*Latine et gallice*).

Elémens de chymie théorique par M. MARQVER; Nouvelle edition. à Paris, 12.

Traité phyſique et hiſtorique, de l'aurore boreale par M. DE MAIRAN. Seconde Edition, revûe et augmentée de pluſieurs eclairciſſemens. à Paris, 4. c. f.

MAXIM. IAC. DE MAN, Diſſ. inaug. de natura humana, quatenus ſanitatis praeſentis eſt cuſtos, abſentis vindex. Lugd. Bat. 4. mai.

HVBERT. MARCHAND, Diſſ. inaug. de cardialgia flatulenta. Argentorati, 4.

IOH. DANIEL MEYER, *Vorſtellung allerhand kriechender, fliegender und ſchwimmender Thiere; ſowohl nach ihrer äuſſerlichen Beſchaffenheit, als auch nach der Structur ihrer Scelette; dritter Theil. bis 50tes Blat. Nürnberg*, fol. mai.

La Medecine d'armée contenant des moyens aiſés de préſerver de maladies, ſur terre et ſur mer, dans toutes ſortes de pays et d'en guerir ſans beaucoup de remédes ni de dépenſes, les gens de guerre et autres de quelque condition qu'ils ſoient. Par M. DE MEYSEREY. Voll. III. à Paris, 12.

IOHANN DANIEL MITTELHAEVSERS *practiſche Abhandlung vom Accouchiren. Leipzig*, 8.

PETR. ABRAH. PAION DE MONCETS, Quaeſt. med. An moxae uſtulatio arthritidi? Reſp. *Io. Baptiſt. Hatté.* Paris, 4. mai.

ALEXAN-

ALEXANDRI MONRO, Neruorum anatome contracta. Latine reddita a IO. KOOPMANS; cui ſubiectae ſunt eiusdem explicatio motus reciproci cordis, et ductus thoracici deſcriptio. Franequerae, 8.

Recueil pour ſervir d'éclairciſſément détaillé ſur la maladie de la fille d'un tireur des pierres du village de S. Geosmes, près de Langers; laquelle depuis pluſieurs années jettoit des pierres, tantôt par la bouche, tantôt par la voie des urines, et à qui on en a tiré de la veſſie à douze repriſes differentes. Par M. MORAND. à Paris, 12.

EDMVND. THOM. MOREAV, Quaeſt. med. An ſclopetorum vulnera venenata? Reſp. *Io. Lud. Maria Solier.* Paris, 4. mai.

IACOB GOVRLES DE LA MOTTE, Quaeſt. med. An ſuus in ictero venaeſectioni locus? Reſp. *Amabilis Chomel.* Paris, 4. mai.

Eiusd. Quaeſt. med. An a frequenti venae ſectione hydrops? Reſp. *Io. Ludov. Maria Solier.* ibid. 4. mai.

GERHARD ANDR. MÜLLER, *Einleitung zu dem Entwurf einer neuen Methode. Frankfurth am Mayn*, 8.

MARTIN MÜLLER, *Gründlicher Bericht, wie aus des Erdbodens Beſchaffenheit, vorlängſtens ohnweit Ulm, daß unfehlbar Torf oder Turf ſeyn müſſen, beurtheilet, ſolches auch viele Jahre über zu des gemeinen Weſens Nutzen gebrauchet, von einigen Jahren her bey einem mehr einreiſſenden Holz-Mangel, neuerdingen hervorgeſucht, anbeneben alles was dabey zu beobachten, und wie ein ſolches mit ſeinem gehörigen Werkzeuge anzugreiffen ſey; aufrichtigſt entdecket worden. Ulm.*

SEBASTIAN MÜNCK, Diſſ. inaug. de febre quotidiana intermittente. Argentorati, 4.

GODOFR. SIGISM. MVNSTER, Diſſ. inaug. de macie et atrophia infantum. Kilonii, 4.

PETRI

PETRI VAN MVSCHENBROEK, Diſſert. phyſ. experimentalis de magnete, Lugduni Batau. 1729 edita, nunc vero auditoribus oblata. Viennae Auſtriae, 4.

FRIEDR. HERRM. LVDWIG MVZEL, *medicinische und chirurgiſche Wahrnehmungen. Erſte Sammlung. Berlin*, 8.

An account of new Zoophyte or animal plant from Groenland in a letter to Dr. ALBERT HALLER, Praeſident of the Royal Society of ſciences at Gottingen; written in high German by CHRISTLOB MYLIVS; now translated into Engliſh. London, 8. c. f.

A deſcription of the Veneral Gonorrhoea, accounting for the ſymptoms and cure of that diſorder in a new, eaſy and rational manner. With remarks on the preſent practice. Shewing the ill conſequence of purging, mercurial preparations, iniections, aſtringents. etc. By IAMES NEVILL. London, 8.

Vermiſchte Anmerkungen über einige auserleſene Materien zur Beförderung nützlicher Wiſſenſchaften; entworfen von CARL LVDWIG NEVENHAHN. *Leipzig*, 8. (*Continent phyſica, medica, oeconomica*).

CASP. NEVMANNS Chymia med. dogmat. experimentalis, *oder der gründlichen und mit Experimenten erwieſenen Chymie, vierten Bandes erſter Theil. Züllichau*, 4.

FRANZ ANT. NICOLAI, *Abhandlung von den Fehlern des Geſichts. Berlin*, 8.

ERNEST. ANTON. NICOLAI, Diſſ. ſiſtens hydropis pathologiam. Reſp. *Erneſt. Henr. Davidis.* Halae Magd. 4.

I. A. NOLLET, *Rede von der nöthigen Geſchicklichkeit zur Erforſchung der Natur; aus dem Franzöſiſchen überſetzt*, 8.

I. A. NOLLET, *Sendſchreiben von der Electricität, worinnen die neueſten Entdeckungen, und die daraus herzuleitenden Folgerungen auf das genaueſte gezeigt worden; aus dem Franzöſiſchen überſetzt.* ibid. 8. *m. K.*

IO. PHIL. NONNE, Diſſ. inaug. de febribus intermittentibus. Erford. 4.

Chymiſche Univerſal- und Particular-Proceſſe, welche Hr. Baron VON NVESSENSTEIN *auf ſeinen Reiſen mit ſechs Adepten erlernet. Wien,* 8.

IOH. AVG. OEHME, *mediciniſche Fama: Vier Theile. Achte Auflage. Dreſden,* 8.

Philoſophiſche, moraliſche und mediciniſche Betrachtungen über mancherley zur Hoffart und Schönheit hervor geſuchte ſchädliche Zwangmittel junger Leute beyderley Geſchlechts, nebſt dem ſchädlichen Gebrauche der Schnürbrüſte und Planchette, oder ſogenannte Planckſcheide der Frauenzimmer, bey ruhigen Abendſtunden wohlmeinend entworffen von GOTTLOB OELSNER. *Breslau,* 8.

A Letter to the Rev. Dr. YOVNG, concerning the cure of encyſted and other kinds of tumours without the knife. With ſeveral remarkable caſes, to ſhew, in what circumſtances this practice is found uſeful. By W. OGLE. London, 8.

Graecorum chirurgici libri: SORANI unus de fracturarum ſignis; ORIBASII duo, de fractis et de luxatis; e collectione NICETAE ab antiquiſſimo et optimo codice Florentino deſcripti, conuerſi atque editi ab ANTONIO COCCHIO. Florentiae, fol.

WILHELM. OVWENS Diſſ. de epiphyſibus. Reſp. *Murck van Phelſum.* Franequerae, 4.

Obſervations on the earths, rocks, ſtones, and minerals for ſome miles about Briſtol, and on the nature of the Hotwell and the virtues of its water; by Mr. OWEN. London, 8.

An

An explanation of that part of Dr. BOERHAAVE'S aphoriſms, which treats of the Phthiſis Pulmonalis, or the conſumption; deſcribing the riſe, progreſs, and method of cure, peculiar to this diſorder. By CHRISTOPHER PACKE. London, 8.

AVGVST. FRIDER. PALLAS Diſſ. inaug. de variis calculos ſecandi methodis. Lugd. Batau. 4. mai.

IO. CARL. CHRISTIAN. PAPE, Diſſ. inaug. de rationali aetiologia rheumatiſmi et arthritidis. Hauniae.

GOTTLIEB PAVL PAVLSEN, Specimen inaugurale obſeruationem de carie oſſis humeri ſiſtens. Regiomonti, 4.

A phyſical Eſſay on the Animal Oeconomy; wherein the circulation of the blood, and its cauſes, are particularly conſidered; alſo what aſſiſtance the heart and lungs give thereto: and this both from anatomy and experiments. To which are added ſome occaſional reflections on inflammatory diſorders, and ſome others, which attend a diſordered circulation. By FRANCIS PENROSE. London, 8.

IO. IACOB. PERTHES, Diſſ. inaug. de doloribus parturientium. Erfordiae, 4.

IO. PFEFFINGER Diſſ. inaug. de vi muſculari. Argentorat. 4.

PFEIFFERS *Abhandlung von der Gewiſsheit rechtſchaffener Aerzte in ihren Kuren. Lauenburg.*

ARCHANGELI PICCOLOMINI, Anatome integra reuiſa, tabulis explanata et iconibus mirificam humani corporis fabricam ad ipſum naturae archetypum exprimentibus; cum praefatione ac emendatione IOANNIS FANTONI. Veronae, fol. c. f.

ANTON. GVILIELM. PLAZII de iucundis morborum cauſis Diſſertationes ſeptem ſeorſim antehac in Academia Lipſienſi editae, coniunctim nunc recuſae: (1. *de tabaco ſternutatorio;* 2. *de potus*

Coſe

Coſe abuſu noxio; 3. de morbis ex munditie intempeſtiua; 4. de munditiei affectatae incommodis; 5. de morbis ex oblectamentis; 6. 7. de oblectamentorum incommodis. Lipſiae, 4.

ANTON. GVILIELM. PLAZII *Abhandlung von einigen Hinderniſſen der allgemeinen Geſundheit; um des allgemeinen Nutzens willen ins Deutſche überſetzt. Leipzig*, 4.

Eiusd. Progr. de plantarum plethora. Lipſiae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de partu debili reſiciundo. Reſp. *Chriſtian. Frid. Stempel.* ib. 4.

CAROL. GVILIELM. POERNER Diſſ. inaug. ſiſtens experimenta de albuminis ouorum et ſeri ſanguinis conuenientia. Lipſ. 4.

IOAN. DE POLETYKA Diſſ. inaug. de morbis haereditariis. Lugdun. Bat. 4. mai.

Het Roonhuiſiaanſch Geheim in de Vroedkunde ontdekt, tegen de wederſtrevers verdedigt etc. waar agten is gevoegd een voorreden van HVIG CHAMBERLEN en enige vroedkundige Aanmerkingen van WILLOVGBII; door Jac. de Viſcher en HVGO VAN DE POLL. te Leiden. 8. c. f. (*Editio altera auctior*).

ERICH PONTOPPIDANS *Verſuch einer natürlichen Hiſtorie von Norwegen. Zweyter Theil. Aus dem Däniſchen überſetzt von* IOH. ADOLPH SCHEIBEN. *Koppenhagen.* 8. mai. *m. K.*

IOH. HEINRICH POTT, *zweyte Fortſetzung der chymiſchen Unterſuchungen, welche von der* Lithogeognoſie, *oder Erkenntniſs und Bearbeitung der Steine und Erden in Anwendung derſelben zur Bereitung feuerfeſter Gefäſse und Tiegel ſpecieller handeln; nebſt Tabellen über alle drey Theile, Berlin*, 4. *m. K.*

Reliqua proxime.

Conten-

Contenta in hac Parte.

1. Philoſophical Transactions Vol. XLVIII. Part. I. p. 385.
2. SCHVLZII Praelectiones in Diſpenſatorium regium et electorale boruſſo-brandenburgicum. Editio altera p. 404.
3. RAVLIN Obſeruations de medecine p. 410.
4. DVNZE Diſſ. complectens experimenta varia calorem animalem ſpectantia p. 425.
5. A BRVNN Diſſ. ſiſtens experimenta quaedam circa ligaturas neruorum in viuis animalibus inſtituta p. 432.
6. LIGER Traité de la Goutte p. 439.
7. ALBINI Academicarum annotationum Liber primus p. 453.
8. EIVSDEM Tabulae oſſium humanorum p. 459.
9. KLEINII Tentamen Herpetologiae p. 462.
10. *Hamburgiſches Magazin* XIII *und* XIV *Band* p. 468.
11. BROVZET Eſſai ſur l'éducation medicinale des enfans et ſur leurs maladies p. 486.
12. Recueil des pièces qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de Chirurgie T. I. p. 494.
13. ZINN Obſervationes botanicae et anatomicae p. 521.
14. SCHMIEDEL Diſſ. qua quaedam de neruo intercoſtali notantur p. 527.
15. LOESEKE Obſeruationes anatomico-chirurgico-medicae p. 531.
16. COCCHII Graecorum chirurgici libri etc. p. 535.
17. CARTHEVSER Elementa mineralogiae p. 545.
18. Noua phyſico-medica p. 547.
19. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum quae anno 1753 prodierunt p. 554.

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS IV. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder et P. Mortier iun. Pariſiis apud Briaſſon, Patavii apud I. Manfrè, Venetiis in B. Albrizzi et S. Coleti officinis, Romae apud Venant. Monaldini.

I.

Hiſtoire de l'academie royale des Sciences. Année MDCCL. Avec les memoires de mathematique et de phyſique, pour la même année, tirés des regiſtres de cette academie. A Paris de l'imprimerie royale. 1754. 4. mai. Hiſt. 1 alph. 3 pl. Mem. 2 alph. 6 pl. tab. aen. 13.

Hoc eſt:

Hiſtoria academiae regiae ſcientiarum anni 1750. cum commentariis mathematicis et phyſicis, ad eundem annum pertinentibus. &c.

Quum pro illa, qua hucusque uſa eſt academia norma, in hiſtoria cuncta fere conciſe contineantur, quae in commentariis uberius demonſtrantur: nos de iis tantum dicemus obſeruationibus, quarum hic mentio fit:

Ad phyſicas itaque obſeruationes pertinent ſequentia: p. 34.

1) In Sirkes, Lotharingiae oppido, anguſtis circumſcriptus limitibus fluuius, aquis nunquam abundans, uno quaſi impetu ita aquarum copia inundauit loca vicina, ut non ſuis ſolum egrederetur oris, ſed vicini etiam oppidi aedificia permulta deſtrueret euerteretque. Cauſa huius phaenomeni alia inueniri non

potuit, niſi, teſtante id Cl. TRESSAN, demiſſa ex nubibus obſcuris, quae in proxime adiacentibus montibus verſari viſae ſunt, procella, cuius aquae in fluuium praecipitatae fuerint.

2) Lignum foſſile, ex comitatu Naſſouienſi erutum, ſocietati tradidit Cl. REAVMVRIVS, quod bituminis ea demum copia fuerat imbutum, quae ad carbonem efficiendum requiritur. In venis illud pene horizontalibus diſpoſitum deprehenditur, quarum varia ſtrata ſunt, quibus coeruleſcens intercedit argilla. Lignum interim illud et exſiccatum et humectatum flammam aeque feliciter alit, et ſero conſumitur, pro diuerſo autem magis vel minus profundo ſitu fuſco aut nigro imbuitur colore. In veros poſt ignitionem conuertitur carbones. Sed, quum nec ſyluae nec fluuii in vicinia occurrant, peruetuſtae putatur originis eſſe.

3) Recenſentur effectus ſuccuſſionis terrae, quibus varia euerſa ſunt aedificia, praecipue rupes, ex terra vix eminens, in altum extollebatur, ut eius ex terra caput emineret.

4) Eodem modo Cl. OVTHIER, Abb. refert de obſcuro aliquo ſonitu, leuem terrae ſuccuſſionem denotante, nullam tamen quae noxam produxit.

5) Communem phyſicorum opinionem, metalla, quae ignita fuerunt, pondere augeri, deſtruxit facto, huius phaenomeni explorandi cauſa, experimento Cl. DV HAMEL. Inuenit enim ferream laminam, ad rubedinem igne calefactam, ponderis ſui quatuor perdidiſſe uncias, quas nec refrigerata quidem recuperauit. Ex quo concluditur, igne ponderi nil accedere, ſed demi potius.

6) A Cl. GVETTARDO ſocietati traditus lapis, qui aquae innatat, Cl. ROVELLE teſtante non pumex erat, ſed illis ſimilis, qui erumpentibus ex ignivomis montibus flammis eiiciuntur.

7) Cl.

7) Cl. MAIRAN in nebuloſo paulum aere, ſolem, omnibus fere radiis deſtitutum, viderat, quales obſeruationes alio iam tempore academiae propoſuerat, ipſe autem eo tempore maculas etiam in ſole detexit.

8) Ill. DE GEER, anno huius ſeculi quadrageſimo nono in Suecia, niuem hinc inde inſectis viuis ſcatentem ſe inueniſſe Cl. REAVMVR certiorem fecit. Credebatur tunc, hoſce vermiculos ex terra proueniſſe, quae ſimul opinio ex eo, quod remoto niuis ſuperiore ſtrato, inferiora pariter inſecta continebant, confirmabatur, quamuis glaciei ad aliquot pedes penetrantis, denſitas refragaretur. Sequenti anno nix, lacum obtegens, denuo idem offerebat phaenomenon, cuius explicationem caſus fortuitus ſuggerebat. Niuis ſcilicet caſum praeceſſerat vehemens venti impetus, qui euellendo pinus abietesque, ſimul cum earum radicibus, in auras diſperſerat inſecta, quae in terra, ab illis occupata, degebant, quorum hinc aliqua in remotiora etiam loca eius ope poterant deferri.

Additur his relatio de libro Cl. ALEMBERT, quo generales ventorum cauſas inquirit: *Reflexions ſur la cauſe generale des Vents.* p. 41.

Ad anatomen referuntur ſequentes obſeruationes: p. 48.

1) In cadauere iuuenis, quindecim circiter annorum, vidit Cl. NAVIER, academiae a commercio litterario, inteſtina craſſa, et illud praecipue, quod rectum appellatur, enormi ratione largum et ampliatum ab intus contentis fecibus. Effecerat praeter naturam praeſens eius modi dilatatio, ut vix intra viginti dies aluum exoneraret aegrotus, parum etiam a ſumtis purgantibus remediis ſubleuatus. Sphincter interim nihil fere ad hunc effectum producendum contribuerat. Arbitratur autem Cl. Auctor obſeruationis,

tionis, huic malo opem poſſe ferri, ſi inteſtinum a collectis excrementis ſollicite liberetur, prius omnis inteſtinorum tonus quam nimia dilatatione fuerit deiectus.

2) Eodem Auctore in femina ſexaginta annorum, ouarium, in globi formam diſtentum, comparuit, ſex digitorum circiter craſſitie, cui videbantur veſiculae ſeu corpuſcula rotunda, in ouariis contenta, originem dediſſe. Celluloſum etenim opus illae conſtituebant, nunc lympha, ſanguine tincta, nunc clara et aquoſa, plenum, quae nec peruerſum ſpirabat odorem, nec veſicularum communicationem inter ſe demonſtrabat. Tuba Fallopiana vero integra reſtabat et immutata.

p. 49. 3) Cl. GVATTANI, Chirurgus Papae, ſingularem aneuriſmatis ſpeciem in homine animaduertit, quadraginta ſeptem annorum, qui a praedonibus arbori alligatus et relictus fuerat, enatam ex vehementibus, quibus vinculis ſeſe liberare tentabat, nixibus. In eius autem poſt mortem cadauere duo aneuriſmata inueniebantur, alterum in aorta, tripla circiter capacitate naturali maiore, alterum in arteria ſubclauia ſiniſtra, eiusdem pene diametri. Valuularum ſemilunarium una, multum diſtenta et reticulata reddita fuit, foramen etiam ouale adhuc apertum reſtitit.

4) Idem in alio ſubiecto, ſanguinis polypum in cordis poſteriore ventriculo inuenit, ad arteriae aortae orificium, erat autem ille ex veſiculis, aere plenis, compoſitus.

5) Quum Cl. NOLLETVS Venetiis commoraretur, Cl. STELLA, medicinam ibidem faciens, ipſi calculum obtulit ex veſica urinaria, apparatu alto adhibito extractum, cui fundamentum acus praebebat. Femina ſcilicet, undeuiginti annorum, ſingulari circa partes genitales pruritu vexata, ad eum leniendum ferrei acus capite utebatur, quod vero ſomno ſuperueniente, in veſicam delapſum non poterat iterum

rum reuocari. Incommoda inde oriunda, per octo perferebat menſes, tandem auxilia quaerebat, aduocabaturque iam nominatus Cl. STELLA, qui ſpecillo immiſſo in veſicam, digito in uteri vaginam, vix perſentiſcebat aut diſtinguebat corpus intus latens peregrinum, aut mox digitis illud ſeſe ſubtrahebat. Quam ob rem ſpongia dilatabat urethram, ut digito tandem intruſo acum detegeret, qui ad tertiam ſui partem iam calculo obductus erat, qui vero partim ad ſymphyſin oſſium pubis ſurſum erat directus, partim transuerſim in veſica collocatus. Sed quod nulla extractionis ratio, niſi per apparatum altum relicta eſſe videbatur, etſi illa quoque ob urgentem febris lentae aeſtum anceps videretur, tentabatur tamen, tertio vero die poſt periit aegra. Cl. GVYON Chi- p. 51.
rurgus Carpentoracti, Cl. DE LA SONE retulit de obſeruatione inſtituta in infante, recenter ante tres dies nato, tunc adhuc viuente, malam partium naturalium conformationem ſecum adferente. Scrotum rite ſe habebat, penis vero ex glande tantum conſtabat, per mediam partem quaſi diſſecta praeputio, quale in circumciſis eſt, inſtructa, nulloque orificio patula. Ad eius finem in plica fiſſuraque cutis, ad quam ſimul aderat carnoſus tumor, demum orificium detegebatur, in veſicam abiens, et urinam ſecernens. Poſt mortem diſſecta cute aderat verus et per naturam rite efformatus penis, ſed urethra deſtitutus, atque ligamento ſuſpenſorio, nec non tela celluloſa circumdatus. Plica cutanea introrſum per fiſſuram ducta eum conſtituebat canalem, qui in veſicam terminabatur, ad cuius introitum veru montanum aeque ac orificia veſicularum ſeminalium apparebant, ita, ut infans diutius viuens, hermaphroditi ſpeciem effingere potuiſſet.

Chemicae quidem obſeruationes peculiares non p. 61.
adduntur, exhibetur tamen expoſitio de Cl. HELLO-

TI arte lanam tingendi, ſeu *l'Art de la teinture des laines et des étoffes de laine en grand et petit teint, avec*
p. 78. *une inſtruction ſur les debouillis*, nec non EIVSDEM de fuſione minerarum liber*. Et Cl. MALOVIN Che-
p. 98. mia medica, hoc titulo quae prodiit: *Chymie medicinale, contenant la maniere de préparer les remèdes les plus uſités, et la methode de les employer pour la gueriſon des maladies.*

p. 107. Itidem botanica hiſtoria abſoluitur ampla recenſione tractatus Cl. DV HAMEL, quo terrarum cultura exponitur, ſeu: *Traité de la culture des terres, ſuivant les principes de Mr.* TVLL. Praeterimus iam reliqua, quae ad noſtrum ſcopum preſſius non ſpectant, de IO. LVD. PETITI vita enim, quae et hic occurrit, alibi iam egimus**.

Commentarii ipſi ſequentes explicant doctrinas:

p. 1. 1) *Tentamina de effectibus pulueris pyrii, auctore Cl.* DV HAMEL.

p. 11. 2) *Primarum linearum de theoria ſolis, commentarius primus*, propoſitus a Cl. DE LA CAILLE.

p. 28. 3) *De dignoſcendis lapidibus pretioſis*, agit Cl. DAVBENTON, inter omnes autem, quae veram diſtinctionem offerunt, conditiones, eas praecipuas eſſe credit, quae a colore deſumuntur; quas itaque, ut eo accuratius determinare quis poſſit, definiendas eſſe ſuadet ex comparatione inſtituta cum radiis lucis, per priſma refractis. Simulque methodum indicat, ſecundum quam et optices ignarus rite inſtituere poſſit experimenta.

4) *Deri-*

* vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 213. et Vol. III. P. IV. p. 621.

** vid. Comment. noſtr. Vol. I. P. I. p. 155. ſq.

4) *Deriuandarum aquarum rationem* explicat Cl. DE PARCIEVX, ex hydraulicis demonſtrationibus. p. 39.

5) *Experimenta et obſeruationes, in Italia inſtitutas*, recenſere pergit Cl. NOLLETVS *. In *ſexto* itaque *articulo de raris vel ſingulari ratione efformatis auibus, nec non de lucentibus inſectis* exponitur. In prouincia Pedemontana prope Taurinum, Onocrotali duo capti ſunt, ventis huc appulſi, quorum vim alimenta digerendi admodum lentam eſſe adnotat Noſter; truttam enim tredecim pollices longam poſt ſex horas peractas integram reddidit alter eorum. Cariniani anſeres, quatuor alis inſtructi oſtendebantur Noſtro, quorum etiam delineationem ſubiunxit; fingebant autem duas alas peculiares plumae illae maiores, quae alias corpori inhaerent, quam primum enim alae extendebantur, illae minores accedentes euaneſcebant. p. 54.

Lucentes vermes in Italia quoque reperit Cl. NOLLET, qui, vel circumvolitantes vel quieſcentes, ſcintillas ſpargunt. Muſcas lucentes, *Lucciolas* incolae vocant: ſunt autem ſcarabaei oblongi, api maiores, elytris nigris, ventre cinereo vel ex albido luteſcente, qui potiſſimum illam in ſe continet lucentem materiam. Scintillas alternatim dimittendi vis non a motu corporis variato, ſed ab interna aliqua cauſa et motu pendet, id, quod intellexit Cl. Auctor, quieſcente animali vel irritato, qua mutatione viciſſitudo apparentis lucis animaduertebatur.

Quum autem Venetiis commoraretur, in canali illius urbis motu remorum, quibus nauigia agitantur, lucem in aquis excitari vidit Cl. Auctor: hinc in memoriam reuocans opinionem, aquas marinas quandoque lucere, in huius rei veritatem inquirere fuit incita-

* Priorem partem earum continent Comment. Acad. Reg. Scient. Pariſ. 1749. p. 444. Conf. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 502.

incitatus, variiſque factis tentaminibus tandem cognouit, eam quoque lucem a vermiculis, in hac aqua contentis, oriri, adeo tamen paruis, ut armato demum cognoſcantur oculo. Erant hi ſubſtantiae admodum mollis, ex albo flaueſcentes, corpore ex annulis compoſito, duabus branchiis et totidem filis, quae caudam efformabant, conſtante. Totum autem corpus grano ſecalis parum magnitudine erat inferius. Impeditus tunc Noſter, quo minus nec ipſe hoſce vermiculos delinearet, neque ab aliis conuenientem acquireret deſcriptionem, quum illi non niſi nocte tenebricoſa et tempore ſereno apparerent, de eorum diſquiſitione ulteriore deſperans, tandem eorum aliqua ipſi copia facta eſt in portu Delphini. (*à Porto-fino*) Sed et hae obſeruationes eum, ut genus conſtitueret verum, idoneum nondum reddebant, monet tamen in ſubiecta nota, poſt factas haſce deſcriptiones et commentarium, in academia praelectum tum Cl. VIANELLI, tum Cl. GRIZELINI, microſcopii ope hocce inſectum obſeruaſſe atque deſcripſiſſe. Prior idem Cicindelam ſeu *Luccioletta dell' acqua marina* vocat, alter *Scolopendram* marinam nominat.

p. 62. *Articulus Septimus, de ſcaturigine aquae ſulphuratae et vaporibus pernicioſis* agit. Prope Tiburi et variis aliis Italiae in locis ſcaturit aqua, quae odorem ſulphureum, aliquando ventorum ope longius diſſipatum, ſpirat: aquae ipſae vix non ſemper atmoſphaera calidiores ſunt, coloris lactei, vim habent arrodendi lapides etiam duriores, qui calcinantur, leues et friabiles euadunt, floresque ſulphuris adhaerentes oſtendunt. Deſcribit porro Cl. Auctor lacum, qui duos a Tiburi lapides eſt, in quo inſulae natantes inueniuntur, hae autem ex terra conſtant et plantis teguntur, vento agitantur, mox coniunguntur, mox a ſe inuicem remouentur iterum, cuius phaenomeni cauſa plures phyſici operam dederunt, ut explicarent.

carent. Arbitratur itaque Noſter, naturae conuenienter has inſulas olim ripae partes fuiſſe, quae nunc tantum arroſis plantarum intertextis radicibus, cruſtam terrae leuem redditam, quo aquae inhaerere poſſit, effecerit. Confirmatur enim haec opinio ex eo, quod omnis fere lacus ambitus, ſi terra percutitur, reſonitum reddat, ac ſi ſubtus fornicata fuerit. Ebullit etiam haec aqua non nullis in locis, quod tamen non a calore fit, quippe qui in thermometro viginti tantum gradus monſtret, ut potius ab immiſtis aeris bullulis motus hic proficiſcatur inteſtinus, et praeſumendum ſit, eum ex imis locis per exeſam terram, cribri inſtar, emitti, nec non hinc inde cum aere forte communicare. p. 65.

Deſcribit poſt haec Cl. Auctor ea, quae circa ſic dictam cauernam canium a ſe obſeruata ſunt, et tentamina, ibidem facta, ſtudioſe recenſet, de quibus tamen alio iam loco retulimus *. p. 67.

Pergit deinde in *articulo octauo* ad conſiderandos *montes igniuomos, et fodinas ſulphureas atque aluminoſas.* Montium igniuomorum effectus ſtupendi multum faceſſunt phyſicis negotii, hos autem deducendos eſſe putat ex variis ſimul cauſis, nimirum ex fermentatione interna, quae ſulphureas ſalinasque moleculas quaſi coquit et ex actione aeris, multum compreſſi, nunc accedente calore cum impetu dilatati, quibus etiam vaporum dilatatio accedit. De hiſce tamen diſſeruit alibi fuſius Cl. Auctor **, nunc laetatur, ſuam ita confirmatam fuiſſe coniecturam, poſtquam Veſuuium perueſtigare ipſi datum fuerat, ut eum pro certa habere cogatur veritate. Deſcribit primo Veſuuii ſitum, materiam effluentem, quam *lauam* vocant et ſic dictos cineres, qui ex lapidibus duris, coaceruatis p. 78.

* vid. Philoſ. Tranſact. Vol. XLVII. ann. 1751. et 1752. p. 48. et Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 11.

** Conf. Eivsd. Leçons de Phyſique experimentale Tom. IV. p. 95.

tis conſtant. Barometrum in altiſſimo montis loco deſcendit ſic, ut tres pollices et tertiam partem pro-
p. 83. fundius eſſet, ac in ripa maris. In fundo cauitatis, quae in monte eſt, materia fuſci coloris eſt, quae in monticulos eleuatur, hinc inde fiſſa apparet, et maioribus etiam cauis interrupta, ex quibus, tanquam ex orificiis denſus emittitur vapor, e longinquo percipiendus, per noctem lucens. Deſcendere quidem in cauum Cl. Auctori non permittebatur, phaenomeni tamen daturus explicationem, Veſuuium comparat cum amplo aheno, quod materia fundenda plenum quidem ſit, ſed quae difficulter liquefiat, cui ſubſit ignis, qui et fundit et accendit, quod omnem eius actionem perſentiſcit, cum e contrario, quod remotius eſt, corpus permaneat durum, tandem per ignis vim certis quibusdam in locis finditur, ut vapores dilatati violenter proiiciantur et omne ſecum abripiant, quod iis ſeſe opponit. Hinc ſequi debet, ut orificia monticulorum inſtar emineant, ut materia, ignis actione paulum remittente, findatur. Eiicitur enim per vices ex orificiis montis vapor, onuſtus paſta quaſi materiae fuſae, quae vel ſub *lauae* forma effluit, vel cineres ſiſtit, quibus non nunquam diſſita aliquando loca obruuntur, ſi eruptiones diu et magno durauerint cum impetu, cuius rei teſtis eſt *Herculanei* notiſſima deſtructio. Siquidem aquae vel pluuiae, his cineribus immixtae, eos indureſcere faciunt, et quod ſalis abeſt immixtio, et materiae vitreſcentis lapidumque induratorum tantum ſunt aggregata moles, incorrupta ſub illis corpora perſi-
p. 92. ſtunt. Verum et aquae Veſuuio furente, ex mari abſorptae eiiciuntur, quod, quo modo fiat, aeolipilae exemplo adhibito, nec non icone Tab. III. illuſtrare annititur. Duo nimirum ponit eius eſſe orificia, alterum ſuperius, alterum circa medium aut paullo inferiorem locum in canalem hians, per quem intrat aqua, quae a calore in vaporem reſoluitur et

per

per ſuperius orificium, circa quod minor eſt reſiſtentia, eiicitur. Eodem modo rem ſeſe habere variis comprobat obſeruatis phaenomenis Noſter, ſiquidem in aquis marinis ſub vehementi eruptione mutationem perceptam fuiſſe teſtentur varii; quicquid in his tamen adhuc attendendum ſit, ſimul exponit.

Progreditur ab hoc ad fodinam ſulphuream et aluminoſam Puteolanam, quae *Solfatara* nunc, olim *forum Vulcani* et *campus Phlegreus* dicebatur *. Notato itaque ſitu eiusdem, eius terram laeuem albamque ſe obſeruaſſe memorat; caloris ingens gradus in aere eſt, qui aeſtus omnes aeſtatis ſuperat, quem a ſubterraneo igne prouenire perpetuo exhalans fumus teſtatur. Medius locus paullo excauatus eſt, qui percuſſus ſonat, ſimulque ſubiectam terram cauam eſſe ſignificat: alio vero in loco cauitas aqua, ut dicunt, perpetuo bulliente plena occurrit, cuius tamen motum Noſter ob caloris defectum ab alia cauſa, exhalante nimirum vapore, deriuandum eſſe cenſet. Sunt et aliae exhalantes eius modi cryptae, variis morbis, balneorum inſtar, medentes et uſurpatae, In primis obſeruationem merentur tria orificia, ex quibus cum murmure vapores eiiciuntur, fumi ſpecie; lapides ad ſummum eorum locum conſtituti, floribus ſulphuris obducuntur, et alibi ſalis luteoli cryſtalli adcreſcunt, ſapore cum ſale ammoniaco conuenientes. Vapores hi tantum fouent caloris gradum, ut manus eum perferre nequeant, et papyri pars ipſi expoſita non humeſcit, quum ferrum e contrario redderetur humidum, cuius rei cauſam in denſitate diuerſa horum corporum quaerendam eſſe docet Cl. Auctor, ſiquidem diu ferrum, hiſce vaporibus oblatum, et totum percalefactum ſiccum euaderet.

p. 97.

* Huius deſcriptionem et iconem tum fori Vulcani, tum ſulphur parandi modi, alio tamen modo ſuppeditat MICH. MERCATVS in Metallotheca. Armar. V. cap. I. p. 79. Romae 1719. fol.

deret. Guttulae vaporis adhaerentis ſaporem acrem habebant, et, prout acidum, coeruleum papyri co-
p. 102. lorem in rubrum conuertebant. Vapores tales ſulphurei per lapides penetrant, ut paſtae denſae pinguisque inſtar reperirentur, albidae maculis luteis tinctae, vel aliae ruſeſcentes magis. Nihilo tamen minus, nec obſtante caloris non leui gradu varia terrae inhaerent vegetabilia et in ipſis collibus terra colitur, vitis laete creſcit aliaeque fructiferae plantae. Ex iam dictis autem lapidibus per deſtillationem ſeparatur ſulphur in adaptatis vaſis, quarum icones, aeque ac fornacum conſtructionem et diſpoſitionem Cl. Auctor proponit atque deſcribit, quarum omnem expoſitionem exinde repetere lectores, iuuabit.

p. 107. 6) *Continuatio commentarii dynamici in Comment. Acad.* 1747. *propoſiti.* Auctore Cl. D'ARCY.

p. 109. 7) *Deſcriptio hermaphroditi Pariſiis an.* 1749. *viſi,* data a Cl. MORAND *. Deſcribit omnes partium naturalium conditiones, orificium tamen urethrae, quod in peni ſimili corpore deficiebat, neque in vagina detegere potuit, ſpecillo licet immiſſo urina ex veſica urinaria fuerit prouocata. Ex eo tamen, quod erectione tentetur penis et mane et conſpectu, quae placent, feminarum, nec non quod immiſſo in vaginam digito non moueatur, ingreſſum, mores, vocem viri imitetur, pectus planum, mammas minimas, barbae in mento et labio ſuperiore apparentiam habeat, arbitratur Cl. Auctor praeualere ſexum maſculinum, in primis, quod menſium nullus ſit prouentus. Interim peluis oſſeus, magis ac in viris latus; dubium relinquit eundem et utramque coxam ſimul

* Idem eſt, de quo alibi mentionem fecimus, a Cl. MERTRVD deſcriptus, hermaphroditus. Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. II. p. 228. Vol. II. P. II. p. 258.

ſimul conſideratam alteram maſculo, alteram feminae magis conuenire aſſerit. Icones additae ſunt.

8) *De nodis et inclinatione quarti Iouis ſatellitis.* p. 113. Auctore Cl. MARALDI.

9) *De balſamatione, Aegyptiis uſitata, Commentarius primus: in quo demonſtratur, fundamenta artis balſamandi Aegyptiorum ex parte contineri in illa, quam* HERODOTVS *dedit, deſcriptione, et ſimul determinatur, quae ſint in eius modi balſamatione adhibitae materiae.* Auctore Cl. ROVELLE. Mos Aegyptiorum cadauera balſamis condiendi variis anſam dedit diſquiſitionibus, nouas autem inſtituendi tentamina rationes ſuppeditauit Cl. Auctori, deſiderium, quo flagrabat Ill. comes de CAYLVS hanc rem penitius introſpiciendi, poſtquam ex Aegypto mumiae caput, manum pedemque, cum aliqua materiae, balſamationi deſtinatae, particula, in vaſe contenta, acceperat. In duas autem ſuam diuiſit tractationem partes, quarum prima quid contineat huius commentarii inſcriptio docet, altera vero, quae adhuc expectanda eſt, experientias et ſuſcepta tentamina exponet, quibus imitari ſtuduit balſamationem Aegyptiorum; his autem fundamentis innixus media proponet Cl. Auctor, anatomica ſic dicta corporis humani conficiendi praeparata. p. 123.

In hoc itaque primo commentario, poſtquam breuiter diuerſas auctorum ſententias excuſſit, HERODOTI praecipue locum, qui varias cadauera condiendi methodos recenſet, adducit. Hae eo redire videntur, ut vel omnes ſtuduerint liquores ac pinguedinem remouere antiqui, quibus cauſa putredinis atque corruptionis potuiſſet induci, vel exſiccata iam corpora a humidi aeris contactu praeſeruare. Quoniam p. 127. vero HERODOTVS cum *Natro* ſalita fuiſſe corpora ſcribat, ante omnia in natri veterum naturam inquirit

rit Noſter. Ex eo, quod carnes et pinguedinem
deſtruxiſſe dicitur, quae vis calci viuae conceſſa eſt,
alcalinam eius naturam patere aſſeritur, ſiquidem
neutra ſalia, quale ipſum nitrum eſt, e contrario
partes animalium conſeruent. Eſt tamen forte ex mi-
tioribus alcalicis, quale ex ſoda et ſale marino poteſt
haberi. Demonſtrat porro, alios iam viros poſt ea
tempora eodem modo alcalino ſale uſos fuiſſe, ex-
emplis BILSII atque CLAVDERI, quorum poſterior
vero alcali volatile adhibebat, ſine eo, ut eius agen-
di noſceret facultatem, quod docte explicatum inue-
p. 134. nimus. Hunc cum natro ſaliendi modum alio loco
HERODOTVS refert, tunc demum fuiſſe ſuſceptum,
dum interior abdominis pars variis fuerit aromatibus
repleta. Videtur autem in eo commiſiſſe errorem,
quod ſaliendi ritus praeceſſerit, prout faſciarum circum-
ductionem, quae ſecundum illum cum gummatibus
fieri debebat, alio plane ſe modo habere a Cl. Aucto-
re obſeruata eſt. Corpus enim et extremitates ſepa-
ratim faſciae circumeunt, reſina vel bitumine imbu-
tae et hae ſolae in non nullis mumiarum ſpeciebus
ſuperſunt, alia deinde faſcia uniuerſalis totum cor-
pus comprehendit. Priores faſciae cum reſinis atque
aromatibus in corpus durum, vix ſoluendae, trans-
eunt; poſterius autem genus ſaepe ablatum iam eſſe
deprehenditur. Praeterimus nunc reliquas in HE-
RODOTVM doctas Cl. Auctoris animaduerſiones; pro-
batur autem, qui fieri potuerit, ut per plura ſecula
incorrupta ſeruari potuerint cadauera.

p. 142. Deinde ad examinandas materias reſinoſas vel bi-
tuminoſas, ad balſamanda corpora adhibitas, ſeſe
conuertit, quas ex ſex diuerſis mumiis deſumtas, nec
non ex vaſe, pone mumias inuento, depromtas exa-
minauit. Commiſit aliam ex his deſtillationi, et
aquam inſipidam, poſt ea acidam, oleum limpidum,
ſuccini inſtar, tandem obſcurum, frigefactum con-
creſcens obtinuit. Non tamen in reliquis omnia ac-
curate

curate his reſponderunt, ut vel bitumen Iudaicum, vel alia materia reſinoſa, non ſatis detegenda, fuerit immixta. In fine huius tractationis cuncta quidem colligendo hiſtoriam quaſi balſamationis Aegyptiorum, eiusque methodorum tradit Cl. Auctor, ab omnibus rei litterariae fautoribus laudem, ni fallimur, merituram.

10) *Obſeruatio eclipſeos horizontalis lunae, facta Pariſiis d.* 19. *Iunii* 1750. Auctore LE MONNIER. p. 151.

11) *Diuerſos modos acum magneticam perfectiorem reddendi exponit* Cl. DV HAMEL. p. 154.

12) *Elementa theoriae ſolis altero commentario explicat* Cl. DE LA CAILLE. p. 166.

13) *Commentarius ſeptimus de glandulis plantarum et ſextus de uſu harum partium in definiendis generibus plantarum.* Auctore Cl. GVETTARD *. In aliis ſpeciminibus, quae paſſim in commentariis noſtris exhibuimus, Cl. Auctorem filamenta et glandulas in plantarum ſuperficie poſitas ad genera earundem accuratius definienda applicare oſtendimus; in hoc igitur et ſequenti commentario, ex iisdem fundamentis ad quaeſtionem, a Cl. LINNAEO omnibus botanicis propoſitam**, reſpondet, et affinia genera ſub examen reuocat. Nos, qui omnia proponere non poſſumus, praecipua quaedam exempla adducturi erimus. p. 179.

Roſmarinus filamenta ramoſa habet, *ſaluia* vero ſimplicia vel articulata vel cupulata, hinc ad *ſaluiam* referri non poteſt *roſmarinus*. In eo tamen cum LINNAEO conſentit Noſter, *ſclaream* et *horminum* ob filamen- p. 180.

* Lecta. d. 2. Iul. 1751.
** In editione generum Pariſina.

filamentorum conuenientiam ad *ſaluiam* referri poſſe, *Orualae* tamen genus ob villoſam ſuperficiem ab hoc genere ſeparandum eſſe monet, in primis ſi in flore quoque aliqua deprehendatur differentia.

p. 187. *Cyperus* ex obſeruatione LINNAEI ſemina glabra obtinet, *ſcirpi* vero ſemina aut in ſuperiori aut inferiori parte filamenta calice minora gerunt, *linagroſtis* tandem ſemina inter copioſa filamenta haerent, quae non calicem tantum, ſed ſpicam ipſam longitudine ſuperant. Hae plantae gramineis ſimiles glandulas miliares in foliis et caulibus oſtendunt.

p. 191. *Aparine* in margine foliorum, in lateribus caulium et in ſeminibus breuia rigidaque filamenta apice non nihil incurua obtinet. *Gallium* ſimilia habet, licet non adeo rigida ſint, niſi itaque ſemina maximam partem glabra in *gallio*, aſpera e contrario in *aparine* differentiam generis conſtituere poſſint, nulla forte eſſet in graduali filamentorum varietate.

p. 194. *Alchimillae* ſpecies non niſi filamenta cylindrica habent, eo abundantiora, quo magis plantae villoſae apparent, ab hoc genere ſeparata planta *percepier* DILLENII, *aphanes* LINNAEI ſimilia quidem filamenta obtinet, ſed alia quoque, quae in apice cupulata apparent et humorem exſudant. *Scleranthus* et *theſium* non niſi exigua vel nulla filamenta in margine foliorum et ad caules oſtendunt, ideoque eodem modo, ut *aphanes* ab *alchimillis* ſeparari poſſent.

p. 199. *Conuoluuli* ſpecies vix non omnes diſquiſiuit Noſter nullam tamen differentiam inuenit, qua *quamoclit* ab illis ſeparari poſſet, *conuoluuli* enim vel filamenta conica valuulis diſtincta habent, vel glabri ſunt, quod in *quamoclit* quoque obſeruatur, et glandulae veſiculares, quae non nunquam apparent, in uno et altero genere conſpiciuntur.

p. 203. *Vitis* et *hedera* in unum genus coniungi poſſunt, maior enim minorque ſucci copia in fructu conſpicua, rationem diſtinctionis ſufficientem non exhibet;

Reſpectu

Reſpectu autem filamentorum Noſter inſignem inuenit differentiam: *hedera* enim filamenta faſciculata oſtendit, cum *vitis* tantum conica ſimplicia ſiſtat. In omnibus *vitis* ſpeciebus a Cl. Auctore diſquiſitis ca p. 205. preoli et pedunculi foliorum guttas aquoſas exhibuerunt, hae quidem primo intuitu inſectorum oua mentiuntur, ſed accuratius diſquiſitae omnes dotes aquae habent, ita, ut roris effectus videantur, niſi ſole urgente copioſius apparerent, ex glandulis lenticularibus, a latere pedunculorum et capreolorum ſitis, eas exſudare obſeruatione repetita patuit. Alia grana alba interdum in ſuperficie foliorum inueniuntur, quae gummoſi vel reſinoſi quid indicant, et quae exſudantem materiam forte poſt puncturas inſectorum ſiſtunt. Haec vero cum non ſemper adſint, omnino accidentali cauſae adſcribenda ſunt.

Sanicula longis filamentis recuruis obſita ſemina p. 209. habet, *aſtrantia* vero in ſtriis ſeminum papillas conicas albas exhibet, quae generibus his diſtinguendis ſufficere videntur.

Opulus, *tinus* et *viburnum* non confundi poſſunt, p. 210. *tinus* enim non niſi filamenta conica habet, *viburnum* autem faſciculata obtinet et illa potiſſimum, quae in coſtis et neruis ſubſiſtunt adſperſori ſimiles magis eleuatae ſunt; *opulus*, qui in filamentis *tino* ſimilis eſt, glandulas acetabuliformes ad ſummitatem pedunculi et baſin foliorum oſtendit.

Biſtorta, *polygonum* et *fagopyrum* coniunxit p. 219. LINNAEVS et tandem *perſicariam* quoque addidit; tria priora genera ex obſeruatione quoque Cl. Auctoris coniungi poſſunt, ſed quartum forte ſeparandum erit. *Biſtorta* obtuſa et conica filamenta habet, paululum quidem elongata, ſed minus craſſa, quam ea, quae in *fagopyro* deprehenduntur, et licet in *polygono* minora inueniantur, in omnibus tamen papillas ſiſtunt plus minusque elongatas, quae vix filamenta dici merentur. *Perſicaria* vera filamenta conica obtinet et

glandulas veſiculares, quae ſuperficiem foliorum aſperam reddunt.

9. In *Lychnidis* generumque affinium diſquiſitione Cl. Auctor multa obſeruauit, quae tamen generibus rite diſcernendis vix ſufficere videntur.

6. 14) *Obſeruatio eclipſeos totalis lunae d.* 19. *iunii* 1750. per Cl. DE THVRY.

,9. 15) *Eiusdem eclipſeos rationem in obſeruatorio regio reddit* Cl. DE FOVCHY.

+1. 16) *Methodus facilis quadrata magica pro lubitu conficiendi*, explanata per Cl. ONS EN BRAY.

72. 17) *Obſeruatio eclipſeos lunae d.* 13. *decembr.* 1750. inſtituta a Cl. DE THVRY et MARALDI.

75. 18) *Obſeruationes botanico-meteorologicae, in caſtello* Denainuilliers *dicto, in regione, cui* Pluuiers en Gatinois *nomen eſt, per annum* 1749. *inſtitutae a Cl.* DV HAMEL. Obſeruationes hae, ut olim adnotauimus *, in ſeptem columnas diuiduntur, eandemque ſequuntur normam.

09. 19) *Epitome obſeruationum botanico-meteorologicarum, factarum* Quebeci, *anno huius ſeculi quadrageſimo nono per* Cl. GAVTIER, *Medicum regium in Canada.* Hic annus, quocunque conſideratus modo, ſalubris euaſit dicto loco.

1. 20) *Hiſtoria morborum epidemicorum una cum aeris viciſſitudinibus obſeruatorum Pariſiis per annum* 1750. Auctore Cl. MALOVIN **. Aeris calorem, qui ipſi tamen natiuus non eſt, in diuerſa atmoſphaerae regione

* Vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 491.
** Lecta d. 12. febr. 1752.

gione diſcrepantem, aeque ac ob loci altitudinem differentem, et ventis obſequioſum, primo deſcribit Cl. Auctor: poſt more ſuo, quid ſingulis menſibus contigerit, recenſens. Ianuario autem menſe tempeſtas temperata ſatis erat, per omnem fere menſem eadem. Epidemice graſſabantur catarrhi atque febres, nec non deiectiones dyſentericae, ab acribus humoribus exortae: praeter has febres putridae, quae, ſi lethales exiſtebant, corpus breui poſt nigris maculis foedatum monſtrabant. Purgantia atque venae ſectiones, primis inſtitutae diebus opem ferebant promtius. Apoplexiae, febre ſtipatae obſeruatae ſunt, cum pulſu frequente paruo motibusque conuulſiuis, facilius tamen reſtituebantur tali morbo affecti et paralyſis ſubſequens etiam magis obtemperabat remediis.

Frigidior, ac eſſe alias conſueuit, februarii tem- p. 316.
peſtas, inter alios morbos, febres praecipue putridas easque malignas produxit, omnibusque pene febribus quidquam malignitatis acceſſit. Variolae e contrario hoc menſe benigniores, dyſenteriae autem maligniores euaſerunt. Febres dictae ſequenti etiam menſe continuabant, licet ſiccus atque ſerenus eſſet atmoſphaerae ſtatus. Variolis ſaepe ſucceſſere alia exanthemata. Angina tamen non adeo periculoſa extitit, ſponte ſaliuatione ſoluta vel gargariſmate, ex rubo, melle roſato, oleo vitrioli, vel tartaro ſtibiato compoſito, lenita. Catarrhi, qui menſe aprili varios corripiebant, haud raro copioſioribus finiebantur ſudoribus. Subito autem et hi et alii morbi febriles inuadebant, non nunquam cito funeſti, quod atmoſphaera leui et barometro deſcendente ſaepe accidiſſe obſeruauit Cl. Auctor. Epidemice quoque regnabat variolarum genus, quod ſex ſeptemque dierum ſpatio terminabatur, incipiebat autem cum tuſſi et pruritu exanthematum, qui poſterior alias circa finem morbi demum ſolet perſentiſci. Pluuioſa ta- p.

men per interualla menſe maio tempeſtas eam etiam in morbis fecit mutationem, ut adſcendente barometro melius, eo vero deſcendente et pluente coelo peius ſe haberent aegroti, vel reconualeſcentes in morbum priſtinum inciderent denuo. Colicae hepaticae, per biliofas deiectiones critice ſolutae, hoc menſe fuerunt epidemicae, ſed ſine febre. Idem ſequenti etiam menſe obſeruatum eſt, quo ſimul rheumatiſmi acceſſerunt, pertinaces, acuti, cito funeſti.

p. 328. Diſcrepans autem menſe iulio colica epidemica euaſit, colicae Pictonum ob ſpaſmos et extremitatum rigorem non abſimilis, in eo autem differens, quod purgantia non ferebat. Tertio in quibusdam die lethalis extitit, in quibus ſcilicet indigeſtio aderat. Corripiebantur plurimi praecordiorum anxietate, vomitu; oculi concaui fiebant, virium proſtratio, pulſus paruus, infimi ventris tenſio et obſtructio, dolor renum et lumborum accedebant. Vena utiliter ſecabatur, et poſt demum purgans exhibitum opem ferebat, et narcotica tenſionem doloresque imminuebant. Praeter alias febres intermittentes et continuas praecipuae malignae eryſipelaceae exortae ſunt. Singularem eius mutationem adnotauit Cl. VERNAGE: Femina nempe, octodecim annorum, vagis doloribus et febre correpta, tertio die obſtupuit: ſed duabus vicibus vena in pede aperta comparuit eryſipelas, caputque ſimul liberabatur, febre nihilo minus ſuperſtite. Huic itaque obuiam ire tentabatur noua in brachio ſanguinis miſſione, hinc autem factum eſt, ut retrocedente eryſipelate caput denuo aggrauaretur, quod ad priſtinum reuertebat locum, ſanguine ex talo miſſo. Nouem elapſis diebus, iam percurato eryſipelate febricula accedebat et dolor ventris prope coxas, inſtituta ſanguinis miſſione in pede, eryſipelas in pede rediit. Dolores tandem abdominis et deiectiones viſcidae ſanguinolentae morbum finiebant. Angina gangraenoſa etiam ſaeuiit, qui illa afficiebantur,

tur, labia roſea et manus rubentes habebant, gangraena tamen praeſente, eam non perſentiſcebant, et reſtituti pulmonibus laeſi videbantur.

Dyſenteria, quae ſeptembri menſe epidemica erat, medicamentis refrigerantibus obtemperauit melius ac calidioribus. Per aliquot octobris menſis dies aer leuis redditus, ſubitaneae etiam mortis cauſa extitit, nec non Pariſiis colicae Pictonum exempla fuerunt. Singularis colicae genus obſeruatum eſt, quod cum dolore membrorum incipiens ad pectus, deinde ad abdomen tranſiit, ſimulque pulſationem extraordinariam arteriae coeliacae produxit, emetica tamen et balnea profuerunt. In demortuorum autem cadaueribus inteſtina, duodenum et ieiunum, ſingulari modo adfecta, reliqua gangraenoſa viſa ſunt. Sub vario coeli ſtatu, tempore menſis nouembris, poſt leues apoplecticos inſultus grauiores quidem ſequutae ſunt paralyſes, curatu tamen non adeo difficiles. Decembri tandem menſe morbilli infantes, variolae autem adultiores etiam permultos corripiebant, et in uniuerſum hoc menſe pauci morbis decumbebant. p. 332.

In noſocomium, quod *Hotel-dieu* vocant, per totum annum 20590, plurimi menſe ianuario, pauciſſimi menſe iulio delati ſunt. Inter mortuos menſis aprilis plurimos potioris, et ianuarius ſequioris ſexus abſtulit: pauciſſimi ex maribus menſe decembri, ex feminis vero menſe iulio obierunt. In natorum etiam numero pueri puellas ſuperarunt denuo.

21) *Obſeruatio eclipſeos lunae a d.* 13. *decembris* 1750. per Cl. BOVGVER. p. 340.

22) *Et eiusdem eclipſeos obſeruatio* per Cl. MONNIER *Filium*: nec non p. 341.

23) *Alia de eadem obſeruatio* per Cl. DE L'ISLE. p. 34.

345. 24) *Commentarius octauus de glandulis plantarum et ſeptimus de uſu harum partium in definiendis generibus plantarum* Auctore Cl. GVETTARD. Pergit ille in declarandis generibus affinibus, a Cl. LINNAEO propoſitis, et differentiam inter *meſpilum*, *crataegum* et *ſorbum*, quem in piſtilli diuiſionibus non nulli poſuerunt, a parte filamentorum diſquirit. In omnibus filamenta ſimplicia cylindrica et glandulas acetabuliformes in apice denticulorum, in foliorum margine poſitorum inuenit, quae in diuerſis plantis non niſi copia differunt.

p. 347. *Prunus*, *ceraſus* et *armeniaca malus* poſt ea conſiderantur, hae plantae innumeras ferme varietates oſtendunt, paucas tamen ſpecies ſiſtunt, quae ex mente quoque Cl. Auctoris coniungi poſſunt, filamenta enim cylindrica a latere neruorum in foliis, et aliquot glandulas acetabuliformes in petiolis foliorum exhibent, denticuli foliorum inflati ſunt et ſimiles ferme glandulas formant, ſtipulae quoque denticulatae inueniuntur.

p. 348. *Potentillam quinquefolio* et his tandem *tormentillam* non nulli Auctores adiungunt, Noſter in omnibus filamenta cylindrica inuenit, quae tamen in *tormentilla* parciora erant; *quinquefolium* vero grana aurei coloris ſiſtit, quae glandulae veſiculares dici poſſent, et *potentillae* glandulas cupulatas oſtendunt, hae tamen glandulae acceſſoriae in *tormentilla* deſiderantur.

p. 350. *Papaueris* ſpecies filamenta brachiata oſtendunt, hinc *argemone*, *glaucium*, *chelidonium* et *bocconia* affinia ſatis genera cum *papauere* coniungi nequeunt, conica enim ſimplicia, nodis tamen quibusdam interrupta ſiſtunt filamenta, *argemone* praeterea ſpinis conicis et flaueſcentibus, quibus folia et fructus armata ſunt, ab omnibus his generibus affinibus differt.

p. 352. *Breynia* ad *capparidem* vix referri poterit, faſciculata quidem filamenta imperfecta habet, quae tamen

men firmiter adhaerent, et argenteo colore conſpi-
cua ſunt, *capparis* filamenta conica et ſaepius ſpinas
obtinet, quae tamen minus copioſae et facile deciduae
deprehenduntur.

Triumphetta et *heliocarpos* filamenta faſciculata ſa-
tis rigida habent, fructus prioris filamenta conica re-
curua obtinet, quibus in ſummitate per articulum
quaſi connectitur hamulus; poſterioris vero fructus
glandulis cupulatis liquore madidis obſitus eſt, fila-
menta in margine fructuum radiorum ad inſtar diſpo-
nuntur, quae nominis rationem declarant.

Ranunculi et genera affinia ab aliis coniuncta, ab p. 354.
aliis diuiſa fuerunt, Cl. Auctor, qui has differentias
oſtendit, et glandulas nectariferas in unguibus peta-
lorum poſitas et ſquamulas diuerſas in non nullis ſpe-
ciebus obuias accurate conſiderat, quae tamen ad ge-
nera certe definienda non ſufficere videntur.

Marrubium et *pſeudo dictamnus* filamenta faſcicula- p. 359.
ta obtinent et ideo inter ſe conueniunt, *ballote* vero
et *molucca* cum illis comparari non poſſunt, quoniam
ſimplicia conica et articulata filamenta oſtendunt, in-
ter *marrubium* tamen et *pſeudo dictamnum* aliqua diffe-
rentia locum inuenire poſſet, quoniam in poſteriori
genere filamenta tanquam adſperſorium eleuata ſunt:
Noſter tamen in conſideratione ſpecierum *ballotes* et
moluccae inſignes differentias oſtendit, quae ex hac
parte nullam vel non ſatis certam generum diſtinctio-
nem admittunt.

Pimpinella ſanguiſorba dicta et *poterium* ideo con- p. 362.
iungi poſſunt, quoniam filamenta conica valuulis di-
ſtincta obtinent, licet enim glandulae cupulatae in-
ſpergantur, hae tamen non adeo excauatae ſunt, et
filamenta, quibus ſuſtinentur, deſcriptis ſimiles inue-
niuntur.

Fagoniae et *tribuli* folia et caulis filamenta conica p. 36.
ſimplicia oſtendunt, genera tamen non coniungi poſ-
ſunt, cum *fagonia* glandulas cupulatas obtineat, *tribu-*

lus vero illis prorſus deſtituatur. Inquirit porro Noſter in *aſtragalum* et *alſinem*, generaque confinia et in examine ſpecierum varia deprehendit, quae unionem generum non admittunt.

p. 371. *Anonidis* verae ſpecies multas glandulas cupulatas filamentis cylindricis immixtas in caulibus, foliis et calice obtinent, in *crotolariis* vero glandulae deſunt et filamenta parciora inueniuntur. In *orchidum* genere et plantis affinibus multas obſeruationes olim inſtitutas corrigit, et inſignem in hoc genere filamentorum et glandularum differentiam deprehendit.

p. 376. *Liguſtrum* et *iaſminum* parua filamenta conica habent, ex quorum conſideratione in unum genus cogi poſſent, quoniam etiam liquorem effundunt, qui in grana minima cogitur, veſiculares quasdam glandulas ſubeſſe nulla ferme dubitatio relinquitur.

p. 377. *Kleiniae* ſucculentae ſunt, *porophyllum* vero ſiccam obtinet fabricam, quam ob cauſam genera ſeiungi non poſſent, niſi in flore aliqua differentia inueniretur: ſed et in *Kleiniae* ſpeciebus aliae filamentoſi quid obtinent, aliae praeter ea glandulas veſiculares habent.

p. 378. *Cypreſſus* folia ſquamoſa habet, in quorum apice glandula lenticularis apparet, et cum idem in *thuya* obſeruetur, nullum dubium eſt eandem *cypreſſis* iungi poſſe. Hac occaſione etiam Noſter reliquas arbores congeneres diſquirit, *nigellae* praeter ea et *garidellae*, nec non *hippocaſtani* et *pauiae* conuenientiam declarat, et commentarios ſimilis argumenti in poſterum promittit.

p. 387. 25) *Commentarius de viridi aeris.* Auctore Cl. MONTET *. Plures quidem huius corporis praeparationis fecerunt mentionem, qui vero omnia, quibus opus eſt, momenta accuratius penſitauerit et quantum fieri potuit, ſtudioſe expoſuerit, praeter Cl.

* Lecta. a. d. 18. aug. 1753.

Cl. Auctorem vix ullus. Sunt autem, quae pertractauit, capita ſequentia: Examinauit ſcilicet cuprum, quod adhibetur, illudque praeparandi methodum, vaſa terrea, quorum uſus eſt, naturam vini et quodnam eligendum ſit, nec non racemos vitis praeparandi rationem; porro operationis ſuſcipiendae methodum, eiusque varietates; tandem theoriam huius operationis, diuerſis experientiis ſuperſtructam. Omnium horum capitum rationem non dabimus, cum et ea, quae cognita diu ſunt, debuerint hic referri, ſed praecipua tantum adducemus.

Cuprum, quod Monſpeliis adhibetur, Suecicum omnium eſt praeſtantiſſimum; hoc in laminis ferreis circularibus viginti digitorum transuerſorum diametri, et quatuor ad ſex librarum pondere adfertur, utiliterque adhibetur: leuiores enim nimis tenues ſunt, nec aeruginis formationi inſeruiunt. In minores autem partes forfice diuiduntur laminae et malleo percuſſae poliuntur. Sunt, qui eas recentes, non- p. 390.
dumque ad uſum adhibitas, praeparant, quod fit, dum trium quatuorque dierum ſpatio eas in viride aeris recondunt, ſiquidem aliquam acidi partem attrahunt et diſſolutioni faciliori inde patent. Vaſa, in quae induntur, ex argillacea terra, urnarum forma, parantur, quam icone expreſſit Cl. Auctor, et quae per octo circiter dies vino, ad parandam aeruginem iam uſurpato, humectantur, absque hoc enim adminiculo liquida transmittunt. Vinum, quod ad hanc operationem adhibetur, praeter acidam inflammabilem etiam partem contineat, neceſſe eſt, quare aliquam eius portiunculam incendendo tentamen inſtituunt. Racemi vitis, ſeu pedunculi fructuum aliqua etiam praeparatione indigent, debent enim prius exſiccari et poſt vino humectari, ſedulo tamen cauendum eſt, ne oleum immiſceatur, quod maxime aeruginis formationi reſiſtit.

Proceſ-

p. 393. *Proceſſum* viride aeris parandi poſt deſcribit Noſter, racemi ſiccati ſcilicet vino aut recenti, aut iam ad ſimile opus adhibito, quod *vinaſſe* vocant, macerandi per duos dies, in glomeres componendi et fermentationi exponendi ſunt, quae ſuum dicitur conſequuta fuiſſe terminum, ſi lamina cuprea percalefacta impoſita ab acido vini arrodatur. Tunc vinum effunditur et racemi laminaeque cupreae calefactae in vaſa per ſtrata ſuccedentia ſibi diſponuntur. Remoueri iterum debent, ſi albicantia in laminarum ſuperficiebus apparent puncta, et reponi in loco quodam, quo exſiccentur: inter ea temporis aliquoties vino vel *vinaſſe* vel quod peius aqua humectantur, denuoque exſiccantur, ſimulque muſci inſtar materia viridis effloreſcit, quae aerugo eſt, abraditurque. Exſiccatae autem laminae ad eundem denuo adhibentur uſum, uſque dum adeo tenues euaſerint, ut radi nequeant. Aerugo in vaſis collecta exſiccataque in maſſas maiores abit, optime tunc aliquantum, antea prorſus quam exſiccantur, obſeruante Cl. Auctore, liquore ex *vinaſſe* deſtillato, qui ſubtilius acetum vini ſiſtit, irrorantur.

p. 400. Ex his praemiſſis itaque theoria formationis viridis aeris explicatur. Eſt autem aerugo ſal metallicus, ex coniunctis cum acido et inflammabili principio vini particulis cupreis formatus, quibus et aquoſae moleculae acceſſerunt. Hinc cupri naturam, vini actionem et omnia, quae obſeruantur, phaenomena ſigillatim iterum expendit Noſter. Cuprum ab omnibus fere ſuccis, ſalibus, oleisque ſoluitur, praeſtat vero ſoluendi vim vinum, acida ſua parte cum inflammabili mixta. Acidum fermentatione incipiente exſoluitur, ea tamen perfecta inflammabile principium diſſipatur. Hinc omnium vinorum uſum non competere clarum eſt, nimis acida vero pauca ſpiritus vini portione addita corriguntur. Optime conueniunt vina Perolenſia (*vins de Perols*) quae forte, ad

ad mare dum creſcunt, aliquam ſalis marini copiam tenent, quum alii marino ſale addito praeparationem aeruginis iuuare ſoleant; quid vero in aliis vinorum generibus obſit, ſollicite ſimul monſtratur. Fermentatio requirit calorem, gradum decimum quintum aut octauum thermometri Reaumuriani ſufficere docuit experientia Noſtrum. Immiſſarum laminarum cuprearum ſuperficies roduntur, et diſſolutae moleculae partem phlogiſti perdunt atque ex immutata ſuperficie viridem colorem reflectunt. Inflammabile perire ex eo clarum eſt, quod aerugo absque fluore nigro in cuprum non poſſit conuerti. Efflorescunt puncta alba, ſi integre phlogiſton fuerit exſolutum, conſtituunt autem ſalem metallicum, ſubdulcem ſacchari ſaturni inſtar, quod primo obſeruauit Noſter, cryſtallorum tamen figura variat, vel ſtellulas vel ventilabra effingunt, nec non ſali volatili animalium accedunt. Repoſitae autem laminae et *vinaſſe* exſiccatae; nouoque acido quaſi nutritae, perfectam demum aeruginem efformant, quae acris et inutilis euadit, phlogiſto nimis diſſipato, hoc enim unctuoſitatem quaſi addens, ut a laminis ſeparari poſſit aerugo, efficit. Id, quod tentamine confirmat Noſter; quo cuprum, in urina ſuſpenſum, exhalante alcali volatile ſoluit et in viride aeris conuertit, ſed adeo firmiter adcreſcens, ut vix inde ſeparari potuerit. p. 413.

Tandem quaenam ſit conſtituentium particularum proportio, inquiſiuit Cl. Auctor, octo unciae rite praeparatae aeruginis, aeri expoſitae, dimidiam ponderis partem amiſerunt, deſtillatio inde ſeparauit, duas et dimidiam unciam ſpiritus acidi, fortis et ingrati odoris, reſtitit in fundo materia gryſea unius et dimidiae unciae ponderis, quae commixta aequali pondere fluoris nigri & per horam calcinata optimi cupri unciam duasque drachmas dedit.

Varias,

Varias, quae reſtant, conditiones enucleare promittit alio adhuc expectando, commentario Cl. Auctor.

II.

Oeconomiſch-Phyſicaliſche Abhandlungen. Siebender und achter Theil nebſt Regiſter über den fünften bis achten Theil. Leipzig bey C. L. Jacobi 1754 und 1755. 8. Siebender Theil 16 Bogen; Achter Theil 17 Bogen.

i. e.

Oeconomico-phyſicae diſſertationes. Pars VII. et VIII.

p. 511. No. 1. *De mutatione huius uniuerſi, et in primis noſtrae telluris*, quam in ſexta parte ipſarum, quas indicamus, diſſertationum coeperat, iam pergit Cl. HOFFMANN abſoluere diſquiſitionem.

p. 566. *No. 2. De ouis ſpuriis* (*Spureyer*) diſſerit auctor anonymus. Omne quidem, quod viuit, animalium genus ex ouo naſcitur, quin et plantis ſua data ſunt oua, nimirum ſemina; ea tamen tantum, quae ponuntur ab omni auium genere, atque in primis a gallinis, ouorum nomen ſibi vindicare videntur. Quam etiam Noſter adſumſit oui ſtrictiorem ſignificationem, deſcripturus, quae interdum ponunt gallinae, oua dicta *ſpuria*. Quo vero clarior horum euaderet idea, oui perfecti partiumque eius praemittitur deſcriptio, atque hanc excipit breuis variarum, quae ſaepe occurrunt, monſtroſorum et imperfectorum ouorum ſpecierum recenſio. Ad imperfectorum claſſem referuntur etiam haec *oua ſpuria*, quorum figura plerumque eadem fere eſt, ac perfecti oui gallinacei, interdum tamen abludit longitudine, interdum globoſitate. Ipſorum in primis magnitudo differt,

differt, quae ſaepe vix partes tres digiti unius in diametro adaequat. Teſta plerumque eamdem, ac perfecti oui, habet duritiem, colorem ac laeuitatem. Internae quidem partes a naturali conditione ſaepe non recedunt; frequentius tamen vitelli copia, color, conſiſtentia; puncti ſalientis defectus vel nimia fluiditas; reliquarum denique partium mutata conditio inſignem a perfecti oui natura offerunt conſpiciendam differentiam. In originem porro ſpuriorum ouorum inquirens Cl. Auctor, fabuloſas vulgi de eadem primum enarrat opiniones, easque ſimul, tamquam rationi ſanae repugnantes, fuſe ſatis refutat, oſtendendo neque a faſcino, neque a gallis gallinaceis, neque a gallinarum cum cane, fele vel ſerpente coitu, aliisue tandem cauſis ſimilibus deriuari iure quodam poſſe. In morbo potius gallinarum quaerenda eſt origo ouorum, quae vocant ſpuria. Vtrum vero vitium ouarii, an impeditus ouuli in uterum tranſitus, eiusque inde in tubis formatio, an denique debilitas quaedam gallinae, vel a morbo, vel ab alimento, vel ab aetate inducta, cauſae eſſe poſſint eiusmodi ouorum formationis proximae, dubitat Noſter, atque quamlibet ex tribus hiſce cauſis ſolam explicandae illi geneſi vix ſufficere demonſtrat. Suam hinc, quae ipſi viſa eſt veri ſimilior, hac de re ſententiam quum exponat, recenſitas illas tres cauſas coniungit, ſequentem arbitratus geneſin fieri in modum. Pone, gallinam quamdam eſſe ſanam atque validam, ouumque fouere in matrice mox excludendum; eamdem vero, aliud dum ſeparetur ex ouario, et in matricem tentet tranſire ouulum, ſubito corripi languore, viriumque pati proſtrationem maximam, quo fiat, ut omnes machinae eius langueſcant cito actiones, ſecretiones ſuccedant lentius, ipſiusque ouuli ex ouario tranſitus aeque, ac formatio ipſa multum impediatur. En! oui ſpurii geneſin! Poteſt tamen etiam haec multis ſaepe modis variare geneſis,

prout

prout cauſae plures vel pauciores concurrant, atque hac illaue ratione agere modo teneantur, modo prohibeantur. Vſum tandem eius modi oui ſpurii quod attinet, licet foecundum non ſit, cibique loco adſumere, vel nauſea vetet, vel parua, quam continet, alibilis materiae copia, illud tamen variis, iisque ſuperſtitioſis nimium, modis tractare atque reiicere velle, nulla prorſus ſuppetit ratio.

p. 596. *No.* 3. *Continuata morbi boum* exhibetur *deſcriptio.* Sicuti alio iam tempore * ex variorum auctorum ſcriptis, inter bruta animalia, atque in primis boum genus, graſſantium morborum hiſtoriam illuſtrare coeperat Cl Auctor anonymus; ita nunc ex Ill. DE FISCHER libro, quem ſcripſit de re ruſtica Liuoniae **, ex Cl. HANOVII rarioribus phyſicis atque oeconomicis ***, quae ipſi recenſuimus utriuſque auctoris ſcripta, atque ex Cl. SCHREBERI collectione edictorum, in terris boruſſicis propter luem bouinam emiſſorum, quae eiusdem morbi ſpectant ortum, cauſas, remedia omnemque curationem, fuſius recenſere idem pergit, non nulla, quae ipſe obſeruauit, ubique interſpergens notatu haud indigna momenta atque conſilia.

p. 638. *No.* 4. *De mutatione climatis meditationes* non nullae leguntur.

p. 651. *No.* 5. *Deſcriptio agri Torgauienſis oeconomico-geographica.*

p. 672. *No.* 6. *Epiſtola auctoris illius, quae de cancris agit,*

* *Oeconomiſch - Phyſical. Abhandl.* P. III. p. 604. ſeq. et Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 73.

** ibid. Vol. III. P. II. p. 333. ſeq.

*** ibid. P. III. p. 515. ſeq.

agit, diſſertationis * legitur. Ex qua intelligimus auctorem eius fuiſſe Ill. RVDOLPHVM CHRISTIANVM A BENNINGSEN, qui ſeueriorem nimis cenſuram, qua ipſam eius de cancris diſquiſitionem perſtrinxerat relationum Berolinenſium auctor, declinare de ſe modeſte ſtuduerit.

No. 7. *Supplementum tractationis de emendando thermometro Florentino*, quod in ſexta parte harum diſſertationum oeconomico-phyſicarum inceperat, Cl. ORTH nunc pergit abſoluere. p. 680.

No. 8. Cll. DV HAMEL et DE BVFFON diſquiſitio cauſae circulorum ligneorum in arboribus, atque declinationis eorum a circuli figura, cet. ex *Memoires de l'Acad. Royale de Scienc. de Paris, ann.* 1737. translata exhibetur cum additis ab anonymo adnotationibus. p. 737.

In octaua parte ſequentes occurrunt a nobis recenſendae diſſertationes:

No. 1. *De cochleis commentatio.* Etſi completam totius cochlearum generis hiſtoriam naturalem ſeſe haud tradidiſſe, ſed earum tantum, quas Saxonia alit, oeconomico-phyſicam exhibuiſſe deſcriptionem, ingenue fatetur Cl. Auctor anonymus; ipſe tamen non nulla memoratu omnino digna propoſuiſſe nobis viſus eſt momenta, quae noſtris indicari merentur lectoribus. Quum vero huc transferri non poſſint, quae copioſe dicta ſunt de cochleis, omnia, praemiſſa breuiter totius huius tractationis ſciagraphia, pauca poſt de cochlearum fabrica inde adducturi ſumus. p. 766.

Data

* *Oeconomiſch-Phyſical. Abhandl.* P. VI. n. 1. p. 260. et Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 524.

Data igitur ſub initium cochleae deſcriptione, generalique eius in ſua genera et ſpecies, ſeu potius varietates, facta diuiſione, ſingulas ſigillatim perluſtrat Noſter, et quid proprium cuilibet ſit, quibusue ſe ab aliis diſtinguat notis, recenſet; generalem poſt haec cochlearum exhibet anatomen, omnem earum deſcribendo breuiſſimis fabricam; hanc ſequitur uſus harum partium expoſitio phyſiologica, et nutritionis, motus, generationis, reliquarum, quae ab iis perficiuntur, actionum ſuccincte docetur modus atque ratio. Conſideratis deinde, quae cochleis nocent, ipſarum, quam in oeconomia adferunt, utilitas, vel etiam noxa, enarratur ab Auctore; quibus tandem iuncta eſt variorum, quibus priſcis iuxta ac noſtris temporibus, variis in terris, conſeruari ſolent et ſaginari, modorum deſcriptio, non nullorumque, quae in limacibus, licet fruſtra, circa detegendam purpurae originem inſtituta ab ipſo fuerunt, tentaminum breuis recenſio. Haec itaque eſſet ſumma totius de cochleis commentationis; iam pauca adhuc addere
p. 794. iuuat de earum fabrica. Caput cochlearum ſemper durioris eſt et cartilagineae ſubſtantiae, ſuoque praeditum cerebro, reliquisque, quibus gaudent animalia cetera, partibus. Oculorum ſitus et fabrica in diuerſis diuerſa obſeruatur ſpeciebus. Cochleae terreſtres gerunt in antennarum, quarum ſunt quatuor, apice poſitos oculos; ſunt autem inſtar globi vitrei, cuius mediae parti nigricans adfixa eſt membranula, ex qua neruus opticus vario flexu progreditur, atque ad cerebrum uſque, quod ipſi praebet originem, continuatur. Superiorum oculorum nerui optici ex capite orti, poſterius transuerſim inter ſe coniuncti ſunt; inferiorum autem nerui ſua ab aliis duobus neruis, ſerpentino tractu circumuolutis, capiunt primordia. Haec Noſtro debetur obſeruatio, diuerſa ab aliis. Limaces, ſeu cochleae aquaticae, duos tantum habent oculos, immobiles, retrahendi ſeſe vi

deſtitu-

deſtitutos; neque poſiti ii ſunt in antennarum apicibus; ſed limax fluuiorum et ſtagnorum eosdem in anteriori capitis parte, veluti duo nigra grana, intus ſitos gerit; in limace vero operculato peculiari adfixi neruo, in antennis a latere extrorſum collocati deprehenduntur. Antennae ipſae, quae per mediam ſui partem oculos neruosque eorum ire atque redire ſinunt, ex minimis dicuntur compoſitae eſſe glandulis, valde ſenſibilibus: cochlearum terreſtrium antennae ſimul cum oculis in ſe reuoluuntur facillime; illae limacum non aeque. Hae ex tendinibus magis conſtructae ſunt ſenſilibus, modo rotundae et acutae, modo planae et expanſae, ipſisque aurium loco inſeruire viſae. Lapis, neſcio, quem multi in cochlearum capite inueniſſe gloriantur, a Noſtro numquam inuentus, interdum tamen parua in ſyncipite obſeruata fuit eminentia, piſi inſtar, pellucida, atque ab externa forte orta laeſione. Data porro cochleis ſua ſunt viſcera aeque, ac aliis animalibus, vitalibus naturalibusque perficiendis inſeruientia actionibus; propria autem prae aliis tria habent organa, *meconium* ſiue *papauer*, *ſacculus purpurae*, et *ſagitta veneris*. *Meconium* ſiue *papauer*, ſiue etiam *ſacculus calcareus*, eſt receptaculum glanduloſum, iuxta hepar plerumque poſitum, calcarea refertum materie, fuſci coloris vel obſcure ruffeſcentis, cuius uſus valde adhuc ambiguus, forte tamen in ſecernenda, qua ſuam domum cochlea ſtruat, augeat, reparet, materie poſitus eſſe Noſtro videtur. *Purpurae ſacculus*, quibusdam duntaxat datus cochlearum ſpeciebus, ſaepe ex pallido flaueſcens, ſaepe totus pallidus, inter cor atque hepar ſitus eſt, tenacique refertus humore. *Sagitta* tandem *veneris*, quam vocant, paruum os eſt inſtar ſpinae piſcium, intus cauum, muſculis ſuis praeditum, antrorſum in acutum valde abit apicem triquetrum, perficiendoque in primis inſeruit congreſſui venereo. Organa generationis utriusque ſexus in uno eodem-

que indiuiduo poſita, id, quod ab aliis iam obſeruatum diu fuit declaratumque fuſius, Noſter etiam obſeruauit, ſuaque confirmauit iterum experientia.

p. 861. *No. 2. De apibus phyſico-oeconomica commentatio.* Similis praecedenti de cochleis, haec de apibus eſt diſſertatio, eoque minus non ingrata ac inutilis futura viſa omnibus, qui ſcientiam naturalem coniunctim colunt cum oeconomica, quo maior ab apum cultura in rem domeſticam redundat utilitas. Atque hanc etiam ſibi vel ſolam perluſtrandam ſumſit Noſter, omnemque viginti et quatuor capitibus abſoluit tractationem; inde ſi qua phyſicam apum illuſtrant hiſtoriam, pauca iuuabit adducere, plura ſi quis poſtulet, egregium de apibus opus inueniet in ſollertiſſimi SWAMMERDAMII *Naturae Bibliis.*

Primum caput naturam apum exponit atque fabricam. Generalem hinc, quid ſit apis, praemiſſam deſcriptionem breuis ſequitur ſtructurae partium eius conſideratio. Caput ſuo refertum eſt cerebro, oculique ſuis gaudent humoribus ac tunicis. Antennae ex minimis conſtructae ſunt nodulis flexilibus non minus ac ſenſibilibus. Os duas habet maxillas atque proboſcidem: illae acutae valde et ſerratae, a laeua ad dextram adſcendendo, diſcedunt a ſe inuicem, datae loco dentium; hic autem longus, acutus, flexilis, intra quatuor lamellas cauas, veluti in vagina, deliteſcit, et linguae munere fungens mel ſugit. In thorace cor poſitum eſt cum reliquis viſceribus vitalibus. Alae binae ſuperiores maiores ſunt, volatui in primis inſeruientes; binae inferiores minores ſunt, ſuperiorum iuuant actionem, atque inter volandum cient bombum quendam ſiue ſuſurrum. Pedes, ex multis compoſiti articulis, in duas recuruatas acutasque ungues terminantur, inter quas duo quoque poſita ſunt tubercula ſpongioſa. Venter ex ſex annulis conſtructus, ſibi inuicem ſuperimpoſitis, et

elongari

elongari facile poteſt et rurſus abbreuiari; continet vero in ſe, praeter inteſtina, *veſicam melliferam* et *eam veneniferam*, itemque aculeum. Illa eſt Noſtro viſa folliculus membranaceus, cryſtalli inſtar pellucidus, in quo mel praeparatur, et inde poſt haec per os defertur in fauos; cuius tamen nulla in laudati SWAMMERDAMII opere quum facta ſit mentio, an forte ventriculum, qui ſaepe pellucidus obſeruatur et melle refertus in apibus, pro veſicula mellifera Noſter habet? Veſica contra venenifera eſt folliculus ad radicem aculei poſitus, qui ab aliis quidem pro cyſtide fellea venditatur, Noſtro tamen, ob ſitum peculiarem humorisque effectus noxios, videtur omnino ſibi vindicare nomen veneniferi. Aculeus tandem, nudo oculo ſimplex viſus, duorum tantum vagina eſt aculeorum quam ſubtiliſſimorum; Vagina haec ſuis adfixa muſculis, acutum abit in apicem, inter pungendum primam qui infert laeſionem, duoque inſuper habet oſtiola. Aliud paullulum ſuper extremum apicem aperitur, venenumque transmittit in vulnus ex folliculo venenifero; alterum eſt in ipſo apice patulum, ex quo bini emittuntur aculei, paruulis a latere inſtructi recuruis hamulis, qui ſemel immiſſi in vulnus, prorſus non poſſunt inde retrahi, niſi ſimul cum vagina et folliculo e ventre extrahatur aculeus, certaque ipſam apem inde maneat mors. Organorum genitalium nulla prorſus facta mentio, diuerſaeque diuerſarum in apibus partium fabricae intacta relicta fuit expoſitio. Senſibus internis iuxta ac externis gaudere apes breuiſſimis declaratur, atque admirandi earum regiminis, fuſe deſcripti ab aliis, mittitur contemplatio, miſſis ſimul, quae mouentur circa regem apum, fucos, et apes operarias, earumque in primis ſexum, dubiis. Suum denique opus in occulto quum perficiant apes, ut Noſter putat, ipſius quoque mellis praeparandi fauorumque conſtruendorum modum admirandamque haud ſatis

rationem cognoſcere datum nobis non eſt. De cultura apum inde in pluribus agitur paullo copioſius capitibus, doceturque apiariorum ſtatio apta, ſitus et ſtructura, aluearium differentia, ſtruendi ratio,
p. 911. delectus. Porro ea, quae nocent apibus, enarrantur peculiari capite; nocent autem ipſe homo, varia animalia bruta, quadrupedia aeque, ac aues, atque inſecta, item omnis fumus, rubigo, venti, imbres,
p. 922. praua tempeſtas. Sunt etiam apum morbi, macies, fluxus ventris, tormina, putrida proles, tandem vermes. Languorem peculiarem vexare apes cognoſcitur, quando ex aluearibus ſuis, ſereno licet aere, non prouolant, ſed domi remorantur, pluresque, ac alias ſolet, inter ipſas numerantur mortuae. Cauſae huius mali ſunt fames, tempeſtas pluuioſa, ros melleus, obitus regis. Ventris fluxio critica apibus ſolet eſſe excrementorum euacuatio, quorum parca, vel nulla per hiemem ab iis facta ſit depoſitio, vere nouo accedente repetenda. Redit enim haec quotannis in ſalutem apum. Tormina contra, ſiue ventris fluxio ſanguinolenta periculoſior omnino eſt, et ex materie ruffa, quam, velut cruoris grumulum, ante limina deponunt aluearium, earumque languore ſingulari cognoſcitur, tunc autem potiſſimum naſcitur, quando vere nouo, tempeſtate frigidiori adhuc ventisque agitatis vehementius, uno impetu e ſuis egrediantur aluearibus, nociuisque, ob bonarum defectum, inſidere teneantur plantis. Putrida proles (*faule Brut*) tamquam peſtis omnem non modo apum ſubito in perniciem abigit cohortem, verum ipſa etiam deſtruit aluearia, ſuam inde trahere viſa originem, ſi apes ſuper cadauere aliquando inſederint, putridumque in fauos ſecum attulerint pabulum; ſi proles intempeſtiuis ſuffocentur ſuffimigiis; ſi aluearium male mutantur ſtationes, eaque inde contrahant ſitum; aliae denique plures ſi concurrant ſaepius cauſae. Vltimo loco occurrunt etiam vermes,

apibus

apibus infeſti hoſtes, qui vel ſua ſponte, id, quod noſtris nullus adfirmaret temporibus, vel a neglecta aluearium repurgatione, vel a variis papilionum erucarumque ſpeciebus naſcuntur in aluearibus. Con- p. 926.
tra hos hoſtes atque morbos commendantur a Noſtro quoque remedia varia atque medicinae; laudantur in primis foeniculum, meliſſa et radix meu, unde docetur parare puluerem, unguentum, ſuffimigia, conſeruandae apum ſanitati iuxta, ac praecauendis aut abigendis eorum morbis conuenientiſſima; nec non contra ipſum apum ictum varia commendata inueniuntur hic conſilia ac medicamina. Quibus co- p. 939.
pioſe ſatis expoſitis, porro Cl. Auctor apum cultorem docet omnem, quibus opus habet, inſtrumentorum varii generis apparatum, atque ab his ad conſiderandas ipſarum apum differentias et ſpecies ſeſe conuertit. Quarum quidem ſex putat eſſe, ad mini- p. 948.
mum in Germania, ſpecies, nimirum *regem* ſic dictum; *apes domeſticas* ſiue *hortenſes*; *apes virgineas*; *fucos* (*die Zähren*); *apes ſylueſtres*; *apes* deniqne *rapaces*: veraene autem rex apum, domeſticae, et fuci, in uno eodemque ſimul degentes alueari, dicendae ſint ſpecies, an unam conſtituant ipſae ſpeciem, Noſter non determinauit, e recentioribus naturalis hiſtoriae ſcriptoribus ultimum adfirmant plurimi. Eſt autem *rex apum*, Cl. SWAMMERDAMIO *foemella* dicta, domeſticis apibus paullulum maior, longior atque flauidior; aculeo carere dicitur, quem tamen obſeruauit in foemella Cl. SWAMMERDAM; pedes longiores ſunt, alae breuiores, alba in fronte macula; vox validior; nihil agit ipſe, praeter quam quod, vere ineunte, nouos regulos, apes et fucos generet, fucosne omnes idem gignat, Noſter putat eſſe res ſcitu maior. *Apes domeſticae*, quas vocant alii *operarias*, omnibus notiſſimae, vix egere videntur uberiori deſcriptione. *Virgineae* autem eaedem ſunt, ac domeſticae, colore tantum magis gryſeo tinctae,

 ſuumque

ſuumque inde ſortitae nomen, quod feruente aeſtate, ab examine apum iuuene ſtatim iterum progenita haec noua fuerit proles. Sequenti anno ab reliquis prorſus non differunt, viuere tamen hunc terminum ipſis vix datum eſt, quum, quod proſtat in officinis pharmaceuticis dicta virginea cera virgineumque mel, ex his parari dicatur apibus. *Fuci* (*Zähren*), vocati rectius *mares*, regem longitudine aequant, craſſitie ſuperant, validoque, quem cient, ſuſurru, multum adeo diuerſi ab operariis. Aquas adferunt, fauos ſtruunt, proli incubant nouae. Plus iuſto ne conſumant mellis, edaces hos pellunt necantque media aeſtate omnes reliquae apes operariae. *Syluestres*, ſuo rege ſuisque comitatae fucis, minores ſunt domeſticis, craſſiores, hirſutiores, coloris magis fuſci, ferociores, haud ignauae tamen, facilique negotio vocandae ac colligendae in aluearia. *Rapaces* tandem apes domeſticis multum ſimiles, obſcurioris tantum coloris, cognituque adeo valde difficiles ſunt; exinde tamen, quod timidae magis circum aluearium limina volantes recuſant ingredi, neque umquam cera onuſtae pedes obſeruentur, a reliquis diſtingui poſſunt.
p. 954. Quibus hoſce hoſtes remouere, necare, debeat apum cultor, modi peculiari capite docentur variaque commendantur conſilia. Reliqua, quae ſequuntur capita, uberius agunt apum de cultura, multasque de earum pabulo, de examinandi modo, differentiis, de noua prole, de mellis colligendi depurandique ratione, de cera denique ipſa exhibent obſeruationes, ſcituque valde neceſſarias apum cultoribus regulas.

III.

III.

An Eſſay on the Lime-Water in the Cure of the Stone. The ſecond Edition corrected, with Additions. By ROBERT WHYTT, M. D. F. R. S. Fellow of the Royal College of Phyſicians and Profeſſor of Medicine in the Univerſity of Edinburgh. With an Appendix, containing the Caſes of the Right. Hon. HORACE WALPOLE, Eſquire; the Reverend Dr. NEWCOME, Canon of Windſor, etc. Edinburgh; printed by Hamilton, Balfour and Neill. 1755. 12. mai. pag. 213.

i. e.

De virtute aquae calcis viuae in curando calculo tentamen. Editio altera aucta. Auctore ROBERTO WHYTT, Prof. Medic. Edimburgenſi.

Quo grauiores a calculo ortae ſolent eſſe moleſtiae, quoque difficilior unaque etiam periculoſior manu chirurgica ei medendi huc uſque deprehenſus fuit, varia ſaepe ratione mutatus modus; eo maiori ſemper ſtudio remedia quaeſiuerunt medici, quibus emolliendo illum, ſoluendo indeque etiam ex corpore facilius eliminando, humorumque ad eius geneſin valde procliuem immutando indolem, ſuos miſere hoc modo excruciatos aegros iuuare poſſent. Vel nobis quoque non monentibus ſingularis, quam Angli prae aliis hac in re praeſtitere, inter omnes conſtat opera, adeo, ut ſumma illorum procerum curia anno huius ſeculi triceſimo nono, a nobili illa femina, cui STEPHENS nomen fuit, ſtipendio ſatis inſigni famoſam iſtam lithontripticam redimeret medicinam, cuius praecipuam partem ſaponem eſſe nos

omnes nouimus. Hinc autem, quum et inutilia aeque ac nimis nauſeoſa ingrederentur hanc compoſitionem, aliis data fuit ulterius in horum medicaminum inquirendi naturam occaſio, inter quorum referre prae aliis numerum decet Cl. WHYTT, quippe qui iam ante decem plures annos *Edimburgenſium medicorum tentaminibus* * inſeruerat commentarium de aquae calcis viuae praeſtantia contra calculi morbum inſigni. Ab eo tempore in ſemet ipſis multi eximiam eius experti fuerant ideoque publice collaudarant utilitatem, prout in noſtris etiam commentariis legere licet de Ill. WALPOLE relatum **. Qua igitur re permotus Cl. Auctor illam ſuam denuo examinauerat commentationem, eamque variis experimentis et annotationibus auctam, ſub forma ſingularis libri ediderat ante hos tres annos, cuius uberiorem adhuc mentionem ad lectores noſtros facturos nos eſſe promiſeramus. Omnibus autem, quae tum temporis prodierant, eius exemplis diuenditis, aliud nouae huius denuoque auctae editionis ad manus noſtras peruenit, in qua in primis unum alterumque caſum ſatis memorabilem ipſi libro adiectum eſſe deprehendimus. Quamuis interim totius rei ſummum argumentum ex Edinburgenſibus tentaminibus ſatis iam conſtare arbitremur; attamen ut datam liberemus fidem, breuiores in eo quidem recenſendo nunc erimus, deinque tamen ex iis potiſſimum, quae addita nuper fuere, aliqua commemorabimus.

p. 3. Quum remedii a STEPHENS commendati uſum contra calculum omnino interdum fuiſſe proficuum; varia tamen illum comitari incommoda Cl. Auctor intelligeret, paulo accuratius in medicinae illius naturam agendique modum inquirendo inuenit, vires eius

* vid. *Medical Eſſays and Obſervations reviſed and publiſhed by a Society in Edinburgh. Vol. V. Part. II.* p. 667.

** vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 10 et 52.

eius praecipuas ab addita pendere calce, ideoque hanc ſolam, ſi nimirum aqua eius vocaretur in uſum, calculo non ſoluendo ſolum ſatis fore idoneam, ſed et varia, quae ab acri cauſticaque calcis indole, niſi ea ſatis fuerit diluta, oriri ſaepe obſeruauerat, ſymptomata optime praecaueri poſſe. Quod deinde ex principiis chemicis illatum, variisque ideo inſtitutis experimentis comprobatum, iudicium ab experientia quoque confirmari animaduertens, quin nunc totam rem publici iuris faceret, nullus dubitauit. Poſtquam igitur variis, quae ideo ſuſceperat, tentaminibus ſatis certus eſſet de praerogatiua, quam calx ex oſtrearum, concharum ouorumque teſtis parata habet prae illa, quae ex communi lapide calcario confici ſolet, ex eadem quoque hanc medicatam aquam ſequenti methodo praeparandam commendat. Ante omnia illae teſtae ignis ope reducantur in cal- p. 33. cem friabilem penitusque candidam; alias enim, ſi nigricantes nimirum maculae iis adhuc inhaereant, ingratum inde ſulphureumque ſaporem aqua nanciſcitur. Uni deinde librae eo modo recens calcinatorum oſtracodermatum ſeptem octoue infundantur aquae feruentis librae, tumque per nouem aut decem horas ſuper illam ſtent, ut viribus eius ſufficienter impraegnetur aqua. Iuſtum enim modo obſeruetur tempus, quo ſuper calcem relinquatur aqua, ſemper adhuc debitas acquirit vires, ſi vel decies vel quoque ſaepius idem eius pondus ſuperinfundatur; licet negari nequeat, calcis vires ſenſim ſenſimque imminui ideoque etiam minores poſt aliquod tempus inde redundare in aquam.

Ratione, qua praeparari debeat iſta aqua, iam p. 136. enarratae, illius quoque adhibendae modum paucis nunc ſubiungamus. Quouis nimirum die ſaponis Hiſpanici unciam unam in tres doſes diuiſam, ſub forma cuilibet aptiore viſa, adultus aeger deuoret, ſuperhauſtis tribus aquae calcis libris vel maiore etiam

eius

eius copia. Ab initio utriusque remedii doſis eſſe quoque poterit minor, ſenſim ſenſimque magis aucta et per longum temporis ſpatium continuata; vel etiam mitiore aqua incipi poterit curatio. Pauca lactis addita copia, vel iuniperi baccae cum calcis aqua coctae nauſeoſum eius ſaporem obtundent. Quodſi calx ex oſtrearum teſtis parata non ad manus ſit, ei quoque ſubſtitui poterit alia ex lapide calcario parata. Sapo non propter diſſoluendi ſolum, qua gaudet, indolem, ſed etiam propter vim quodcunque acidum in primis viis forte obuium immutandi
p. 140. aluumque ſeruandi apertam commendatur. Per totum curationis tempus ab omnibus acidis fermentatisque potus generibus, cibis multo ſale conditis et melle, quippe quae cuncta oſtracodermatum aquae viribus contrariantur, abſtineat aeger; bibat vero aquam cum lacte vel ptiſanam ex althaeae, petroſelini atque liquiritiae radicibus coctam. Vrinam ſemper, quam diu poterit, retineat; doloribus autem a calculo nimium increſcentibus, per aliquot dies haecce ſeponat remedia; ſitim vero atque calorem, ſi forte accidat, ſpiritu nitri dulci temperet. Si quis etiam ab omni ſaponis uſu abhorreat, eum quidem
p. 146. poterit omittere; eo autem copioſius bibere debebit iſtam aquam, quae iis quoque conuenit, qui nullum quidem in veſica gerunt calculum, a nephriticis tamen doloribus, ab inhaerente ſabulo ortis, vexantur. Quo in caſu unam modo eius libram quolibet mane bibere ſufficit. Mingunt tales aegri urinam craſſam, fuſci coloris potuique Coffee ſimilis, qui a ſanguine tarde et pauca ſaltem in quantitate ex eroſis vaſculis exſtillante ideoque in nullos abeunte grumos oritur. Decocta mucilaginoſa, praeter calcis aquam, optimum contra hunc affectum praeſtant uſum, uti et opium pro re nata porrigendum. In tranſitu monet Cl. Auctor, ſanguinem eodem modo in ventriculum coactum, ibique a mora eundem colorem

nactum,

nactum, ſi vomitu reiiciatur, decipere poſſe medicum, exiſtimaturum nempe, atram bilem reiici.

De curatione calculi, quae per iniectionem aquae huius in veſicam fieri poſſe dicitur, et quam olim Cl. Auctor primum commendauerat, plura nunc addita legimus iis ſimilia, quae ex Cl. BVTTERI commentario nuper recenſuimus *. Praeter haec, multa quoque vel repetita vel nuperrime capta experimenta nouasque annotationes paſſim adiecit huic libro Cl. Auctor, quae naturam calcis, eius aquae vires ſpecificasque grauitates, concernunt. In primis *ſectio undecima de ſingulari aquae calcis actione in diſſoluendo calculo* prorſus noua eſt, nec in priore commentario reperiunda, ex qua pauca adhuc extrahere lubet. p. 148. p. 126.

Omnis calculus aqua, terra, aere, ſale atque oleo conſiſtit. Aqua non, niſi ignis vi, expellitur; terra vero quam maxime fixa eſt neque mutari poteſt. Quaeritur itaque: in quodnam ex reliquis potiſſimum principiis agat aqua calcis? In aerem haud agere cum inde patet, quod calculo in vaſe clauſo ſuperinfuſa nullum excitet. A ſpiritu nitri vero vel aqua forti contrarius obſeruatur effectus, ita, ut uterque hic ſpiritus ideo ſoluere poſſe calculum videatur, quoniam aer reliquas partes conſtitutiuas quoad copiam longe ſuperat. Subtiles autem valdeque attenuatae partilae, in aqua calcis diſperſae, oleoſis calculi particulis ſeſe iungunt, eas extrahunt, indeque ſolidae eius compagi diſſoluendae inſeruiunt. Omnium tamen maxime ſalinam calculi partem oppugnari ab ipſa aqua inde colligere licet, quod calx ſal ammoniacum reddit volatile, eundemque, etſi minus conſpicuum, effectum aqua eius praeſtet; hoc autem ipſi urinae atque calculi ſalibus quam ſimillimum eſſe experimenta probant. Calx enim eiusque aqua cum urina vel calculo p. 128.

* Conferas nimirum, ſi velis, libellum eius *de methodo calculum per iniectiones curandi* nuper a nobis indicatum. Comment. noſtr. Vol. IV. P. II. p. 273.

culo mixta penetrantem ſalis urinoſi exhibent odorem. Aqua haec porro ſabulo tali affuſa, poſtquam maximam eius partem diſſoluerat, eundem odorem, ſaporem ſimilem, luteumque nacta fuit colorem, quem aeri libero expoſita, poſt tres etiam dies retinuit, binis illis reliquis effectibus prorſus euaneſcentibus. En color a craſſiori calculi oleo, odor vero a ſubtili eius parte cum ſalina mixta et utraque volatili
p. 131. reddita! Notari meretur, quod non urinae tantum ſalia inde fiant volatilia, verum etiam ſanguis recens e vena miſſus et cum aequalibus aquae calcis partibus combinatus immediate afferat empyreumaticum et urinoſum odorem. Interim ſola huius remedii virtus non in ea re ſolum conſiſtit, quod calculi ſalia euoluat, ſed totam eorum naturam prorſus deſtruat, ita, ut cum acidis ulterius non efferueſcant neque in ſolidam aliquam figuram reduci iterum poſſint; qua in re calcis effectus ab eo, quem praeſtant alcalina fixa ſalia, differt, quippe quae calculum quidem candidiorem magisque friabilem et aliquo modo poroſum reddunt, eum vero non diſſoluunt, licet ſimili modo, uti calx, in ſal ammoniacum agere obſer-
p. 133. uentur. Quam efficacem autem calcis virtutem in diſſoluendo urinae calculo et experimenta demonſtrant, et experientia comprobauit, tam inutilis tamen eſſe deprehenditur contra calculoſas a bile ortas concretiones. Has vero ſoluit lixiuium e ſale tartari paratum, quod urinae tamen calculum intactum relinquebat; id, quod fit ſine dubio, quia bilioſi calculi abundant oleo, cum quo facile ſe unit tartari ſal; minus autem ſalis continent: iſti vero in urina generati contrariam habent indolem, plus ſalis fouent, in quod in primis calx agere iam dicta eſt.

Caſibus illis, quos olim iam paſſim enarrauerat Cl. Auctor, de felici huius aquae in non nullis aegris obſeruato euentu, eam nunc ſubiunxit notitiam, quod et ſequenti tempore illi vel prorſus liberi manſerint

ſerint ab omnibus calculi ſymptomatibus, vel, ſi duritics eius omnis medicamenti vi nimis reſtiterit, aut aegrorum quoque patientia ad diuturnum remedii uſum neceſſaria nimis cito imminuta fuerit; aſperam tamen et angulosam calculorum ſuperficiem ita laeuigauerit aqua calcis, ut nullae amplius inſignes noxae inde prouenerint.

Appendix libro addita tres nouos continet caſus, p. 187.
qui laudatae aquae uſum confirmant. Primus eſt Ill. HORATII WALPOLE, ab ipſomet conſcriptus et Actis Londinenſis ſcientiarum Societatis inſertus, a nobis ſuo tempore iam enarratus *. Eam vero, quam adiecit Noſter, repetamus notitiam, quod ille ad menſem uſque ſeptembrem ſuperioris anni 1754, ſaponis et aquae calcis uſum ita continuauerit, ut illius unciam, huius vero tres menſuras (*pints*) quotidie uſurparit optimeque inde ſeſe habuerit reſpectu integrae corporis ſui ſanitatis. Poſt illud vero tempus minorem ſaponis quantitatem, propter aluum inde nimis laxam factam, ſumere coepit. Secundus p. 202.
caſus viri, nephriticis doloribus valde excruciati et huius potiſſimum remedii ope inde liberati. Per longius quam duorum annorum ſpatium nullum alium potum, excepto Theae infuſo, quam iſtam aquam is aſſumſerat et per unum circiter annum ſaponis ſimul uncia una quotidie uſus fuerat. Notari adhuc meretur experimentum, quod idem ille vir, dum ſola calcis aqua utebatur ſine ſapone, per quatuor menſes fecit. Calculum enim unius et triginta granorum immiſit phialae, eumque bis in die ſingulo ſua, quam minxerat, lente irrorauit urina, quo tandem effecit, ut omnis ille fere diſſolueretur calculus, ſex tantum granorum remanente maſſa, ita tamen exeſa, ut tota fere dehiſceret. Vltima tan- p. 211.
dem calculoſi viri hiſtoria ſingularem calculi, manu chirurgica poſt uſum illius aquae exſecti figuram exponit.

* *loc. ſupra cit.*

ponit, de qua tamen, quum dubia calcis in eum fuerit actio, plura iam diſſerere nolumus. Alio interim iam tempore induſtriam atque ſcientiam Cl. Auctoris laudandi habuimus occaſionem: in facienda tamen medicina earumque, quae proxime ad eam faciunt, ſcientiarum cognitione feliciorem, quam in explicanda ſani hominis theoria, nobis eum videri confitemur.

IV.

D. PHILIPP CONRAD FABRICII, *Herzoglich-Braunſchweig-Lüneburgiſchen Hofraths, Profeſſoris Medicinae Ordinarii zu Helmſtedt, der daſigen mediciniſchen Societaet Praeſidis, und der Römiſch-Kayſerlichen Academie der Naturforſcher Mitglieds, Sammlung einiger mediciniſcher Reſponſorum und Sections-Berichte. Helmſtedt, gedruckt bey Paul Dieterich Schnorren. 1754. 8. 6 Bogen.*

i. e.

Collectio reſponſorum aliquot medicorum cum quibusdam relationibus de ſectis cadaueribus. Auctore PHILIPPO CONRADO FABRICIO, Profeſſore Medicinae Helmſtadienſi.

Quaeſtiones diiudicatu ſaepe valde difficiles a iuris conſultis proponi ſolent medicorum collegiis, de quibus ſuum ferant iudicium, quod deinde ſaepius adhuc a cauſarum patronis oppugnatur; quo fit, ut medici omnem adhibere debeant attentionem atque induſtriam, ne quis ipſos negligentiae aut ignorantiae arguat. Gratias itaque meretur eorum ſtudium, qui eius generis caſus colligunt publicique iuris

iuris faciunt, ex quorum hiſtoria in primis artis tirones, aliquam capere poſſunt utilitatem. Quam ob cauſam quoque iam indicatam collectionem ſilentio praeterire non poſſumus. Continet illa octo caſus, ad Helmſtadienſis uniuerſitatis medicorum ordinem delatos, de quibus poſtulata fuit illorum ſententia eo tempore, quo Cl. Auctor decani munere functus ideoque collegii nomine reſponſum conſcribendi gauiſus fuit poteſtate; primo tamen excepto, quod ad Ill. HEISTERI labores referri debet. Iis adiecta ſunt alia quatuor iudicia, a Cl. Auctore, qua medico tantum priuato, ſuo tempore lata, eius tamen argumenti, de quo deinde ad iudicem deferebatur.

Primus caſus concernit *infanticidium*, cuius me- p. 7.
retrix quaedam accuſata fuerat damnataque ob funiculi umbilicalis abrupti malitioſe neglectam deligationem nullamque editi partus curam habitam. Foetum enim omnibus ſuis membris perfectum poſt partum adhuc vixiſſe, a ſanguinis autem iactura periiſſe, non ipſum ſolum de obſeruata eius reſpiratione teſtimonium matris, ſed et facillime factus partus, et abſentia omnis putredinis, et cordis ventriculi cum annexis vaſis maioribus, uti et hepatis funiculique umbilicalis vaſa omni ſanguine vacua, pulmones tandem ſani viſi, eorumque diſciſſae partes in aqua ſupernatantes, ſatis confirmarunt. Acceſſit et hoc, quod infantulum frigori expoſuerit nefanda mater omnemque ipſius habendam curam neglexerit. Funiculum autem ab aliquo corporis motu paulo validiore, quem ante partum praeſtiterat mater, in ipſo utero rumpi non potuiſſe, uti callidus reae defenſor oggeſſerat, ideo negat Ill. Auctor, quod is tum fluctuet in aquis ideoque dilacerari nequeat ſine grauiſſimis ipſi matri accidentibus malis, quae tamen omnia in praeſenti caſu prorſus abfuerint.

p. 23. Secundus caſus *impotentiam monorchidi cuidam imputatam reddit dubiam*, quo vir ille a iuramento, ad confirmandam potentiae ſuae aſſertionem a iudicum tribunali ipſi iniuncto, liberatus fuit. Ipſum reſponſum hiſce innititur fundamentis: quia reliqua membrorum genitalium conformatio nihil oſtenderit, quod aliquam innueret impotentiam: monorchides porro, ex Hottentottorum exemplo generandae proli per ſe non impares ſint: accuſatrix inſuper valde ſalax viſa fuerit: tener tandem atque debilis corporis habitus in marito quidem obuius, meliore nutritu remediisque neruinis, roborantibus atque ſtimulantibus, corrigi queat, ita tamen, ut poſt eorum uſum ſpontaneam, modeſtis tamen titillationibus ſimul conceſſis, membri virilis erectionem medico atque chirurgo iuratis monſtrare debeat.

p. 29. Tertius caſus *infanticidii* ſuſpicionem a quadam femina remouet, abortumque potius iracundia excitatum fuiſſe, ex rationibus veri ſimilibus diiudicat, quantum nimirum quidem et corpus delicti, quod dici ſolet, iam terrae mandatum et ex eo dein erutum, et chirurgi imperfecta relatio ſuppeditarunt.
p. 34. Aliud *infanticidium*, propter medici relationem mutilam prorſusque imperfectam, dubium quoque exhi-
p. 41. bet quartus caſus. Quintus porro caſus *infantis* recens editi, a matre propter funiculi umbilicalis neglectam deligationem *vita ſua priuati*, hiſtoriam continet. In corde vaſisque eius maioribus ne guttula
p. 47. quidem ſanguinis inueniri potuerat. Vti ex ſexto caſu apparet, de *ſcirrho carcinomatico glandulae ſubaxillaris* ſiniſtrae conſultus fuit medicorum ordo; contra quem tamen, ob nimiam relationis breuitatem, pauca tantum monere licuit.

p. 51. Septimus caſus *infanticidii* commiſſi aliam accuſat atque damnat feminam, ob funis umbilicalis omiſſam deligationem foetuique denegatam curam, ipſumque, dum ex utero molitus fuiſſet exitum pe-

dibus

dibus prouiis, inſigni adhibita vi extractum, qua cranii oſſa conquaſſata partes contentas compreſſerint. Cui medicorum ordinis reſponſo ulterior ipſius adſertio adiuncta legitur contra audacem friuolamque ſatis medici deponentis defenſionem, quam iuſtis illorum medicorum contra ipſius relationem factis animaduerſionibus opponere non erubuerat.

Vltimus tandem totius collegii nomine diiudicatus caſus denuo *infantis* per ſuae matris incuriam *vita orbati* hiſtoriam exponit. Funis quidem umbilicalis deligatus non fuerat; foetum tamen ideo vitam haud amiſiſſe inde apparuerat, quod omnia vaſa maiora ſanguine adhuc plena deprehenderant medici obducentes. Sanguis autem ſub integumentorum capitis communium variis locis et in baſi cranii extra vaſa miſſus, uti et in vaſis membranarum cerebrum inuoluentium, ipſisque huius gyris ſinubusque lateralibus copioſe ſtagnans demonſtrauerat, infantis puſilli capiti vim fuiſſe illatam, quae forte a praecipiti violentoque foetus, dum ederetur, in terram prolapſu acciderat. p. 70.

In nono deinde articulo relatio legitur de ſecto viri cuiusdam cadauere, cuius mortis *funeſta empirici alicuius medicatione* effectae orta fuerat ſuſpicio, quam viſcerum, quae infimus continet venter, in primis ventriculi ileique inflammatio atque gangraena in cadauere reperta, et praegreſſi vehementes vomitus, cum alui deiectionibus remedia ab empirico data ſubſequentes, confirmarunt. p. 76.

Decimus caſus *de vulnere pulmonum abſolute lethali* refert, quo dexter pulmonum lobus ſub introitum aſperae arteriae perforatus fuerat, maioribus tum bronchii dextri, cum arteriae pulmonalis, ramis diſciſſis. p. 81.

Mors puerperae eiusque infantis viui in lucem editi ſuſpecta, ſed dubiae cauſae, in caſu undecimo; in ultimo autem iterum *vulnus pulmonum*, propter ma- p. 87. p. 92.

 iora

iora diſciſſa vaſa *abſolute lethale*, a Cl. Auctore enarratur atque diiudicatur. Suppeditat omnino haec, quam percurrimus, iudiciorum medicorum collectio exempla, ex quibus medici in foro verſaturi non modum ſolum diſcant, quo cadauera inſpicere et de iis ad iudicem deferre debeant, ſed ſuam quoque de vulnerum in primis lethalitate eiusque ſignis doctrinam amplificent.

V.

Obſervation ſur une hydropiſie enkiſtée de l'ovaire gauche; par Mr. SIREJEAN, Conſeiller-Medécin Ordinaire du Roi, de l'Hôpital S. Charles, Docteur aggrégé et Conſultant du Collége Royal des Médecins de Nancy. A Nancy, chez Pierre Antoine. 4. mai. $2\frac{1}{2}$ pl.

i. e.

Obſeruatio de hydrope ſaccato ouarii ſiniſtri.

Femina viginti ſex annorum alacris ſanguineique temperamenti, per plures iam annos ſcrofulis afflicta, a longo inde tempore de fixo dolore regionis iliacae ſiniſtrae conquerebatur, quem a calcis ictibus, quos ipſi pater inflixerat, ortum fuiſſe aſſerebat. Ille tamen euaneſcere videbatur, interdumque obſcure ſaltem in eum locum redibat, ipſa reliqui corporis ſanitate magis confirmata viſa. Quum deinde vero peius ſe habere inciperet, ſub finem menſis martii, anno huius ſeculi quinquageſimo tertio, a collegio Nanceienſium medicorum petebat conſilium, qui infimum ventrem inueſtigantes, eum valde intentum et in omni ſuo ambitu aequalem, rotundum tamen magis atque globoſum, ac in aſcite obſeruari ſolet, humoremque ibi etiam obſcurius atque profundius

ſundius et in diuerſo aegrae ſitu ſemper eodem modo fluctuantem deprehendebant, ſine artuum oedemate. Reliquae adhuc corporis functiones conſtabant. Adhibitis fruſtra remediis aperitiuis ac purgantibus hydragogis dictis, paulo poſt triquetrae acus ope quindecim circiter librae (*quinze pintes*) haerentis educebantur aquae, vini fecibus haud abſimilis. Ventris volumine haud imminuto, fluctuationis ſigno cito redeunte, aegra poſt unum menſem altera vice operationi ſubmittebatur, cuius tandem adeo ſaepe reiterandae erat neceſſitas, ut vix octo dierum intercederet interuallum. Quater illa et decies per totum morbi tempus inſtituta fuit. Humor effuſus ſemper aliam referebat faciem aliumque colorem, ultima tandem vice meri tantum ſanguinis aliqua ſequebatur copia, licet venter quam vehementiſſime intentus eſſet. Saepius accidebat, ut aquarum effluxus ſubito cohiberetur, nulla arte reſtituendus. Quo frequentius autem ſuſcipiebatur paracenteſis, eo grauiores fiebant ſiniſtri illius lateris dolores, fluxu interim menſtruo ſuum ordinem ſeruante. Tandem in maraſmum incidebat aegra, febrisque cum cardialgia, vomitu ac iſchuria accedens, ſub medium menſem martium anni proxime ſequentis, vitae finem imponebat.

In cadaueris deinde aperti abdomine, enormis, diſſecto peritonaeo, reperiebatur tumor, omnem abdominis cauitatem ita replens, ut alterum quaſi peritonaeum prodire videretur, nulli parti, niſi rotundo ſiniſtri ouarii ligamento, tubis Fallopianis vaſisque ſpermaticis adhaerens, quem ipſum eſſe ouarium facile tandem intelligebant diſſecantes. Epiploon arachnoideam modo referebat membranulam; inteſtina erant flaccida et pone illum tumorem repreſſa; in utraque autem et thoracis et abdominis cauitate nihil e vaſis emiſſi humidi inueniebatur. Binae ipſius tumoris cyſtici membranae tres lineas p. 7.

 erant

erant craſſae, quarum una eaque externa fibroſa, altera vero ſpongioſa et ſinuoſa apparebant. Cauitas eius in multas alias minores, et hae in plures alias cellulas diuerſae magnitudinis atque figurae diuidebantur, quarum plurimae per varios amfractus inter ſe communicabant; omnes vero diuerſis repletae erant humoribus, aliae nigro liquidoque, aliae bruno atque viſcoſo, aliae luteo vel virideſcente, aliae albo ſeuoque ſuillo ſimili, plures autem, in centro tumoris inſignem, forte cum ruptae fuiſſent, cauitatem efformantes, lymphatico purulento, a quo tamen omnis malus odor aberat. Viginti circiter libras (*vingt pintes*) liquidi continebat tumor, ſolidior autem eius moles vacua quatuordecim fere librarum pondus aequabat.

Haec iam enarrata morbi hiſtoria Cl. Auctori ſuppeditat occaſionem, qua commentarium, in actis Academiae chirurgicae Pariſinae * reperiundum, ſub examen reuocat, quippe qui *non nullas* continet *animaduerſiones*, ex quibusdam obſeruationibus *de hydrope ſaccato ſcirrhoque ouariorum* ibi recenſitis deductas, Noſtro non ſatis firmas viſas; quare is totum hoc argumentum peculiari aliquo libello adhuc ſe pertractaturum eſſe promittit.

* vid. Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie. Tome ſecond; à Paris 1753. 4. mai. p. 455. et Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 611.

VI.

VI.

Caſes in Surgery, with Remarks: to which is added, An Account of the Preparation and effects of the Agaric of the Oak in ſtopping of Bleedings, after ſome of the moſt capital Operations. By JOSEPH WARNER, F. R. S. and Surgeon to Guy's Hoſpital. The ſecond Edition. London: Printed for I. and R. Tonſon and S. Draper. 1754. 8. mai. pl. 11. tab. aen. 1.

i. e.

Caſus chirurgici cum additis animaduerſionibus atque relatione de agarici quercus praeparatione eiusque ad ſiſtendum ſanguinem in operationibus quam maxime arduis efficacia. Auctore IOSEPHO WARNERO, chirurgo.

Continentur in hac obſeruationum collectione quatuor et quadraginta caſus maximam partem notatu digniſſimi, qui Cl. Auctori obuenerunt in noſocomio aliquo Londinenſi, in quo is chirurgi munere fungitur. In ſingula ſectione eo utitur ordine, ut ipſum caſum fideliter, uti videtur, enarret, eique deinde ſubiungat annotationes, quibus ille ſuppeditat argumentum. Earum iam obſeruationum aliquas cum Regia ſcientiarum Soeietate Londinenſi communicauit, quas haec ipſa etiam ultimis ſuorum actorum voluminibus inſeruit, a nobis ſuo tempore indicatas. Cl. itaque Auctoris induſtriam ſuorumque laborum utilitatem lectoribus noſtris iam inde cognitam eſſe confidimus, ideoque nunc eo lubentius praeſentis libelli aliquot capita exponimus.

Prima obſeruatio ſiſtit caſum *fractae caluariae cum vulnere ſinus longitudinalis*, atque trepanationis, quae dicitur, contra vulgarem chirurgorum opinionem, in

hac parte interdum ſuſcipiendae docet neceſſitatem leueque a vulnere ſubiecti ſinus expectandum pericu-
p. 3. lum: Tredecim annorum cuiusdam iuuenis ſuperiori mediaeque capitis parti tam vehemens ictus infligitur, ut ex utroque oſſe bregmatis fruſtum aliquod in ſinum uſque longitudinalem deprimatur. Ab initio ſenſuum expers aeger proſternitur, quos autem paulo poſt recuperat; poſt ſextum diem conuulſiuis motibus, vomitu ſiniſtrique lateris paralyſi corripitur. Siniſter oculus manet integer, dexter autem omnia obiecta depingit ceu duplicia. Vndecimo die Noſtri curae traditur, qui immediate modiolum applicat laeſae parti, ita, ut vulnus oſſi inflictum ſuturamque ſagittalem illius circulo comprehendat. Exciſa hac oſſis particula, vulnus in ſinu longitudinali conſpicit, cui fracti oſſis fruſta inhaerent. Vt haec facilius eiiciat, vulnus ipſius ſinus ampliat, ſanguine inde quidem copioſe prorumpente, carptis vero tantum linamentis applicatis ſtatim cohibito. Cuncta quoque reliqua bene ſuccedunt; intra ſex dierum ſpatium omnia iſta ſymptomata euaneſcunt; et per quatuor fere ſeptimanas melius ſe habere pergit aeger. Ex improuiſo autem denuo eius caput percutitur; redeuntia vero ſymptomata poſt ſeptimum diem iterum leuantur. Satis bene dein ſe habet per alios ſeptem dies; tum vero de ventriculo et utriuſque cubiti acutis queritur doloribus, ſubſequente horrore duraque cerebri matre prominente. Hac diſciſſa, oſſis aliquod fruſtum ipſi inhaerere cerebro apparet, difficulter nec ſine vulneris dilatatione extrahendum. Poſt paucos dies alium locum, ab illo vulnere duos circiter pollices remotum, vehementes occupant dolores; hinc prima repetitur operatio, et dura mater, quae ſub exciſo oſſe alienum oſtendebat colorem, inciditur, quo larga puris copia effluit cum inſigni ſymptomatum leuamine, quae tamen poſt duos dies iterum ingraueſcunt et aegrum tollunt, in cuius

poſtea

poſtea cerebro magna puris copia reperitur. A laeſo itaque potius cerebro, quam a ſinus longitudinalis vulnere arceſſitam fuiſſe mortem intelligimus; quod etiam ſanguinem ulterius haud fuſiſſe Cl. Auctor aſſeuerat, poſtquam is ſemel fuerit ſuppreſſus; id, quod facili praeſtiterit negotio.

Secundus caſus *fractae* etiam *caluae* ſiſtit exemplum, in quo *operatio ſuper ſuturam lambdoideam feliciter ſuſcepta* fuit. Viri cuiusdam octodecim annorum poſterior capitis pars in regione iam dictae ſuturae vehementi aliquo ictu, oblique verſus ſiniſtrum os parietale frangebatur ad trium pollicum longitudinem, uno potiſſimum ex oſſibus triquetris depreſſo. Sueta, quae accedebant, ſymptomata modiolum requirebant, qui lambdoideae ſuturae immediate ita imponendus erat, ut depreſſum illud oſſiculum comprehenderet; quo exciſo, dura mater extenſa incidebatur, ſero, quod ſub illa ſtagnabat, effluente. In alio deinde loco, unum pollicem cum dimidio ab hoc diſtante, eandem cur operationem faceret, Cl. Auctor habere quidem credebat, ſed nihil alieni ſub hac cranii parte reperiebat; aegro deinde poſt nouem ſeptimanas integrae ſanitati reſtituto. In hoc etiam caſu leuior durae matris cum ipſo cranio obſeruatus nexus eorum auctorum confirmare videtur animaduerſionem, qui aſſerunt, poſt violentum ictum, quo ipſa frangitur caluaria, ita a cranio ſecedere ſubiacentes membranas, ut his damnum aliquod a modioli dentibus inferendum haud facile metui debeat. p. 9.

Tertius caſus aeque ac praecedentes ad rariores pertinet, *de felici nimirum modioli in occipitis oſſe facta applicatione.* Hanc quidem operationem Cl. Auctor ipſe non ſuſcepit, ſed eius ante longum iam tempus factae ſigna in capite alicuius hominis violenta morte extincti inuenit. Ei oſſis occipitis parti chirurgicum inſtrumentum olim fuiſſe applicatum apparebat, quae unum pollicem a ſuperiore angulo ſu- p. 10.

turae lambdoideae diſtat, prope ſiniſtrum illius ſulci latus, in quo longitudinalis ſinus pars poſterior collocatur. Integumenta quidem firmam nacta fuerant cicatricem; callus autem, qui exciſam replere debebat partem, aderat nullus, ſed dura ſaltem mater foramini, quod fecerat modiolus, arcte adhaerebat, elongatis ſimul, quae pericranium efformant, membranis. Quum laterales dicti ſinus, quippe iam deſcripta parte inferiores, in operatione haud laeſi fuerint, effectus omnino ſatis felix eſſe potuit.

p. 13. Quarta ſectio non nullas *de cataracta deprimenda* continet obſeruationes. Vir quidam viginti ſex annorum utriuſque oculi obfuſcatione ſubito corripitur ſine alio praegreſſo morbo vel quoque capitis dolore. Per tres annos eadem manet oculorum ratio, quae deinde vero peior fit, ita, ut Cl. Auctor in auxilium vocatus eamque inueſtigans, utrumque oculum vera cataracta obſeſſum, eamque in dexto oculo inferiori iridis parti, in ſiniſtro autem toti fere eius circulo adhaerentem deprehendebat, ipſa adeo pupilla in figuram oblongam diſtracta. Omnem itaque in ſiniſtro oculo ſuſcipiendam reformidans operationem, dextri tantum curationem acu tentat. Difficulter autem ab iſto adhaeſionis loco ſeparare poteſt lentem, quam denique tamen conſueto modo deprimit. At nihilo minus haec priſcum ſuum locum repetit per quatuor vices; quare ipſa quoque operatio toties repetenda fuit, donec lens ulterius non aſſurgeret, ocu-
p. 16. li uſu inde ſatis bene ipſi aegro deinde reddito. Duo, quae inſecuta fuerant, miramur phaenomena; unum, quod aeger oculo uti incipiens ſingula obiecta viderit quaſi multiplicata; alterum, quod literae, ſi ſcriptum aliquod legerit, per aliquod adhuc horas in intima oculi parte depictae remanere ipſi viſae fuerint. Poſt paruum vero tempus utrumque illud ſymptoma euanuit. Qua occaſione Cl. Auctor quaerit: Num haec cataracta curari potuerit noua per lentis extra-

ctionem

ctionem praeſtanda methodo? quam vero in hoc caſu, ubi lens alicui parti adhaeret, bene ſuccedere poſſe negat propter metum, ne maxima vitrei humoris pars ſimul exprimatur totaque ideo irrita fiat operatio.

Ipſo igitur nouo hoc Cl. DAVIELIS inuento diiudicato, rationem, qua illud emendari omnisque operatio uno tantum inſtrumento fieri queat, docet additaque icone illuſtrat. Aegro nempe, uti decet, collocato, eiusque caput ab aliquo chirurgi famulo ſuſtentato et aliquantum, pro faciliore vitrei humoris retentione, reclinato, ipſoque ſimul oculo, quantum fieri poteſt, per illius manum firmato, inſtrumentum aliquod cultelli minoris faciem referens, per mediam corneam a latere, quo adhaeret ſcleroticae, chirurgus adigit in oculum ad oppoſitam uſque corneae partem ita, ut inferior atque dimidia corneae pars diſſecetur. Ipſe tum adhuc in oculo detentus cultellus caute aliquantum retrahitur, eiusque cuſpide per pupillam moto, capſula lentis cryſtallinae diſcinditur, ipſaque deinde lens, oculi globo a chirurgi digitis, indice atque medio, leuiter compreſſo, eiicitur, corneae ſegmento per ipſum cultellum in anteriore oculi camera adhuc retentum eleuato. Operationem hanc in iis aegris, qui oculum firmum tenere non valent, haud facile ſuſcipi poſſe Noſter exiſtimat: Neque tutum eſſe oculi ſpeculum, vitreus ne forte omnis humor exprimatur, cuius iam aliqua pars vel in feliciſſima operatione perdatur: Nec dolorem porro, neque interdum ſubſecutam inflammationem grauem eſſe, fotibusque emollientibus cum unguentis refrigerantibus facile tolli; aluo ſimul aperta ſeruanda. p. 30.

Variae deinde ſequuntur obſeruationes de non nullis *tumoribus cyſticis feliciter extirpatis*, *aneuryſmatibus*, *gangliis*, *empyematibus*, *herniis*, aliisque caſibus chirurgicis. Finem autem libelli faciunt relationes

nes quinque de *amputatis extremitatibus inferioribus*, unaque de *mamma abſciſſa*; quibus in caſibus cunctis metuendum ſanguinis profluuium absque ligatura, ſed ſolo adhibito agarico, cuius iam frequentem commemorandi habuimus occaſionem, feliciter cohibitum fuit.

p. 133. Poſtquam enim Viri Cl. FAGET, relationem de ſtyptico illo remedio cum Londinenſi Scientiarum Societate communicauerat Cl. THEOBALD *, quas ſuo tempore ex illis actis recenſuimus, et hic loci a Cl. Auctore repetitas legimus: ab Ill. hac Societate agarici illius quaedam copia Noſtro data fuit, ut, data occaſione, nouo cum eo remedio faceret tentamina; quorum igitur inſtitutorum deſcriptam hiſtoriam publicum in uſum hic loci enarrat, prout eam Scientiarum Societati tradidit; e quibus potiſſimum apparet, non certo ſolum tutoque ſanguinem ſiſti ab applicato illo topico, ſed etiam absque dolore, adeo ut febris, quae inſequitur, mitior eſſe ſoleat, ac in illis caſibus, ubi adhibetur ligatura. Inſignis porro alius uſus inde prouenit, quod nempe tum quoque temporis ſanguinis profluuium ſupprimat, quando illud poſt aliquot dies vel ſeptimanas ex vulnere denuo prorumpit; vel iſtae ſauciatae partes tam molles eſſe ſolent, ut ligaturam, ſi quoque velles, ipſis applicare nequeas.

p. 147. Caſus etiam ſingularis Cl. Auctorem docuit modum, quo tam breui temporis ſpatio vim ſuam exſerat agaricus. Cuidam enim aegro infra genu praeſcindebatur tibia, omniumque paulo maiorum arteriarum finibus applicabantur agarici fruſta. Poſt horam caeſa pars denuo fundebat ſanguinem, quare omnia, quibus ea fuerat obducta, remouebantur, exceptis illius ſtyptici remedii particulis; quo apparebat, ſanguinem ex aliquo laterali tantum ramo profilire,

* vid. Philoſophical Tranſactions Vol. XLVII. p. 560. et Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 59.

lire, qui eodem quoque remedio ſtatim coercebatur. Quo facto, curioſitatis gratia illa agarici fruſta, quae reliquorum vaſorum apicibus paulo ante applicuerat Cl. Auctor, remouet, breuique hoc temporis ſpatio ita haec orificia iam arctata eſſe intelligit, ut omnem appellentis ſanguinis vim ſuſtinere poſſint, extrema eorum figura ex cylindrica in conicam mutata.

Alium inſuper uſum ab iſto topico expectari poſ- p. 161.
ſe Noſter arbitratur in conſtringendis illis vaſis, quae in calculi ſectione laterali dicta facile laeduntur; uti et in aliis caſibus, ubi vulnerata vaſa nimis ſunt profunda, quam ut iis applicari poſſit ligatura.

Omnes illae commemoratae amputationes infra p. 166.
genu factae fuerant, omnesque feliciſſimus exceperat euentus. Poſt aliquod autem tempus accidit, ut ſupra genu ſuſcipere deberet Cl. Auctor operationem, quo in caſu femoralem arteriam ab agarico applicato non ſatis conſtrictam ideoque ligaturae uſum fuiſſe neceſſarium candide fatetur. Experimentorum ſimilum copia deſtitutus determinare adhuc nequit, num agaricus ad ſanguinem ex maioribus vaſis prorumpentem ſiſtendum forte non ſufficiat, ideoque minoribus ſaltem queat adhiberi? An ſingularis aliqua circumſtantia in modo dicto caſu efficaciam eius imminuerit? Tota res omnino ſatis grauis eſt atque digna, quae ab omnibus chirurgis, occaſione data, tentetur ideoque extra omnem ponatur dubitationem.

VII.

VII.

Tentaminis de colica pictonum appendix, decadem obſeruationum ſiſtens, auctore IOANNE GRASHVIS. Amſtaelodami, apud Iſaacum Tirion, 1755, 8 mai. pl. 3.

Alio iam tempore Cl. Auctoris *de colica pictonum tentamen* recenſuimus *, illumque huius morbi naturam in ſingulari doloris ſaeuitie atque pertinacia, cauſam vero eius proximam in defectu vel nimis quoque tenui ideoque nimis facili ſeceſſione naturalis inteſtinorum muci, hincque praecipuam ei medendi methodum in roborantium et adſtringentium remediorum uſu ponere, ſatis fuſe expoſuimus. Nunc, ut talia vere profuiſſe exemplis demonſtraret, haſce, quas iam indicauimus, obſeruationes ex aduerſariis ſuis collectas, edidit. Hiſtoriae morborum quidem breues ſunt; candide tamen, uti omnino videntur, et eleganter enarratae, neque mancae, ſed omnem morbi decurſum ſatis exponentes; nullis quidem fere intermiſtis ratiociniis, ipſo tamen priore ſuo *de colica* tentamine ad quaeuis hiſtoriarum loca, ceu eorum, quae ibi dicta fuerant, teſtes, ſaepius citato, ut ei, qui illud legerit nuncque has percurrat obſeruationes, ſtatim pateſcat, quam mirifice iudicia, quae olim de morbi indole tulerit Cl. Auctor, cum ipſa indubitataque experientia conueniant? In cunctis fere obſeruationibus, uti ſimillimam morbi ſymptomatum faciem legimus deſcriptam, ita una fere eademque et commendata, ipſoque etiam uſu vere comprobata deprehendimus remedia, ita, ut unam alteramque ſaltem ex illis iam adduxiſſe ſufficiat.

p. 5. Virgo adhuc iuuenis, debilis, acerbiſſimo, praeſertim circa umbilicum, dolore diu vexata, nullis ceſſante remediis, ſequentem a Cl. Auctore praeſcriptam

* Comment. noſtr. Vol. II. P. II. p. 241.

ptam adhibet mixturam: *Aquae communis coctae uncias octo, vini gallici albi uncias quatuor, gummi tragacanthae, catechu ana drachmam unam, aluminis crudi drachmas duas; M. Doſis ſit uncia dimidia quolibet ſemihorio.* Altero inde die dolor imminuitur quartoque iam prorſus euanuit. Aluus tum valde adſtricta extracto rhabarbari ſoluitur, opii tantillo addito; unica poſt doloris acceſſio die octauo rediens, calido cataplaſmate farinaceo ventri impoſito tollitur. Ad praecauendum autem malum tincturae corticis peruuiani atque catechu aliquot doſes ſaepe de die ſumere ac in eius uſu diu perſiſtere iubetur aegra bene ſe inde habens.

Obſeruatio tertia aegrum ſiſtit, qui poſt vehe- p. 9.
mentiſſimam febrim intermittentem, largiore corticis peruuiani uſu nimis cito ſuppreſſam, altera inde ſeptimana praeterlapſa, in eandem colicam perpetuis vomendi conatibus ſtipatam inciderat. Nullum ex applicatis remediis aluum ſoluere valuit, donec tandem epiſpaſticum ex cantharidibus umbilicali regioni imponeretur. Aeger deinde quidem ſanatus viſus, leuioribus tantum per vices recurrentibus doloribus, poſt triennium eodem morbo eademque eius vi correptus vix ac ne vix quidem eo liberari potuit. Aquis poſtea Spadanis cum lacte per tres menſes uſus fuit, pilulis ex corticis peruuiani extracto, rhabarbaro et ſapone veneto paratis, uti et caſſia et oleo amygdalarum, interpoſitis. Nihilo tamen minus interdum et ex leuibus ſaepe cauſis, v. c. motu corporis paulo maiore, quin et ambulatione tantum citatiore, recurrit dolor, modo mitior, modo vehementior, regionem in primis epigaſtricam occupans et ad lumbos ſeſe extendens, qui, pedum quodam dolore oborto, leuari quidem viſus, eo autem ceſſante, eo intenſiore vi rediit. Noſter nunc in conſi- p. 15.
lium aduocatus, potionem ex corticis caſcarillae drachmis duabus, una ſucci catechu, cum duodecim

cim aquae unciis coctam, additis colaturae aluminis duabus drachmis, praeſcripſit. Quum exoptatum inde vero effectum ex omni parte non conſequeretur aeger, caſcarillam, ceu remedium ſtimulans, in culpa eſſe Cl. Auctor exiſtimans, hanc omiſit ſupraque iam laudatam mixturam, poſtque tincturam corticis peruuiani atque cinamomi adhibuit; cuius utriuſque medicinae uſu aeger conualuit, doloresque non numquam ſubſequenti tempore reuertentes compeſcuit. En exemplum, quam difficulter a reditu morbi tuti praeſtari queant tales aegri!

p. 18. Alius aeger eiusdem mixturae uſu valde quidem leuatus, ſed moleſta inde tuſſi vexatus fuit, quam, propter pulmonum eius ſenſilitatem, ab alumine proficiſci Cl. Auctor iudicauit, ideoque decoctum ex herbis emollientibus cum fructu illi ſubſtituit, additis quidem adſtringentibus, ſed ex vegetabilium claſſe
p. 22. tantum depromtis. Plerisque enim formulis aliquam aluminis portionem ideo ſe adiicere dicit, quoniam adſtrictoria non ſolum ſua vi folliculoſas inteſtinorum glandulas in hoc morbo nimis relaxatas indeque nimis tenuem ſecernentes mucum, conſtringat, ſed et aluo apertae ſeruandae proſit. In aſthmaticis autem, vel qui pulmonum labe afficiuntur, recte ab eius uſu abhorret.

p. 25. Alius porro aeger ſolo demulcentium et euacuantium uſu a diriſſimo hocce malo liber factus fuit. Confirmatur quoque eius exemplo ab aliis iam facta auctoribus obſeruatio, quod urina ſaepius a colicis doloribus vel ſupprimi vel certe difficulter emitti ſoleat.

p. 37. Obſeruatio nona atque decima *cardialgiae* duos caſus ſiſtit, quam pictonum colicae interdum aemulam eſſe iam olim dixerat Cl. Auctor. Prior illa le-
p. 40. uior fuit altera. In hac enim quam vehementiſſimi dolores ſummopere excruciabant miſerrimam aegram; aluus ſimul erat pertinaciſſime adſtricta;

omnia

omnia ingeſta, excepto lacte, vomitu regerebantur multa cum pituita, et cuiuscunque generis adhibita remedia ſine ullo fere effectu huc uſque fuerant data. Omnem vero grauiſſimi huius mali curationem abſoluerat alumen in aqua cocta ſolutum, tandemque tinctura corticis peruuiani atque catechu. Anno quidem elapſo, idem redire dolor viſus, decocto autem ex foliis maluae, ſucco catechu crudoque alumine parato iterum ceſſit.

Omnes, quas indicata decas obſeruationes complectitur, felicem enarrant morbi euentum; ultima vero, quae appendicis loco adiecta legitur, eum oſtendit contrarium. Femina nimirum ſexaginta p. 43. circiter annos nata per aliquot iam ſeptimanas de dolore ſaepe intenſiſſimo, ex epigaſtrica regione ad ſcrobiculum uſque cordis ſeſe extendente, ab omnibus aſſumtis ut plurimum aucto, conqueſta fuerat hincque valde debilitata. Poſt adhibitam illam ſupra commemoratam mixturam melius quidem ſe habere viſa, viribus autem fracta, placide obiit, poſtquam paulo antea eam inuaſerat lipothymia, quae, ſpiritu tamen tantum volatili naribus admoto, ceſſauerat, borborygmis magna vi erumpentibus; cuius itaque ſubitaneae mortis cauſam perforatum ſeu exeſum fuiſſe inteſtinum Cl. Auctor opinatur.

VIII.

Demonſtrationes anatomicas reliquasque lectiones ſemeſtri brumali MDCCLIV-MDCCLV. habendas indicit et obſeruationum medicarum de ſuffocatis ſaturam addit IOANNES GEORGIVS ROEDERER, D. Medic. et Anatom. P. P. O. Societ. Reg. Gotting. Sod. Gottingae, ſumtibus Boſſigelianis. 4. pl. 7.

Inuenimus in iam indicato libello tot tamque graues obſeruationes, quarum uſus non in phyſiologia tantum, ſed in legali etiam, quae dicitur, medicina, quam latiſſime patet, ut lectoribus noſtris eas prae multis omnino aliis legendas commendare debeamus. En earum aliquae!

p. 1. Foraminis oualis aperturam ſubmerſorum haud auertere ſuffocationem, puellae, viginti annos natae, et in aqua demortuae, teſtatum fuit exemplum, in in cuius quippe cadauere foraminis illius valuulam, amplitudine ſua illam, quae in fetu eſt, inſigniter excedentem inuenit Cl. Auctor, ad cuius alterum extremum ex ſinu dextro in ſiniſtrum via adhuc patula fuit. Sanguinis etiam quam copioſiſſimam in venis per totum corpus diſtributis congeſtionem; in pulmonibus porro aquae ſpumoſae et ſanguine tinctae inſignem copiam, eorumque veſiculas cellulares inflatas deprehendit. Ventriculus autem aquae nihil in ſe continuit, ideo forte, quod puella plethorica, animi deliquiis iam olim facile obnoxia, et nunc, dum ex equo deciderat in aquam, eo affectu correpta exſpirauerit ante, quam deglutire aquam potuerit. Mirum quoque nobis eſſe videtur, tres in ſiniſtro femore muſculos, longum puta bicipitis caput, ſemitendinoſum et ſemimembranoſum oblique a parte interna ad externam deorſum disruptos fuiſſe illo caſu, propria tamen eorum membrana illaeſa manſa.

In aliis inſuper hominibus adultis, viro ſene, pu p.4.
ella viginti quinque annorum aliisque pluribus, foramen ouale adhuc apertum quidem, ſed anguſtum, ductum vero arterioſum ſemper clauſum et in ligamentum mutatum reperit Cl. Auctor.

De iis porro, qui laqueo ſuſpenſi pereunt, obſer- p.7.
uat, eos non propter aſperae arteriae aut laryngis compreſſionem, quippe quae, ſi tota umquam detur, difficillima ſit, ſed potius propter ſanguinem, per venas compreſſas ex capite refluere impotentem, indeque ortam apoplexiam, perire videri; id, quod huius ſignis, praecipue ſanguinis ſerique in cerebri ventriculos effuſi magna in eorum miſerorum cadaueribus reperta copia, confirmat. Notamus inſuper, in robuſto aliquo huius generis homine, ſexto die cum aperiretur abdomen, vaſa lactea ſummopere turgentia apparuiſſe, licet iam ipſo mortis die venae iugulares apertae fuerint factae. In eodem etiam ſubiecto encephali venae atque iugulares ipſo iam mortis die, ideoque quum putredinis adhuc nulla eſſe poſſet ſuſpicio, aereis bullis, ſanguinis columnas diſtendentibus, pleniſſimae viſae fuerunt:

Sequens deinde articulus *fetus in partu, eliſo* p. 9.
gutture, ſuffocati duas continet hiſtorias, multa cum cura elaboratas. Quod priorem attinet, nimis rigida parturientis genitalia grandiusque embryonis caput ipſum partum retardarant, quo factum quoque fuerat, ut os uteri valde elaſticum, velut laqueus, puſilli collum conſtringeret, tumore in illius capite oborto eoque ipſo in oblongam ſphaeram compreſſo, adeo, ut infantulus non, niſi magna vi, protrahi potuerit. Puellum omnino ſub partus initium vixiſſe et tumor ille, et motus embryonis ab ipſius matre perceptus, probarunt; eius tamen corpuſculum fuit candidum, labiis tantum liuidis talique zona collum cingente viſis. Pigmentum quidem viride illud et amnii liquorem foedauerat; quod autem ab excreto

tantum meconio factum fuiſſe apparuit, omni nimirum foetore, ut putredinis ſigno, abſente. Quibuscumque tamen adhibitis adminiculis, vitam reuocare non potuit Cl. Auctor, licet hoc efficeret, ut artus aliquoties traheret infantulus, eiusque diaphragma ter conuelleretur. Omnem vero ſanguinis vim in thoracem coactam capitique inde ſubtractam mortis fuiſſe cauſam, conſtrictionem vero uteri eo uſque proceſſiſſe, ut venae non ſolum iugulares, ſed et arteriae carotides, fuerint ſtrictae, ſectio corpuſculi docuit.

p. 12. *An forte nerui etiam compreſſi cordis motum ſuſtulerint?* Cl. Auctor indagat. Sed nullam, niſi validam et a duro quodam corpore praeſtitam eorum compreſſionem, omnem actionem cordis tollere eo didicit experimento, quo neruum phrenicum in viuo cane digitis compreſſit, tumque eum ſupra compreſſionis locum laceſſiuit, contracto inde diaphragmate, huius autem motu ſubſecuto nullo, ſi digiti loco volſella eum prehenderet. In tranſitu quaſi inde colligit, alternum cordis motum propter alternam neruorum inter eius vaſa factam compreſſionem fieri non poſſe. Pueruli huius, licet aliquantum excitati, ſpiritum tamen nondum ducere potentis omnia in thorace ſita viſcera et tota, et diſciſſa, aquam petebant, dein vero, quum accederet putredo, ei innatabant.

p. 24. Alterius *fetus in ipſo partu denati* hiſtoria, quae priori adiuncta legitur, non tam copioſe quidem, ac illa, enarrata, ei tamen in praecipuis rebus ſimillima eſt. Quid? Quod in hoc fetu et cordis et funiculi arteriarum pulſus obſeruatus fuerit; reſpiratio tamen effici aut vita reuocari non potuerit. Quo etiam factum fuit, ut in hoc caſu, prout in ſuperiore, pulmones et toti, et diſciſſi, aquae innatarent.

Nunc ad *conſectaria*, quae ex iam deſcriptis ob-
p. 16. ſeruationibus Cl. Auctor elicuit, progrediamur. Accidit

cidit ſaepe, ut meretrices clandeſtinum partum edentes, commiſſique infanticidii accuſatae, concedant quidem, fetum mouiſſe artus, illum autem vixiſſe, aut vim ei a ſe illatam fuiſſe peruicaciter negent. Ex antea igitur dictis patet, fetum, qui ante partum vixit, in eo ipſo ita ſuffocari poſſe, ut mox ab eo minimae adhuc vitae ſigna per breue temporis ſpatium ſuperſint. Attamen excitari debere a matribus fetum vel debiliſſimum, regerere quis poſſet. Id quidem verum eſſe; ſed illas inſcias ſaepius id quoque praeſtare Noſter exiſtimat, dum illum in terram delapſum prehendant, remoueant, ideoque commouendo laceſſant. Num obiectioni ſatisfaciat reſponſum? nos quidem dubitamus; in praeſenti autem ea de re diſputare non conuenit. Ex hoc interim ſigno certe ſolo non probari poſſe Cl. Auctor aſſerit infanticidium.

Pulmonum autem in aqua deſcenſus certum dat p. 19. praegreſſae reſpirationis ſignum, dummodo reliqua bene obſeruauerit medicus ſecans. Nimirum quando natant pulmones, reliqua autem viſcera ſubſident, ſpiritum duxit fetus; quodſi vero putredinis adſint ſigna, vaſaque cordis coronaria aere plena, et omnia inde natent viſcera, tum fallere poſſunt pulmones. Certum quoque manet de eorum deſcenſu delatum iudicium, licet antea ſpiritus ori fuerit inflatus: inde enim haud dilatantur pulmones, niſi iam fetus ipſe reſpirauerit. De prima enim reſpiratione, quam phyſiologi non nulli fouent, hypotheſis iuſto caret fundamento, quod nempe aer ambiens, elaſticus, irruat pulmones, hoſque dilatando thoracem ampliet. Cur enim non idem fit in debili moribundoque fetu? Cur non ab aere vi quadam inflato? Proprio potius conamine thoracem diducere ideoque pulmones inter et pleuram aliquod vacuum pro pulmonibus ab aere extendendis parare ſibi fetus videtur, uti paulo poſt probabitur. Hinc ad excitandum

 fetum

fetum redundantis ſanguinis facta imminutio reliquis in uſum vocari ſolitis palmam praeripit adminiculis.

p. 21. Tumor aut ſugillatio ipſum quidem fetum ante partum vel ſub eius certe initium vixiſſe teſtatur; vim autem ipſi fuiſſe illatam haud probat. In partu potius difficili illius abſentia fetus iam ante eum demortui ſuppeditat indicium.

Spontaneam meconii excretionem fetus tantum facie ſua verſus os pubis verſi, minime autem mortui, dare ſignum, olim docuerat Cl. Auctor *; nunc autem per experientiam certiora edoctus laudabili candore illam corrigit ſententiam, iſtudque profluens, niſi a fetu clunibus praeuiis prorumpente accidat, vel mortuum, vel certe debilem, indicare fetum, declarat. Ipſius quoque meconii originem a bile, quam liquore amnii, deriuare mauult, cui etiam poſteriori nutritiam aliquam haud concedit facultatem.

p. 24. Addit nunc porro memorabilem *excitatae, quam partus ſuffocauerat, puellae* hiſtoriam. Erat illa ex primo matris lentoque partu mortuae ſimilis, ut artus non ſolum propenderent, ſed inferior quoque maxilla, licet eleuaretur, ſponte iterum decideret; cordis tamen pulſus minimam vitam latentem denotabat. Itaque illo adhuc tempore, quo cum fune cohaerebat fetus, placentaque in utero remanebat, omnia in auxilium vocabantur conſueta, quae illum excitarent, adminicula; ſed fruſtra. Fune poſtea perſciſſo, ſanguinis ad dimidiam ſaltem pedis diſtantiam ſumma vi propulſi aliqua emittebatur copia. Artus inde et abdomen commouet puella, nondum vero reſpirat; huius autem actionis niſum edit atque vomitum, abdomine compreſſo, quo ſpaſtice ſimul agitatur thorax. Naribus tandem plumula irritatis, puella, ad egerendum mucum abdomini impoſita, decimo a partu horae minuto leuem ducit ſpiritum, deinque aqua calida fota, potu Theae calido ipſi ſimul inſtilla-

* vid. ipſius elementa artis obſtetr. Cap. XV. §. 385.

inſtillato, ſenſim ſenſimque vires ſuſcipit, vita perdurante.

Ex qua praecedente obſeruatione varia nunc ite- p. 25.
rum Cl. Auctor colligit *conſectaria*, quae illa priora maximam partem confirmant; v. c. ratione fetus, ſuffocati viſi, ad vitam difficillime reuocandi, niſi per ſanguinem ex fune diſciſſo effundendum indeque thoracem atque cerebrum ab eius redundantia liberandum; umbilicalis porro funiculi neceſſariae deligationis; ſpontanei maxillae inferioris delapſus, mortis ſigno non abſoluto; e. ſ. p.

Ipſi autem, cuius accuratior cognitio ex illa ob- p. 28.
ſeruatione fluit, *primae reſpirationis rationi* ſingularem articulum aſſignat. In partu prorſus naturali omnes, quae ad illam corporis functionem pertinent, actiones tam ſubito ſeſe inuicem excipere ſolent, ut earum una ab altera diſcerni nequeat. Saepiſſime tamen hanc rem accurate obſeruandi Cl. Auctori contigit occaſio, ita, ut reſpirandi niſus, vomendi conatus, thoracis agitationes aliorumque muſculorum motus, ipſam reſpirationem et vagitum praegreſſos fuiſſe, ideoque primum reſpirationis momentum in ipſa thoracis dilatatione, minime vero in aeris, qui in pulmones fit, influxu poni debere aſſerat. Obſeruare id potiſſimum licet, quando impedimenta adſunt, quo minus promta fiat horum motuum ſucceſſio; ad quae igitur in primis omnes ſuffocationis modi referri debent, quibus ſanguis in cerebro coaceruatur, medulla eius premitur et actio neruorum, ideoque etiam muſculorum, ad quos ei pertinent, imminuitur vel prorſus tollitur. In tranſitu quoque monet Cl. Auctor, funis circa collum contorſionem minus eſſe periculoſam, ac prima facie cuipiam videri poſſet, rariusque ex ea perire puſiones, dummodo artis auxilium ſatis cito eos iuuerit.

Alia porro quaeſtio, *num fetus*, vel capite eius p. 32.
nato, *in vagina reſpirare* queat? ex iam dictis diiudi-

cari poterit. Quum thorax enim prius debeat dilatari, quam aer ingrediatur pulmones; illi autem aeque ac abdomini expandendo nullus detur locus: ſpiritum ducere non poſſe infantem ſatis clare apparet; id, quod ex principiis deductum iudicium perpetua quoque confirmat experientia, praeſertim ſi de partu debili iſta oriatur quaeſtio in foro haud raro obuia.

p. 33. Non nullas nunc hiſce Cl. Auctor ſubiungit *obſeruationes de fetibus a muco*, os, fauces, nares, tracheam, pulmones atque ventriculum replente, *ſuffocatis*, quas *conſectaria* inde elicita excipiunt, e quibus iam aliqua repetere iuuabit.

p. 38. Vnde enim ille mucus oriatur? iure quaeritur. Ex iſtarum quidem partium interna ſuperficie ſecretum quidem voluerunt auctorum aliqui. Cur vero paucus tantum reperiri ſolet in ipſis inteſtinis? Inſignis potius eius copia, tenacitas et cum amnii liquore conuenientia, ex hoc illum ſuam petere originem innuunt, ideoque ab hoc humido non numquam ſuffocari poſſe fetum, ceu adulti in aqua ſubmerſi ab hac enecantur, inde concluditur: quo etiam fit, ut ſymptomatum in utroque caſu ſumma ſit conuenientia. Vnde vero id accidit? quum fetus, qui nondum reſpirarunt, aquam etiam in pulmones ventriculumque attrahere nondum poſſint. A violenta ſine dubio uteri contractione, quae vim muſculorum fauces atque cardiam claudentium ſuperat; quando ipſius nimirum fetus caput integrum peluis oſtium obturat, liquorque illum ambiens in os nareſque violenter propellitur. Hinc is, ſi reperiatur in ventriculo, immutatus neque digeſtus ideoque noxius deprehenditur, niſi vel ſpontaneo vel arte excitato vomitu eiiciatur. Iſta igitur etiam, quam plurimi fouent, opinio de nutritia illius indole magis magisque inde conuellitur; e contrario autem ea, quae bili ortum tribuit meconii, et inde et ex viri-

viridеſcente eius colore confirmari a Noſtro dicitur.

Aliud porro idque grauiſſimum conſectarium! p. 41.
Fetus eo quidem modo ſuffocatus, per aliquod tamen a partu horas viuere, ideoque reſpirare potuit, quem deinde mortuum ſi mater, clandeſtinum partum enixa, proiecerit in fluuium lacumue, ſecantem fallere poſſe patet medicum. Cuncta enim infantis, ceu ab aqua ſuffocati, ſigna adſunt, isque tamen nihilo minus ab huius vi periit.

Haec iam fuſe deſcripta *fetus in partu difficili ob* p. 42.
compreſſum cranium emortui hiſtoria ſequitur, cuius quippe caput, propter matris paulo annoſioris inſignem peluis anguſtiam, lento difficilique valde partu, ita erat compreſſum, ut diſtantia ab oſſe occipitis ad frontem quinque pollicum aequaret longitudinem, tumore ſimul unum pollicem alto in occipitis regione exorto. Itaque nulla reuocandae vitae, quae ſub ipſo partu euanuerat, ſpes fuit. Inter alia multa, quae notatu digna ſecanti medico occurrerunt, notamus ſummam ſanguinis congeſtionem in encephalo, minorem in thorace, minimam in abdomine, nullam vero in extremitatibus apparuiſſe. Cerebrum quoque, licet valide fuiſſet compreſſum, et ſanguine fartum, ne guttulam tamen ſeri vel ſanguinis in ventriculos effuſi continuit. Fetuum porro p. 48.
ſectorum thoraces numquam aluiſſe quendam emiſſum liquorem obſeruauit Noſter, etſi talem in reliquis inuenerit cauitatibus. De muci inſuper fuſci in ventriculo reperti ſtriis in nares, minime vero in oris cauum continuatis coniecturae cuidam faciendae occaſionem deſumit Cl. Auctor, quod caput nimirum, mento fetus thoraci valde impreſſo, longiſſime propendeat, baſi ſimul cranii ad poſteriorem oris fundum propius accedente, ideoque muſculi, qui in deglutitionis actione laryngem eleuare et verſus mentum adducere debent, agere nequeant. Quodſi

itaque deglutitioni in fetu nullus detur locus, liquorem etiam in ventriculo naturaliter reperiundum non a deglutito amnii humido, ſed a vicinarum potius partium glandulis ſecernentibus, deriuare poſſumus.

p. 51. Quaeſtionem denique ſoluit Cl. Auctor: *An a morte pulmones ventriculumque aqua ſubeat?* Varia ideo cum infantibus fecit tentamina, de quorum morte certus fuit, quos in aquam eiusdem cum aere temperiei immiſit, funiculo aperto et propendente relicto. Sed aqua manſit intincta, ſine aliqua ſanguinis guttula vel effluente, vel aquae in funiculi vaſa, os, fauces, pulmones ventriculumque intrante. Quam late huius obſeruationis a Cl. Auctore confirmatae pateat uſus in medicina legali, quisque facile perſpiciet.

Non nulla adhuc alia de naſcituro atque naſcente homine obſeruata collegit ſuoque tempore cum eruditis ſe communicaturum eſſe paſſim promittit; quam ut datam fidem, uti ſperare licet, liberare quoque velit, optamus.

IX.

Kongl. Svenſka Vetenskaps Academiens Handlingar foer Aor 1752. Vol. XIII. Med. Kongl. Academiens Tilſtand. Tryckte i Stockholm hos Lars Salvius pao des egen koſtnad. 1752. 8. pl. 21. Tab. aen. 8.

i. e.

Academiae Regiae Scientiarum Suecicae Acta ad annum 1752. Vol. XIII.

p. 1. 1) Trimeſtre primum orditur PETRI VARGENTIN, Secretarii, hiſtoria inuentorum circa logarithmos, inde a NEPERO vel STIFELIO potius, qui a logarithmis inueniendis proxime aberat, ad EVLERI nouiſſimam diſſertationem de lite inter LEIB-

LEIBNITIVM et BERNOVLLIVM, quales ſint logarithmi numerorum negatiuorum.

2) Tractatui *de Salmonis piſcatura* colophonem imponit Cl. GISLERVS, machinas praecipue, quae capiendis piſcibus adhibentur, deſcribens. p. 11.

3) Adhuc *quo modo mays in America ſeptentrionali colatur, et quibus uſibus adhibeatur*, enarrat Cl. KALM. Agros ab herbis inutilibus ſedulo purgatos mays poſtulat. Matureſcunt ſemina in borealibus regionibus circa finem auguſti, interdum quoque circa medium. Sed in auſtralioribus, ubi longiores ſunt aeſtates, hoc circa medium vel finem ſeptembris, immo octobris, contingit. Spicae a culmis manu ſola facile ſeparantur. Aliqui vaginam folioſam in agro decerpunt, alii domi. Optimum eſt, ut ſpicae in agro, poſtquam decerptae ſunt, ſiccentur, ſi aeris temperies id permittat. Siccantur vero etiam in aedificiis, eum in ſcopum exſtructis, aeri peruiis, vel etiam in feneſtris vento exponuntur. Semina in ſpicis ſeruata plures annos durant, adhuc ſationi apta. Barbari leni fumo ſpicas ſiccant, deinde ſub tectis tuguriorum ſuorum penſiles ſeruant. Hoſtibus illis occultaturi, vel ſeruaturi, cum ad ſemeſtre ſpatium cum omni familia venatum abeunt, in foueas collocant, in locis ſiccis excauatas, interius cortice ſicco arborum obductas, fundo gramine ſicco tecto. Cum foueae fere plenae ſunt, gramen frumento imponunt, deinde cortices, denique terram. Eligunt huic ſcopo in primis lagurum ſpicis oblongis, pedunculatis, e ſingula ala pluribus LINN. Hort. Cliffort. 25. Ita mays per plures annos ſeruatur. Iam de uſibus frumenti huius agit Noſter. Fructus pro ſeminis, terrae concrediti, ratione rependit uberrimos: Cl. KALMIVS in unica ſpica grana 650 pura et perfecta computauit; habent vero culmi ſinguli plerum- p. 24.

plerumque ſpicas duas vel tres. Nulla fere ſpica grana habet pauciora, quam 300; ſi ducentuplum fructum ſaltim accipiant coloni, de meſſis paupertate conqueruntur. Hoc etiam praecipui habet, quod grana non excidant alueolis ſuis et diſpergantur, quod ſecalis et aliorum cerealium granis accidit. Non facile damnum a frigore, ab aeſtu, a ſiccitate, ab humiditate patitur; in terra macra prouenit, item in locis ſiccis et arenoſis. Folia dum adhuc vireſcunt, decerpta et in ſole ſiccata, gratum equis pabulum ſunt, quod animalia haec trifolio aut foeno cuiuis alii praeferunt: ſed ſi folia, culmo ipſi adhaerentia adhuc, ſiccata ſunt, non utuntur illis equi, niſi cum aliud pabulum deeſt. Foliis ſimiliter virentibus decerptis infuſa aqua potum exhibet una cum pabulo, vaccarum lac augentem. Hieme conciſa his animalibus exhibentur. Cum grana adhuc mollia ſunt, igni expoſitae ſpicae aſſari ſolent, gratam hominibus eſcam praebentia. Culmis virentibus ante, quam maturuerunt ſemina, ſuccus dulcis ineſt, ex quo ſaccharum praeparari poſſet, ſed operam non compenſaturum. Grana a ſpicis commode ſeparantur, ducendo ſpicas per angulum baculi quadrangularis ferrei vaſi ſuperimpoſiti, ut in vas decidant. Non niſi ad uſum praeſentem grana ſeparantur, melius in ſpicis durantia. Ex farina plantae, farinae tritici aut ſecalis mixta, panis egregius coquitur, quem incolae ditiores etiam triticeo praeferunt. Legitur mays iis, qui perpetuo illo utuntur, ventrem obſtruere, ſcabiem protrudere; ſed id falſum penitus eſſe, tum ab incolis comperit Noſter, tum in ſe ipſo expertus eſt. Contra excretionem aluinam promouet, et ſanitati maxime conducit. Vt panem ex mays farinae ſecalinae commixto coquant, primum pultem ex farina ipſius mays coquunt, cui, ubi refriguit, farinam ſecalis indunt. Cucurbitas etiam cum mays pane coquendo miſcent, item baccas varias, uuas ſilueſtres,

ſtres, fraga. Pulte nulla fere utuntur, niſi ex mays cocta. Ea, aqua ſola adhibita, albedinem luteam oſtendit. Optimum et frequentiſſimum eſt incolarum nutrimentum; utuntur etiam ad eam conficiendam cremore lactis et ſaccharo, ius item ex granis leuiter comminutis coquunt. Vt granorum inuolucra auferre poſſint, macerant illa in lixiuio, vulgari modo ex cineribus confecto. Torrent mays polentae conficiendae, ut cereuiſiam inde coquant, nihil ei, quae ex hordeo coquitur, cedentem. Toſtum mays, in mortario ligneo in pollinem craſſum contunditur, deinde membranae inuoluentes grana euannantur, et pollen purior ſaccharo miſcetur. Hanc mixturam iter facientes ſecum ferunt, eius exigua quantitas, aquae indita, inſigni nutrimento eſt, ipſas malas putris aquae adfectiones corrigit: ſi pinguedo haberi queat, additur. Animalia nulli frumento cuidam puro inſidiantur, quam huic; cornices, aliae aues, quarum tres ſunt ſpecies, *fures mays* appellatae; ſciuri tum vulgares americani, tum qui prope terram plerumque degunt, arbores rarius ſcandentes; picorum variae ſpecies. Domeſtica animalia omnia libenter frumento hoc veſcuntur. Praeſtat etiam mays remedium contra oedemata. Pulmentum coquitur ex farina mays et ex lacte, cui feruenti pinguedo bene commiſcetur, ſicque calore eo, quem ferre poteſt locus tumens, cataplaſmatis ad modum imponitur. Ita vel diſiicitur tumor, vel ſi ex eorum genere ſit, in quos materia peccans colligitur, maturatio eius et effluxus humoris accelerantur. Haec in tumoribus, ex odontalgia et ex frigore oriundis, Auctor tum ipſe expertus eſt, tum apud alios vidit. Plantam vero tam utilem coli in Suecia poſſe nullus dubitat, cum petum, a latitudine 37 vel 39 grad. Americae borealis in Sueciam translatum, matura hic fere ſemper ſemina proferat, ut dubium nullum ſit, mays, quod in America bo-

reali

reali in 48 grad. lat. colitur, etiam in Suecia habitare poſſe. Loquitur vero de minima mays ſpecie, quae, quia tribus menſibus matureſcit, trimeſtris vocatur; an negotium cum maiore etiam ſucceſſurum ſit, in medio relinquit. Serenda vero eſt planta, non in argillam, ſed in terram arena mixtam, ſolique, quantum fieri poteſt, expoſitam.

p. 43. 4) Cl. EVALD RIBE recenſet, *quae obſeruata ſint in cadauere viri, qui ob aſcitem ſaepius paracenteſin perpeſſus erat.* Fuit is DASSOVIVS, Med. Cand. qui, quoties operationem hanc pertulerit, et quo euentu, ipſe Academiae regiae retulit, ſcripto in quadrimeſtri tertio anni 1750 edito. Sectio peracta die poſt mortem eius, maii 6. 1751. In capite nihil peculiaris obſeruatum, niſi quod ventriculi cerebri una cum plexu choroideo veluti exſiccati apparuerint, vaſis tamen plexus ſanguine plenis. Pulmones expanſi et pleurae, mediaſtino, diaphragmati adeo adcreti, ut niſi ſcalpello ſeparari non potuerint. Cor cum pericardio ſanum. Omentum fere deſtructum. Exterior eius membrana per totam eius extenſionem peritonaeo firmiter adcreta, interior inteſtinis. Colon ex ſitu naturali tractum, maximam partem latus dextrum occupabat, exſiccatum, contractum et tenuius, quam eſſe ſolet. Dextro latere inter coecum et hepar et peritonaeum indicium ſacci comparebat, quaſi antea ibi formati. Omentum ibi plane euanuerat, ſimile detrimentum peritonaeum paſſum erat, inteſtina omnia, cum plexibus ſuis alias liberis concreta, omentoque ipſi adcreta per totam eius extenſionem, deinde peritonaeo. In paucis interſtitiis inter peritonaeum et inteſtina parum aquae ſubflauae hoſpitabatur, quartam circiter menſurae partem (*quarter*) complens. Hepar ſolito multo maius, coloris dilute fuſci, molle et tactu in fruſta abiens. Cyſtis fere vacua. Ductus cyſticus, hepaticus,

ticus, choledochus, velut contracti et rugoſi. In rene ſiniſtro ſcirrhus, maximam partem unius eius lateris occupans, et ad peluim deſcendens. Inteſtina omnia, hepate excepto, velut exſiccata et concreta. Tempore paſchatos quatuor ante mortem ſeptimanis DASSOVIVM adgreſſa eſt febris algida, alternis diebus rediens, cum ſpaſmis vehementibus artuum, et doloribus capitis maximis, quibus emplaſtrum cantharidum oppoſuit, ſed nullo effectu. Nulla remedia adhibuit praeter, quam ſalia media, quibus interdum rhabarbarum addidit, ob nauſeam et conatus vomendi frequentes. Vltimos autem 14 vitae ſuae dies vehementiores et diuturniores fuere paroxyſmi febriles, in primis capitis dolor ad mortem uſque durauit.

5) *De muſcarum laruis, ex corpore humano excretis*, obſeruata ſua edit Cl. I. G. WAHLBOM, M. D. Iulio anni 1752, virgo quaedam fonte ſoterio Vpſalienſi utebatur, contra vermes, quibus cruciari ſe credebat, remedium in eo quaerens. Morbo hoc ſe laborare inferebat ex corporis macie et languore, cibi appetitus defectu, dolore et preſſione veluti in latere ſiniſtro. Tribus ſeptimanis uſa erat fonte, nullis vermibus excretis. Dedit ipſi Cl. WAHLBOMIVS puluerem, ex tartaro vitriolato et vitriolo martis, varia quoque alia remedia, calcem etiam ſtanni, nullo ſenſibili auxilio. Tandem continuato aquae uſu, excreuit vermes exiguos, vix latum digitum longos, craſſitie columbae plumam aequantes, uno extremo tenues et paululum nigros, altero veluti truncatos, non tamen aequabiliter, paucis crinibus obſitos, pedibus carentes, annulos habentes duodecim. Spiritui vini inditi mortui ſunt; unus vero vaſe clauſus, ſecundo die in chryſalidem fuſcam abiit, poſt tres ſeptimanas vas rurſus examinans Cl. Auctor muſcam perfectam vidit, chryſalidem vero vacuam. Eſt autem

tem *Muſca nigra abdomine nitido teſſellato, thorace lineis pallidioribus longitudinalibus maior.* LINN. *Faun. Suec.* 1105. Vulgaris eſt haec muſca et oua in carnes praecipue aliquantulum ad corruptionem accedentes deponit; unde probabile eſt una cum carnibus oua in corpus humanum deferri. Recte igitur addit antiquos ſenſiſſe, et vulgus hodienum credere, infantibus a carnium eſu vermes creari. Iam hae muſcarum laruae, a cognitis huc uſque illis tribus vermium, corpus noſtrum infeſtantium, ſpeciebus, plane diuerſae ſunt, ut mirum non ſit, quae hos expellunt remedia, contra illas nihil valere.

p. 52. 6) *De inſectis, ex corpore humano excretis,* agit Cl. NICOLAVS ROSEN. Femina nobilis ſub initium anni 1751 purpura laborabat, optima eo uſque valetudine uſa. Liberata ab hoc morbo, ſenſit tamen omnino ſibi nondum reſtitutam eſſe ſanitatem, dum dolores capitis et brachiorum ab axillis ad cubitum patiebatur, abdomen etiam interdum indureſcens tumebat, cibi capiendi appetitus nullus, torpor corpus totum occupans. Macra fiebat, oculi languebant, facies liuida erat. Praeſcripſit ei Noſter potum, ex foliis ſennae leuiter laxantem, cuius effectum cum inter inſignes dolores eſſet editus, melius valere ſe ſenſit, enixa vero eſt ſimul tres veluti capſulas, in quibus lotis et diſſectis ſequentia fuere reperta:

Prima capſula nucis auellanae magnitudine, oblonga, foramine rotundo ad extremum praedita, membranacea, tenuis, ligamento quodam, ſed cuius extrema non coirent, circumdata, ceterum chryſalidibus papilionum ſimilis erat. *Secunda* ſimilis et aequalis erat; *tertia* paullo minor. *Prima* continuit caput, thoracem et elytram unam ſcarabaei nigri LINN. *Faun. Suec.* 353. Partes varias curculionis atri *Faun. Suec.* 451, ex quibus integer componi poterat, ſingulis coniunctioni aptis; alia etiam fragmen-

fragmenta ſimilium inſectorum variae longitudinis; araneae vulgares quatuor integrae, abdomine ſaltim exſiccato; larua inſecti coleopteri; alia inſectorum fragmenta. *Secunda* capſa inter alia continuit elaterem *Faun. Suec.* 577. adeo integrum, ut ne quidem antennae aut pedes fracti fuerint. *Tertia* integros curculiones duos *Faun. Suec.* 463, et mordellam integram; elateris praefato ſimilis fragmenta. Infert hinc Noſter, poſſe oua inſectorum cum vegetabilibus, quibus crudis veſcimur, corpori noſtro ingeri, et in eo, magno noſtro incommodo, matureſcere.

7) *Saponem filo, ex goſſypio confecto, dealbando idoneum* deſcribit Ill. femina EVA DE LA GARDIE. Efficitur ex cineribus alni, betulae vel iuniperi, calci et pinguedini commixtis. p. 57.

8) *Cuniculorum ſubterraneorum, in monte Balsberg,* prope Robloef in Sconia, ichnographiam et orthographiam edit et explicat Cl. HANS HENR. LIWEN. Ductus varii ſubterranei ſunt, qui plerumque naturae opus eſſe videntur, etſi ex aliquibus iam lapis calcarius effodiatur. p. 59.

9) *Erucam, quae, ut ariſtae ſecalis pallidae marceſcant, efficit,* deſcribit DANIEL ROLANDER. Oua phalaena mater in vaginam illam ponit, quae inferiorem ariſtae partem circumdat, ubi ex culmo naſcitur. Egreſſa eruca per interiora culmi deſcendit, uſque ad primum ab ariſta nodum, ubi ſuccum, qui ad ariſtam deferri debebat, ita conſumſit, alium culmum ſimiliter adgreditur, et ſic plures vaſtat, ſemper ab ariſta uſque ad primum nodum intra culmum progrediendo. *Phalaena* dici poteſt: *ſeticornis, ſpirilinguis, faſciculata, alis depreſſis, griſeo fuſcis, ſtriatis, A latino inſcriptis.* Litteram enim primam latinam alae monſtrant. Minui poteſt damnum, ab p. 62.

hac eruca metuendum, ſi non quotannis in eumdem agrum vel in vicinia ſecale ſeratur; nam alibi, niſi in culmis ſecalis vireſcentibus viuere non poteſt. In Dallandia, ubi pluribus annis ſe ſequentibus in eumdem agrum ſecale ſerunt, meſſes ſaepius ab ea deſtruuntur. Operae etiam pretium eſſet, dum adhuc in primo aut ſecundo culmo eſt, erucam illam deſtruere, tum, ne plures deuaſtet, tum, ne mutata in papilionem genus propaget.

p. 66. 10) CAROLVS FRIDER. RENNSTROEM *papilionem* deſcribit, cuius eruca habitat in *Arctio* LINN. *Hort. Cliff.* 391. *Flor. Suecic.* 651. *Bardana* offic. et ſemina plantae perforata miro artificio conglutinat. Plura enim ſemina perforat, et excrementis eiectis veluti calce coniungit, ut ſpatium quoddam includant, membrana interius inueſtitum, in quo mutationes ſuas ſubit. *Phalaena*, in quam abit, eſt *ſeticornis*, *ſpirilinguis*, *alis incumbentibus*, *ſuperioribus cinereo griſeis*, *puncto atro*, *inferioribus atris omnibus*, *margine poſtico interiore barbatis*.

p. 76. 11) *Locuſtae an ab Arabibus cibi loco adhibeantur*, diſquirit Cl. HASSELQVIST. Ab erudito quodam Arabe Cairi didicit, Meccae, dum caritas frumenti ingruit, edi locuſtas, torreri ſcilicet in ſole, et in puluerem comminui, deinde aqua admixta, ac ſi farina cerealis eſſet, panes ex hoc puluere effici. Edere etiam Arabes locuſtas, etſi aliorum ciborum defectus eos non cogat. Diu in aqua illas coquere, deinde butyrum addere, et ſic ferculum non ingratum ex iis praeparare. Denique, in caſtris Arabum ad montem Galileae illum, in quo Chriſtus de beatitudinibus loquutus eſt, Arabem reperit, qui quaeſitus a Noſtro, ſoleantne locuſtae edi? adfirmauit in longis itineribus, ubi alii cibi defecerint, id a patre ſuo

et

et a ſe ſaepius eſſe factum, ſpecimenque daturus, capi locuſtas iuſſit, illas ablatis alis, antennis et cruribus ad ignem torruit, et calidis butyrum ſuperinfudit, ſicque plus quam viginti edit, ſingulis butyro immerſis, addens, ſi tempori et operae parcere nolint, prius in aqua leuiter coqui, deinde in butyro aſſari poſſe, ſicque ferculum gratius exhibere. Locuſtae vero, quas adhiberi didicit Cl. HASSELQVIST omnis generis ſunt, tum apud nos reperiundae, tum aliae, nullumque habent Arabes delectum.

Trimeſtre ſecundum.

1) *De aquis librandis* agit Cl. VARGENTIN, bre- p. 81.
uem artis ideam et hiſtoriam exhibens.

2) *Tractationem de ſalmonibus* abſoluit Cl. GIS- p. 93.
LERVS parte quinta, de praeparatione ſalmonum. Alii ſale unice conduntur, alii furno exponuntur, et haec ultima praeparatio ob maius pretium piſcium, quibus ea adhibita eſt, magis eſt proficua. Vt memoratu dignum adducit, ſale conditos ſalmones poſt tres dies, ab aliquibus etiam elapſo uno die, imo quinque vel ſex horis elapſis, deliciarum loco edi poſſe, quod vix alii cuidam piſci contingat.

3) HIORTERI *obſeruationes meteorologicas*, Vp- p. 101.
ſaliae 1748. habitas, in compendio exhibet BENGT FERNER. Siccitate ſingularis fuit hic annus, cum pluuiae niuisque liquatae quantitas toto anno ad digitos $10\frac{718}{1000}$ adſcenderit, quae inde ab anno 1739 intra $13\frac{1}{2}$ et 20 digitos fuerat. Anno 1747 ſolo iulio maioque pluuiae copia coelo decidit, quam hoc anno ſex menſibus a primo aprilis ad 30 Septembr.

4) *Corallia duo* deſcribit PETR. LOEFLING. p. 109.
Reperit illa in mari ad oras hiſpanicas et alibi. Alte-

rum eſt *millepora cruſtacea plana adnata, punctis quincunialibus*, deſcripta LINNAEO Amoenit. Acad. Tom. I. p. 105. n. 20. fig. 9. Alterum *madrepora plantae formis, mollis, caule flexuoſo, ramulis alternis tubulatis.* Vtrumque deſcribit ac depingit, et quo modo a polypis illa habitantibus producatur, oſtendit. Milleporae incola eſt polypus, a modo, quo brachium extendit, ad plantarum quarundam ſimilitudinem *umbellata* dicenda, galli *polype a panache* vocant. Animal appendicem ex ſe dimittit, propria vagina ſub initium tectum; humidum, ex hoc euaporans, mox teſtae conſiſtentiam, formamque cylindri adipiſcitur, ex qua teſta deinde animal partem corporis exſuit, rurſusque in eam ſe recipit. Radiis a centro ad peripheriam diuergentibus, ramis etiam lateralibus progeniem et habitationes animalia extendunt. Madreporam quod incolit, animal *medusa* videtur; corallium tenuibus filis adhaerens per ſuperficiem foliorum plantarum marinarum, fucorum, cet. diſponitur.

p. 123. 5) *Mus aegyptiacus, pedibus poſticis longiſſimis*, deſcribitur a FRIDERICO HASSELQVIST. Forma muris eſt, niſi quod maius eſt capitis longitudine digitali, trunco digitos duos cum ſemiſſe longo, cauda digitos nouem, pedibus poſticis trium digitorum anticis breuioribus digito unico. Barba ornatur crinibus longioribus praedita, quorum longiſſimus digitos tres aequat; menſuris Suecicis intellectis. Singulare prorſus huic animali eſt, quod ſolis pedibus poſticis incedat, hominis quaſi hanc praerogatiuam adfectans; anticos non adhibet, niſi ad cibos ori admouendos aliosque uſus, quos manibus tribuimus, numquam ad currendum. Habitat circa pyramides aegyptiacas, nec non in montibus, qui Aegyptum ab Arabia ſeparant. Arabes aſſato veſcuntur, qua occaſione monet Noſter, pullos caninos coctos in deliciis

liciis eſſe feminis aegyptiacis, eo nomine, quod ad tumentem illam et mollem pinguedinem, quae pulcra Aegyptiis videtur, aliquid conferunt. Arabes animal Gerbuah vocant, Galli in Aegypto degentes, *Rat de montagne.*

6) *De auro ab aliis metallis ſeparando* agit G. BRANDT. Vulgarem auri ſeparandi modum ope aquae regis perſpicue deſcribit, praefert vero aquae regis, conſueto modo praeparatae, et ad uſum ſeruatae, aquam docimaſticam, ſale culinari impraegnandam, dum ad uſum adhibetur. Scopus eius praecipuus eſt, impenſas marcae auri ita ad ſummam puritatem deducendae neceſſarias computare. Quod ubi effecit, colligit hinc, in re monetaria puriſſimum hoc aurum cum fructu adhiberi, cum alias aurum eius puritatis, quam ducati habent, non poſſit deteriori mixtum illud ad bonitatem ducatis debitam perducere, id vero puriſſimo auro, deteriori cuiuis mixto, facile efficitur, ſicque impenſis multis in depurationem deterioris collocandis parcitur. p. 128.

7) *Antliarum conſtructionem, quae corio nullo indigeant,* docet Cl. IO. ACRELL. Valuulae loco globum ferreum foramini imponit, ſimiliter embolo perforato globum ferreum addit, foramini incumbentem, qui adſcendere aquam permittat, deſcenſurae viam occludat. p. 132.

8) Epiſtolam W. GRANT edit ALB. DE HALLER, qua *coitus et generatio ſalmonis* explicantur. In feminis inde ab aeſtate ad autumnum, creſcere oua vidit Cl. GRANT, magisque pellucida fieri, membranam, qua includuntur, expandi et attenuari; canales ab ouorum receptaculis exeuntes ampliantur. Canales hi coeunt ad anum et vaginam ſemidigitalem formant, poſt inteſtinum rectum apertam, cuius orificium tu- p. 134.

 berculis

berculis tribus conſpicuum eſt. Preſſo ventre ſalmonis emerſit vagina ad longitudinem $\frac{1}{8}$ digiti; ſed cum experimentum ſeptembre menſe inſtitueretur, oua nulla exierunt. Maſculorum teſticuli, *lactis*, quod vocant, receptacula ſub initium exigui ſunt, creſcunt paullatim et liquore lacteo replentur. Exit a quolibet vas deferens longum; ambo vaſa uniuntur in parte poſtica membri, quod tuto penis ſalmonis appellari poteſt, licet piſcibus eiusmodi negatum tale membrum hucusque phyſici crediderint. Vt detegatur, in dorſo diſſecari ſalmonem oportet, et inteſtina reliqua ſuſpenſa manu eximi; deinde conſpectis teſticulis et vaſis deferentibus, quae ex illis exeunt, facile eſt haec ad penem uſque proſequi; nam ubi prope rectum coniunguntur, ligamentum eſt ſemidigitum latum, dorſo adhaerens, altero vero extremo radici ſubſtantiae cuiusdam longae, ſplendentis, pyramidalis immerſum, quam pro pene ſalmonis Noſter habet. Preſſis teſticulis, ut lac per vaſa deferentia deſcendat, elongatur penis, et exit ex illo liquor lacteus, per exiguum orificium partis acuminatae. Ventre ſalmonis preſſo exit penis ad longitudinem $\frac{3}{8}$ digiti, et effluit liquor. Iam ut coitum ſalmonum, ſi fieri poſſet, contemplaretur Cl. GRANT, in fluuio Scotiae *Spay*, in loco quodam, ubi placide labitur amnis, contignationem ſibi exſtrui curauit, unde praeternatantes ſalmones poſſet conſpicere. Septembris 15. 1751, plures tranſire vidit; mares hoc ſaltim anni tempore rubicundiores ſunt, capite maiore, corpore graciliore et latiore, feminarum color obſcurior eſt, corpus magis rotundum et ventricoſum. Die ſequenti 16, femina, poſtquam loca omnia ei, ſupra quem conſiſtebat Auctor, vicina examinaſſet, tandem unum elegit, et poſtquam pauliſper requieuerat, motibus ſerpentinis ita ſe agitauit, ut gramen et lapillos eiiceret, et foueam excauaret, verſus inferiora fluminis, materie eiecta velut eleuata,

ta, munitam. Hoc opus cum duas circiter horas continuaſſet, foueamque effeciſſet longam circiter pedes tres, latam duos; profundam unum, cuius extremum inferius monticulus, ſupra fundi aluei ſuperficiem pedem circiter eleuatus, muniebat, deſcendit fluuium, dimidia vero hora elapſa, cum mare rediit. Ambo in foueam ſe compoſuere. Femina curuauit ſe, ut marem capite ſolum et cauda tangeret. Deinde ambo ad latus ſe verterunt, caudis oppoſitis ſibi et exacte ſibi applicatis, capitibus vero aliquantum remotis. Ita duobus vel tribus ſecundis durantibus, caudas ſibi atteruerunt, oribus et branchiis (*Fiſchohren*) apertis, orgaſmi venerei indicibus. Oua vero vel lac in fluuium proiici, omni adhibita attentione, videre Noſter non potuit. Statim poſtea abiit mas, femina vero remanſit, et rurſus in fouea laborauit, in extremo eius ſuperiori, ut cauum rurſus compleret. Oua eiici non vidit Noſter, ſine dubio, quia turbida erat aqua; nam oua in his foueis reperiri ſolent, et impraegnata eſſe inde patet, quia ſalmones exigui in iis conſpiciuntur, qui in ouis ex utero exemtis conſpici nequeunt. Igitur ex his obſeruatis, quae ſaepius repetiit, infert Noſter, feminas ſolas in foueis excauandis laborare, mari penem eſſe, ut feminae vuluam, et coitum modo, reliquis animalibus conſueto, exerceri, ouaque impraegnata eiici, deinde a femina contegi. Eſt ſalmonibus uncus quidam ſupra maxillam, quo utuntur, dum pugnant inter ſe, praecipue eo anni tempore, quo in venerem procliues ſunt. Genitalia piſcium marium variorum vel ſiccata vel in ſpiritu vini ſeruat Cl. GRANTIVS, et ſocietati Edimburgenſi monſtrauit.

9) *Lutrae quo modo viuae capiantur, et piſcibus adferendis adſueſiant*, docet IO. LOW. p. 139.

 10) Cl.

p. 145. 10) Cl. KALMIVS *auroras quaſdam boreales, in America ſeptentrionali obſeruatas*, enumerat. Recenſet vero tum ſuas tum aliorum obſeruationes adhuc ineditas. Alius etiam fulgor rubens prope horizontem, in regione, quae olim noua Suecia appellabatur, conſpici ſolet, niuis praenuncius hieme, pluuiae aeſtate, unde Sueci, eius regionis incolae, nomine inſigniunt, quod germanice (*Schneefeuer*) reddideris Plerumque auſtrum verſus conſpicitur, raro boream, et hic forte aurora borealis eſt.

p. 136. 11) Excerpta ex diario Academiae: 1) Cl. SCHROEDERVS Academiae exhibuit, quae in itineribus ſuis exoticis ad ſyluiculturam pertinentia obſeruauerat, unde hic eduntur *de dermeſte* LINNAEI, abietes in regionibus Brunſuicenſibus et Hannoueranis 1748 ad 1750 deſtruente. 2) Cl. ROTHOF nunciauit Academiae optime apud eum ſe habere oues anglicas et hiſpanicas, et inſigniter augeri. Dedit ipſis, ex amici conſilio, teſtas cancrorum comminutas in lixiuio ſalino, in primis hieme, praegnantibus, unde bona valetudine frui illa vidit, et hydrope libera manere, cui vicinia aeſtatibus humidis erat ſubiecta. In iis, quae teſtis his uſa erant, vere et aeſtate mactatis, reperti ſunt tumores magni, duri, tunica inteſtinorum obducti, pinguedini et carni, filis tenuibus mediantibus adhaerentes, aperti, teſtis illis comminutis pleni erant, quas igitur hydatides ingreſſas eſſe credit, quae ſolent in ouibus aeſtatibus humidis inueniri. In ouibus autumno mactatis tumores nulli apparuerunt, teſtis ſine dubio aeſtate durante conſumtis. Conſuluit etiam ipſi ſacerdos quidam, ne oues cum deſcendentibus ſuis coire pateretur, legis moſaicae de inceſtu naturalem rationem praetendens, quae obſeruari illam in domeſticis animalibus ſuadeat. Secutus eſt conſilium, an cum uſu aliquo, non pronunciat.

(p. 158. in margin beside "nis 1748 ad 1750")

Trime-

Trimeſtre tertium:

1) *Hiſtoriam Aurorae borealis* edit Cl. VARGENTIN, praecipua eius phaenomena enumerans. p. 162.

2) Idem publicat obſeruationes quasdam aſtronomicas, eclipſeos lunae 1749. decembr. 12, cometae parui ianuario 1750 et occultationis ſtellae a luna. p. 171.

3) Ill. DE GEER *inſectum* deſcribit, Reginae Sueciae ab Ill. DE REAVMVR miſſum. *Vermis leo* appellatum a gallo fuit, ad imitationem *formicae leonis*, nam huius more, in arena, ubi commoratur, foueas conicas apice deorſum tendente excauat, et inſecta decidentia. corpore ſuo, quod vermiculare habet, circumuoluit, ſpina quadam in capite ipſi prominente, velut claua perforat et exſugit. Animal Reginae iuſſu deſcripſit Ill. DE GEER, et IPSA Academiae deſcriptionem dedit, magno hiſtoriam naturalem excolendi Suecis incitamento. p. 180.

4) Ex Cl. STROEMERI epiſtola, *de effectibus vis electricae in corpus humanum et ad morbos tollendos*, refertur. Excuſat ſe vero Cl. STROEMER, quod artis ſalutaris non peritus, haec debito modo narrare non poſſit. Pluribus aegrotis vis electrica auxilium attulit. Puella viginti trium annorum inde ab initio anni 1749 dolore pungente in oſſe coxendicis dextro et femore cruciabatur, ita, ut tibia ſub femur retraheretur, et progredi non poſſet, ſed lecto decumberet. Remediis quibusdam adhibitis, decembri aliquem pedum uſum rurſus conſequuta eſt, dolores tamen ſentiit, in primis noctu et frigido tempore; autumno 1750 rurſus decubuit uſque ad medium iunii 1751, tunc noctu ſaltim dolores ſenſit, et grallarum duarum auxilio progredi potuit. Hanc veſtibus tenuibus indutam, globo vitreo, quem ipſa manu p. 193.

 fricabat,

fricabat, electricam reddidit, partes, quae dolebant, trans veſtes, partim cum ſcintillis, partim ſine ſcintillis tangebantur, ita dies quatuordecim plerumque una vice quotidie pergebatur. Videbatur ipſi rigiditas durante operatione electrica ex partibus aegris ſecedere, aliquot vero horis poſt redire, aucto interdum et ingraueſcente dolore. Hoc Cl. LINNAEO ſignum bonum viſum eſt, continuata igitur operatione electrica, poſt tres circiter dies ceſſit dolor omnis, unicaque gralla et baculo fulta progredi potuit. Tunc ictum leidenſem Cl. STROEMERVS partim per totum latus aegrum, partim transuerſim per coxam, femur et genu egit, hae igitur partes ipſi aegrotae mox rigidiores, mox flexibiliores viſae ſunt, tribus vero ſeptimanis elapſis, grallis carere potuit, baculo ſaltim uſa. Poſt ea nihil mutationis animaduerſum eſt, etiam ictu leidenſi applicato. Operatione vero electrica penitus intermiſſa, nihilo minus ſenſim ſenſimque ad meliorem valetudinem rediit, ut ſub exitum ſeptembris minus claudicaret, baculoque carere poſſet. Hoc tempore dolorem ſub oſſe coxendicis ſenſit, ubi tumor natus eſt, qui cum ſponte aperiretur, pauxillum puris cum fruſtulis oſſium exiit; Clauſus rurſus ſponte eſt tumor, rurſusque apertus et clauſus. Firmitudinem membrorum maiorem maioremque ſemper conſequuta eſt, ut nemo fere animaduertat eam claudicare, in primis cum electricitate rurſus aliquoties uſa ſit.

Simile auxilium ab electricitate experta eſt puella annorum quindecim, cuius dorſum a vi dolorum adeo curuatum erat, ut ſolum grallarum ope et difficulter progredi poſſet. Huic ſcintillas electricas immiſit ſecundum ductum ſpinae dorſi, et ad latera eius, praecipue in hypochondriis, ubi dorſum quam maxime curuatum erat. His octo circiter dies, quotidie quartam horae partem, continuatis, effectum eſt, ut corpus per longitudinem manus transuerſae

magis

magis extendere poſſet, grallisque ea quantitate longioribus opus haberet. Operarionibus electricis eodem modo continuatis, melius meliusque valere coepit, donec ſub finem iulii grallas omnino abiecit, baculo ſolo fulta. Tunc in femore ſiniſtro rigorem ſenſit et dolorem, qui durante experimento electrico et per tempus aliquod poſt ceſſabant, veſpere vero redibant, varias corporis partes peruagati, donec, tribus primis auguſti ſeptimanis elapſis, ſine baculo cameram tranſire poſſet. Deinde electricitate non amplius uſa eſt, bene autem valuit, et per plateas grallis non innixa iuit.

Similes aliquot caſus Noſter recenſet, in quibus enarrandis longiores non erimus, cum ipſe fateatur, ad ea ſe in experimentis his non attendiſſe, quae artis ſalutaris peritus erat obſeruaturus, puta euacuationes, quae electricitatem applicatam ſequi videntur, item leges eius rite applicandae. Ita v. g. dum genu dolet, aut infirmum eſt, non ubique ex toto genu ſcintillae educendae ſunt, ſed ex muſculis ſaltim debilitatis: Quod ſi non obſeruetur, dolores multi aegroto creari poſſunt, neque diffitetur id in cauſa forte fuiſſe, cur tam varius experimentorum ſucceſſus, alternantibus dolore et auxilio, fuerit. Iam vero maiore cura experimenta inſtituuntur, dirigente archiatro Cl. ROSENIO, quorum edendorum ſpem facit.

5) *Scirpum* LINN. Flor. Suec. 39. 42. *in lacubus plantari* ſuadet PETRVS HÖGSTROEHM, quo pabulum pecori, ſaltim deficiente alio, praebeat. Experientia fultus monet, libenter eo pecora veſci. Secari vero debet ante, quam floreat, quod in auſtralibus Sueciae partibus ſub finem Iunii aut initium Iulii contingit, poſtea enim rigidior eſt planta, et pecori ingratior. Plantatur nulla fere arte, caules una cum radicibus e terra eximuntur, deinde appenſo lapide p. 203.

pide

pide immittuntur foramini, cui implantari debent. Terrae genera omnia plantae conueniunt, dum modo radices agere poſſit.

p.206. 6) *De characteribus anguium quaedam obſeruat* Cl. LINNAEVS, quos ſcutorum abdominalium et ſquamarum caudae numero praecipue abſolui, primum ſe docuiſſe refert. Fatetur vero hunc numerum variare, ea tamen lege, ut, quod uni ſquamarum generi decedat, alteri adcreſcat. Ita v. g. ſi quidam anguis ſquamarum abdominalium paria quinque minus habeat, quam quae conueniant generi ſuo, ſquamarum caudae numerus conſuetum quinario exſuperabit. Igitur ſpeciem anguis Cl. LINNAEVS diiudicat ſquamis abdominis et caudae additis. Hic vero duae vel tres pauciores vel plures eſſe poſſunt, cum non ſatis determinatae ſint eae, quae ſub mento, ad caudae extremum, et ſub exitum ani reperiuntur.

p. 208. 7) *Machinam granis frumenti bonis, a paleis et a granis inutilibus ſeparandis idoneam,* deſcribit SVEN LIVNGQVIST. Frumentum ex infundibulo quodam, rotae ope circumgyrato, eiicitur, unde fit, ut grana, quo plus proprii et ſpecifici ponderis habent, eo longius auolent, quod leges vis centrifugae intelligenti manifeſtum erit. Sic obuiam itur variis incommodis, quibus vulgaris methodus hanc ſeparationem perficiendi obnoxia eſt. Ea enim, dum frumentum aduerſus ventum proiicit, niſi vento flante, inſtitui non poteſt, colonum, qui illa utitur, pulueri aerem replenti exponit, auferendi partem frumenti licentiam famulis non ſatis fidis dat, denique pro conditione venti flantis, et vi atque directione, qua grana proiiciuntur, melius aut peius ſuccedit, ſemper vero hac multo imperfectior eſt. Monet Auctor, factis debitis mutationibus, hunc modum adhiberi poſſe ad maſſas minerarum metallo foetas a ſterilibus ſeparan-

ſeparandas, quo lotiones minerarum comminutarum euitari queant.

8) Cl. HIORTERI *obſeruationes meteorologicas anno* 1749 *Vpſaliae habitas* edit Cl. FERNERIVS. p. 212.

9) Cl. HERMANN SCHVTZER *obſeruationem publicat fiſtulae, in vagina uteri, a peſſario uterino natae, et feliciter curatae.* Femina quadraginta circiter annorum, undecim annis ante, quam haec ſcripta ſunt, ultima vice puerpera facta, obſtetrice utebatur imperita. Infantem magnos dolores perpeſſa edidit, ſed cum ſecundinae eſſent eximendae, ſanguis vehementer profluxit, et prolapſus vaginae uteri ſequutus eſt. Vt huic malo mederetur, obſtetrix peſſarium uterinum ipſa confecit et applicauit, anno vero, poſt quam haec euenerunt, peſſarium parauit ex fruſto ligni cera obducta, neglexit autem particulam ligni, ſeparatam et ſola cerae viſciditate cum reliquo coniunctam. Hoc peſſarium geſſit femina per decem annos, non ſine inſigni moleſtia, hocque tempore ſaepius dies duodecim vel quatuordecim decubuit. Cl. SCHVTZER ad eam vocatus, febre ſymptomatica correptam reperit, pulſum vero magnum et tumorem durum circa perinaeum, qui in ipſam uteri vaginam, inteſtinum rectum, partesque circumiacentes pertingebat. Ideo, peſſarium mali cauſam eſſe ſuſpicatus, in eximendo eo fruſtra laborauit, ob anguſtiam viae et tumorem. Fruſtra etiam occupatus fuit in reſoluendo hoc tumore inflammatorio, intra octo vero dies ad ſuppurationem peruenit, et ingens quantitas puris et excrementorum ex vagina uteri exiit. Poſt euanuit tumor, et peſſarium quam difficillime exemtum eſt, ubi reperit SCHVTZERVS partem a toto receſſiſſe, et acie ſua irritaſſe haec loca, tumorisque cauſam exſtitiſſe. Apertura, quae vaginam uteri et inteſtinum ipſum pertranſibat, ad altitudinem p. 221.

dinem quatuor digitorum transuerſorum pertingebat, ſicque non ſupra leuatores ani; perſpiciebatque Noſter, auxilium abſque operatione eſſe nullum. Decreuit igitur hanc portionem, ut in fiſtula ani fit, reſecare, ne materies nouas ſibi vias aperiret, et ſinuoſitates fiſtuloſas produceret. Vulnus eo modo tractabatur, qui in fiſtula ani adhiberi ſolet. Sex ſeptimanis exactis, abſoluta erat cura, excrementa rurſus per viam conſuetam egrediebantur, et ope plumaceolorum ex lintei ramentis, decocto herbarum adſtringentium in vino gallico, *Pontac* dicto, coctorum et uteri orificio applicatorum, prolapſus vaginae omnino ſublatus eſt. Infert hinc 1) cautione magna opus eſſe in ſecundinis extrahendis, ne trahendo funiculum, fundus uteri extrahatur, et inuerſio uteri efficiatur, aut prolapſum uteri producat manus, ſecundinas ab utero nondum ſeparatas amplexa. 2) Peſſaria caute eſſe paranda et applicanda. Maxime probat confecta ex ſubere cera tecto, mollia, in medio eleuata, ad latera plana, laeuigata. 3) Non vero diutius anno unico peſſarium idem in loco ſuo relinquendum eſt, alias inaequale et nodoſum euadet, cruſtaque dura ab adfluxu humoris acris obducetur. Horizontalis eſſe debet ſitus peſſarii, ut extremis ambobus ſymphyſi oſſis iſchii incumbat. Malos effectus ab alio peſſarii ſitu obſeruauit. 4) Denique apoſtemata perinaei uſque ad fundum aperienda iubet, fruſtra exſpectatur ſanatio ab exiguo foramine, puri exituro facto, et plumaceolis, quae digeſtiuis et balſamicis tincta ſunt, occludendo.

p. 226. 10) *Inſtrumentum ceſpiti ſecando* (*Torffpflug*) deſcribit ANDREAS ROSENBORG Centurio. Aratri ad modum confectum eſt, et vomere ceſpitem ſecat.

p. 228. 11) ANDREAS HELLANT, *locorum plurium, intra circulum polarem ſitorum, longitudines geographicas*

cas definit. Quae de ſtatu atmoſphaerae ad mare glaciale habet, excerpemus. Raro coelum ibi ſerenum eoque magis atmoſphaera nubibus plena eſt, quo amplius terra in mare ſe extendit. Quam primum thermometrum gradus aliquot infra punctum congelationis deſcendit, ex mari, quod numquam glacie obducitur, eleuatur nebula craſſa, nubibus aterrimis ſimilis, quod idem obſeruatur in *Nordlandia*, Sueciae prouincia, ad cataractas, quae etiam non congelantur. Nebula haec eo craſſior eſt, quo maius eſt frigus, vento autem verſus littus pellitur et terram tegit.

12) *Ex diario academiae* refertur ſepulcrum anti quum detectum eſſe, et in eo cum oſſium fruſtulis cultros duos ex ſilice agatho (*Flintenſtein*) confectos. p. 238.

Trimeſtre quartum:

1) Hiſtoriam artium ad metalla ex materiis, quibus commixta ſunt, ſeparanda, facientium tradit Cl. SCHEFFER. p. 241.

2) *Transformationem vermis* illius, quem trimeſtri proximo art. 3. deſcripſerat, Ill. DE GEER enarrat. Aureliae formam exhibere non potuit, quoniam arena undique tecta erat, arenam vero amouere noluit, metuens, ne animal laederetur. Exit vero ex aurelia muſca, habitu corporis tipulae ſimilis, ſed propter os cum proboſcide carneo ad muſcas LINNAEI referenda. p. 261.

3) *Aedificium frumentis igne ſiccandis* (*Rija*) deſcribit CAROL. WINBLAD, quod eo praeſtat, quod toſtioni frumentorum ad zythopoeiam, carnibus item fumigandis ſimul ſeruire poſſit. p. 266.

4) *Au-*

p. 269. 4) *Aurum album aut ſextum metallum*, nuper in America, quae Hiſpanis paret, detectum et *Platina del Pinto* appellatum, deſcribit HENR. THEO. SCHEFFER *. Arenam Americanam ex Hiſpania nactus, accuratiori examine haec in ea reperit: 1) grana arenae obſcuri coloris, 2) grana minerae ferri, coloris ferrei, magneti obedientia, 3) paucula grana auri natiui, 4) plana triangularia ſcalena, argenti albedinem oſtendentia, quae a magnete non trahebantur. Hae particulae triangulares metallicae ferrum videbantur, caſu quodam albedinem conſequutum, malleo obediebant aeque, ac ferrum, non vero ſequebantur magnetem, ne quidem igni expoſita. Repetitis ignitionibus non nigreſcebant, nec comburebantur, quod ferro accidit. Ceterum haec expertus eſt: 1) Pauculo plumbi commixtum metallum hoc album, malleo inobediens fit, aeque ac aurum, plumbo mixtum. 2) Cum plumbo igni in catillo cinereo (*capelle*) expoſitum, circumagitur, (*es treibet*) et dum hoc fit, illam colorum varietatem oſtendit, quam *blumen* docimaſtae appellant. Separatio vero illa reguli metallici a plumbo, quae *blicken* vocatur, perfecte non contingit, quia in caloris vehementia, ad id negotium neceſſaria, plumbum non circumagitur, neque forte tantus calor obtineri poteſt, niſi vitro uſtorio. Metallum igitur, quod in catillo paululum ante perfectam ſeparationem conſiſtit, obſcuri coloris fit, rugoſum in ſuperficie ſuprema, album inferius, malleo non obediens, et a plumbo in illo reſiduo augmentum accipit. 3) Sulphuri non unitur, ſed ad illud ſe auri more habet, unde etiam cum antimonio crudo colliquatum, in regulum intrat, ſed aegre ſeparatur ab antimonio, quod non totum in vapores abit, quia aurum hoc album ut perpetuo fluat, effici nequit. 4) Aequali ponderi

* Eius iam mentio facta eſt in Philoſ. Tranſact. no. 496. 584. Conf. Comment. noſtr. Vol. I. P. IV. p. 708.

ponderi cupri commixtum, pari facilitate cum cupro fluit, et ſatis malleo obedit, quo etiam aurum aemulatur. Vbi mixtura haec igne follium ope circumagitur (*vor dem Geblaeſe getrieben*) eo modo, quo cuprum purum efficitur, (*Garkupfer*) ſcintillas emittit, ferri, quod malleo percutitur, more. Scintillae hae, ad aliquam diſtantiam proiectae, in granula rotunda abeunt, et metallum utrumque commixtum exhibent. Aurum cupro commixtum ita ſe non habet. Mixtura minus ductilis euadit. 5) Inter mixturas aliorum metallorum cum auro albo mixtura cum argento quam difficillime fluit, ita quidem, ut ſi fuſio ope tubuli (*Loethroehrchen*) peragi debeat, tres partes argenti, unicae auri huius albi addi debeant. Mixtura albedinem, utrique metallo propriam, retinet, dura vero fit et malleo inobediens. 6) Aqua fortis non ſoluit hoc aurum, argentum vero illi commixtum ab eo ſeparat. 7) Aqua regis ſoluit illud, ſi exigua quantitas metalli menſtrui reſpectu adſit, facile ſolutio in cryſtallos abit. Praecipitatur haec ſolutio a mercurio, ut aurum vulgare in aqua regia ſolutum. 8) Arſenico addito, fuſio ea facilitate fit, qua cuprum et ferrum arſenico commixta funduntur, nullum vero corpus, fuſionem adiuuans, (*Fluß*) requiritur, quo opus eſt, ut arſenicum, cuprum vel ferrum intret; ſed arſenicum album, metallo huic ignito additum, ſtatim cum eo coit. 9) In catillo fundi aurum hoc album nequit, quia, ut fundatur, calore opus habet, fortiori aut ſaltim aequali ei, qui catillos optimos Waldenburgenſes, ex argilla et quarzo factos, liquat. Supra carbonibus nudis, absque catillo fieri poſſet fuſio, ſi maior metalli quantitas haberetur. 10) Metalli huius habitum ad mercurium examinare non potuit, quia ſatis magnam eius copiam non habuit. Ex his experimentis ſequentia infert: 1) Metallum eſſe corpus hoc, quia malleabile eſt, etſi duritiem ferri malleabilis non habeat. 2) Nobile me-

tallum eſſe, quod non minus ignem toleret, ac aurum et argentum (*Exp.* 2. et 4.) 3) Differre a ſex metallis cognitis; eſſe enim nobile metallum, cupri, ſtanni, plumbi, ferri nihil continens, quia nihil in igne perdit; Diſcrimen eius ab argento oſtendunt (*exper.* 3. 6.) ab auro (*exper.* 4. 8. 9.) Antiquitus metalla ſex, ſemimetalla quinque nota fuerunt; ad haec vero proximis 21 annis acceſſere praeter hoc metallum ſemimetalla duo, a Suecis, BRANDIO et CRONSTEDIO detecta (vid. *Acta Acad. Reg. Suec.* 1751. *Trim.* 4. *art.* 7.). 4) Ob fundendi difficultatem, niſi cum aliis metallis miſceatur, ad opera, quae fuſione perficiuntur, adhiberi non poteſt (*exper.* 9.). 5) Facile cum aliis metallis funditur, ſed plerumque malleo inobediens fit (*exper.* 1. 5. 9.), maxime ductile manet cupro commixtum, et ſimul facile funditur, hoc etiam metallis nobilibus ſimile (*exper.* 4.). 6) Maxime ad auri naturam accedit, (*exper.* 1. 3. 6. 7.) ut iure appellari poſſit aurum album. Differt tamen ab auro, colore, ductilitate et duritie, ignis denique gradu, quem, donec fundatur, tolerat. 7) Auro commixtum, ab eo ſeparari non poterit ullo modorum, quibus metalla huc uſque cognita ſeparantur (*exper.* 3. 6. 7.). Niſi forte ſpiritus ſalis purus ſoluat hoc metallum, dum aurum non ſoluit. 8) Quod ſi ad uſum adhiberi debeat, cogitandum eſt de modo illud ſuper carbonibus fundendi, tunc enim aeque, ac ferrum, malleo duci poteſt. Argento commiſceri non conuenit (*exper.* 5.). Auro non ſine damno commiſceretur; cupro mixtum, aeruginem patitur (*exper.* 3. 6.) et in igne auolat (*exp.* 2.). 9) Optimam praeberet materiem ſpeculis teleſcopiorum catadioptricorum, quia nihil damni patitur a vaporibus, in aere volitantibus. Ponderoſum eſt, hincque denſum, colore autem caret, duriusque auro eſt.

ſ) *Idem*

5) *Idem* addit *alia tentamina, circa idem metal-* p. 276.
lum ſuſcepta, poſtquam maiorem eius nactus eſt quantitatem. Huc vero redeunt. Aurum album ab arena lotione ſeparatur; magnetem ſequi videbatur, ſed ignitum non amplius obediit, indicio, ante adhaeſiſſe ferri ramenta, igne ſeparata; ceterum fortiter ignitum, maxime albidum et argento ſimile euaſit, quod metallis nobilioribus proprium eſt. Spiritu ſalis puro non magis, ac vulgare aurum, ſoluitur. Solutio in aqua regis valde rubeſcit, et ſi ſaturata ſit, puluis flauus vel coeruleus fundum petit, maiori adhuc copia, ſi aqua pura adfundatur. Sed ſolutioni ſaturatae maiori aquae regiae copia adfuſa, puluis ille, qui fundum petierat, rurſus ſoluitur, et poſt ea non amplius ab aqua pura addita praecipitatur, neque deinde puluis ille coeruleus a ſolutione ſeparatur. Vitriolum ferri, aut ferrum ſolutum, aurum album ex aqua regis non praecipitat, quo ab auro vulgari differt. Alcali volatile et fixum praecipitat aurum album in puluerem rubrum, minii colore et ponderoſum. Cum mercurio non coit in amalgama, ne quidem aqua regis addita, cum alias amalgamatio melius ſuccedat, addito menſtruo metallum ſoluente. Igitur ſi quidpiam auri huius albi auro vulgari mixtum ſeparari debeat, ſoluatur in aqua regis, praecipitetur vitriolo ferri, edulcoretur praecipitatum, et amalgametur, ita aurum vulgare ſolum in amalgamate remanebit.

6) *Morborum quorumdam memoratu dignorum hi-* p. 278.
ſtoriam exhibet Cl. ACRELL, et in praefatione monet non noua ſe daturum, ſed talia, quibus aliorum experimenta ſuffulciantur, et quae remedia ipſi optime ſucceſſerint, enarraturum. Primus caſus eſt ulceris nati absque praecedente inflammatione. Puella duodecennis, febri continua tribus menſibus emaciata, dolorem denique in coxa ſiniſtra ſenſit, quotidie

 creſcen-

creſcentem, tumeſcente etiam femore ſiniſtro, ut conſiſtere pedibus non poſſet. Elapſis quatuordecim diebus tumor a chirurgo apertus eſt, inciſione trium digitorum transuerſorum minore, quam tumor poſtulabat. Effluxit pus, tumor vero cum dolore creuit. Noſter inuiſens aegrotam comperit ulcus metaſtaſi ex febre diuturna natum, femur tumens, aperturam inciſione factam, pro dimidia parte rurſus clauſam, pus vero flauum, ubicumque premeretur femur, prorumpens. Specillum femur omne ſub integumentis circumire poterat, unde intelligebatur tunicam pinguedinoſam ſupra faſciam latam omnem eſſe deſtructam. Inciſio prior, digitum transuerſum in latere exteriore femoris prope trochanterem facta, producebatur, ſtatimque ratio patebat, cur poſt primam inciſionem tumor ſuperfuerat; ulcus enim ſeparatum ſub faſcia lata degebat, quod apertum plurimum puris effundebat. Muſculi ſubiecti ab omni pinguedine puri erant, et adeo liberi, ut digitus vel ſpecillum nullo negotio inter illos et faſciam latam tolli poſſet ac deprimi, non vero circum femur duci, quia faſcia lata in interſtitia muſculorum ſe immerſerat. Propter hanc pinguedinis deſtructionem, et ut fiſtula caueretur, inciſio ſtatim utrimque producebatur, conſuetis deinde mediis adhibitis aegrota adeo reſtituta eſt, ut mox nullo aliorum auxilio ad progrediendum indigeret. Femur rurſus aequalem cum altero craſſitiem conſequutum eſt, muſculi omnes libere mouentur. Quaerit Noſter, an forte celluloſa deſtructa renata fuerit?

p. 280. Secundo loco refertur de omenti in ſcrotum deſcenſu, qui viro iam ſeptuagenario ante quadraginta annos ab equitatione fortiori acciderat, in inguine dextro. Initio facile manu reducere omentum poterat, unde cingulo uti neglexerat, maximam vero partem temporis omentum extra ventrem manere permiſit, ut ad fundum ſcroti, melonis mediocris magnitu-

magnitudine deſcenderet. Iunio menſe 1748, poſt colicam violentam, adhaeſerat, ut aegroto ſitu immutato in lecto ſedendum eſſet, ſentiretque omnia, quae in herniis, ubi circumuoluta ſunt inteſtina, ſentiuntur, gradu ſaltim minore. Operationem Noſter more conſueto inſtituit. In ſacco parum aquae reperit; omentum, plus quam dimidia ſui parte eo incluſum, craſſum erat, tumens, conuolutum et duobus aut tribus filis pinguedinoſis fundo accretum. Conuolutionem tamen non haec omenti pars produxerat, ſed noua et recens portio eius, quae cum priore deſcenderat. Hanc dilatato annulo repoſuit, reliquam, ubi ſcroto adhaerebat, ſeparauit et oleo roſarum tepido unxit, annulo debite aperto ſuperiora verſus urſit, tumensque et conuolutum, uti id repererat, nulla adhibita ligatura, in ventrem remiſit. Id tarde procedebat, neque ſine inſigni labore; ceſſabant autem ſymptomata priora, nullis nouis accedentibus. Glomer omenti, ſupra annulum per tres menſes ſentiebatur, etſi aeger quinta ſeptimana adeo eſſet ſanitati reſtitutus, ut negotiis ſuis vacare poſſet. Iam nihil amplius ſentitur, tantus eſt caloris naturalis effectus prae artificiali.

Tertio ſarcocelem in virgine nouendecim annorum feliciter ſanatam narrat. Inde a pluribus annis in genitalibus globulum durum ceraſi magnitudine ſenſerat; Ignara, utrum naturale eſſet, an praeternaturale, parum id curauit, in primis quia dolores nullos inde ſenſit. Tribus menſibus ante quam ſcripſit haec Noſter, ſubito globulus creuit, adhuc pudibunda ſex vel ſeptem ſeptimanas matrem ſuam celauit. Cum ei globulum monſtraret, magnitudinem pomi borsdorfiani attigerat, remedia, quae locus, ubi degebat, offerret, fruſtra tentauit, augmento quotidiano coacta, ut Holmiam accederet. Cum primo Noſter tumorem conſpiceret, magnitudine erat pomi gallici, quod *Renette* appellant, ex geni- p. 282.

tali propendens, niger, odore foetente, qualis cancri eſt. Pendebat vero ex collo, a vagina uteri expanſa nato, qui ſtatim ſub orificio exteriori urethrae oriebatur, ſuperiora verſus continuo anguſtior, verſus marginem ſuperiorem partis anterioris uteri extenſus. Tumor ipſe durus erat, denſus, et in ſuperficie exteriore adroſus ad modum ulceris cancroſi, aegrota viribus deſtituta, febri continua cruciata. Remediis ad purgandum ulcus et minuendum fruſtra adhibitis, operatio erat ſuſcipienda. Aegrota tabulae imponebatur, ut in lithotomia fieri ſolet. Catheter urethrae immittebatur, ut reperiri illa ſemper poſſet, collum tumoris, quam fieri poterat, altiſſime ligabatur, urethra digitum transuerſum a collo ſeparabatur, ne orificium eius a ligatura ſequente inflammaretur. Deinde collum ſecundum longitudinem ſuſpenſa manu aperiebatur, ut in herniis fieri ſolet, urethra paullo altius a collo ſeparabatur, deinde acu curua fiebat ligatura fortis duplex, certa diſtantia ab urethra, per collum, quod totum ſolutum erat, non amplius peruium, ſupra globulum illum durum, qui ad fundum vaginae uſque pertingebat. Ligatura primo facta tollebatur, poſterius vero nodi veluti bini fiebant, unus in facta illa urethrae a collo ſeparatione, alter circa collum ipſum, quam fieri poterat, altiſſime. Collum cum tumore, digito transuerſo infra ligaturam reſecabatur. Cum collum ſatis craſſum eſſet, et diſſecta ligatura liberaretur, protrudere poterat tubercula fungoſa, quae generari in cancro renaſcente ſolent. Noſter vero tertia quauis die ligatura noua uſus eſt, altiore magis et altiore, donec globulus ille durus illa contineretur, ſicque ligando ſepararetur. Poſt ea conditionem cancroſam locus adfectus mutauit, et aegra quinta ſeptimana ſanitati reſtituebatur, iamque bene valet. Infert hinc in caſibus eius modi partem remouendam rectius circumligatione exſtirpari, quam cultro, quoniam li-

gatura

gatura altius altiusque adaƈta, paullatim tolli omnia poſſint, quae parte quadam reſeƈta prehendi nequeunt. Ita verrucas cancroſas a labiis ligatura feliciter ſuſtulit, male ſucceſſiſſe ſeƈtionem vidit.

Vltimo fiſtulae grauiſſimae ſanationem felicem narrat. Ob corpus nimio frigori expoſitum aeger ſub finem anni 1749 dolores inſignes capitis et auris, praecipue in latere ſiniſtro ſenſit, elapſis tribus menſibus tumor durus iis in locis enatus fuit, qui paullatim increuit, quo faƈto aeger aure ſiniſtra non amplius audiuit, nec os aperire potuit. Tumor hic, cum, ut videtur, ad glandulam parotidem maxime pertineret, ſuppuratione debite curari potuiſſet. Sed aeger complura remedia inconſulto et fruſtra tentauit, quo euenit, ut ſuppuratio in fundo tumoris oriretur, cum vero via ad exitum nulla pateret, ipſum pus viam ſibi aperuit, primo verſus oeſophagum, deinde verſus meatum auditorium. Poſt, anno effluente usque ad initium anni 1750, quo huc aduenit, fiſtulae complures partim natura, partim arte apertae ſunt. Apertas ſane et fluentes Cl. ACRELL, cum ad eum delatus eſt homo, vidit, unam verſus oeſophagum infra columnam ſiniſtram fornicis muſculoſi palatini, unam ſecundum longitudinem direƈtam in meatum externum auditorium, unam ſupra aurem, duas ante aurem infra os malae, duas poſt aurem, tres vero infra ad collum, fere in triangulo tumori circumpoſitas. Totum latus durum erat, partes vero ſenſu carebant. Praeter muſculos attollentes et deprimentes maxillam, ſternomaſtoideus, ſplenius, et complexus maior, una cum pluribus aliis tumoribus induratis inuoluti erant. Facies a deſcenſu ſanguinis impedito intumuerat. Fiſtularum quarundam communicatio erat, non vero omnium. Integumenta externa ſenſu carebant, et ſub iis ulcera nucham verſus extendebantur. Vt tam graui malo, quantum fieri poſſet, mederetur, ad haec potiſſi-

p. 285.

mum Noſter reſpexit: In primis ut tumor ille durus aucta ſuppuratione minueretur et liquaretur, quo partes tumore inuolutae et iam ſenſu carentes, in ſitum habitumque naturalem reducerentur. Deinde plures aperturae ut in pauciores contraherentur; tertio ut per has aperturas media liquantia in fundum ulceris deferri commode poſſent; quarto ut liquato penitus, quod durum tumori inerat, fiſtula aperiri et curari poſſet. Primum cataplaſmate pingui emolliente obtinuit, bis quotidie tumori impoſito ab anni initio ad maii medium; adhibitae etiam fuerunt turundae ex melle roſato indurato, mercurio rubro praecipitato mixto, quotidie, quo magis colliquatio progrederetur, longitudine et craſſitie auctae. Iniectiones etiam adhibebantur ad directionem ductuum fiſtuloſorum examinandam, eaeque iam facilius et copioſius in oeſophagum penetrabant, quam ante. Martio menſe aperturae ſupra aurem ſanatae erant. Eodem menſe, ſpecillo cereo, $\frac{3}{4}$ ulnae longo, ductus ſub praecipuo tumore reperiri, et ſpecillum per aperturam ſuperiorem rurſus protrudi poterat. Tota vero ſpecilli longitudo vix ſufficiebat, ut profunditatem duri huius tumoris metiretur. Ad ſequentes binos fines obtinendos eadem operatio faciebat, fiſtulae laterales enim facile explorabantur et aperiebantur, ſicque remedia liquantia ad fundum melius pertingebant. Cum ſpecillo cereo ſimul introducebatur ſetaceum, ex linteo carpto factum, cuius ope remedia, de quibus diximus, liquantia commode immittebantur. Plurimae fiſtularum lateralium partim liquando materiem contentam, partim aperiendo eas, ſanabantur. Licet autem in fundo fiſtulae ingens eſſet ſuppuratio, tumor tamen hic, fere cartilagineus factus tarde nimis ſoluebatur. Igitur intra ambas aperturas, ab uno ſetacei extremo ad alterum, inciſionem egit, per membranam adipoſam, quae ex celluloſa fere cartilaginea facta erat, cultro

cultro reſiſtens. In fundo huius inciſionis, in corpore illo duro, quod tumor continebat, denudato, poſt ea, maxima tamen circumſpectione, adhibita ſunt eſcharotica, lapis infernalis et butyrum antimonii alternatim. Quam primum una eſchara decidebat, alia in eius locum ſucceſſit. Ita ſeptimanae quinque peractae ſunt. Tumor inſigniter diſſoluebatur, iamque patebat, ſternomaſtoideum adeoque venam iugularem etiam, inter ſetaceum non contineri, carotis exterior, vel rami eius externi an in tumore vel prope eum reperirentur, indicari non potuit. Iam vero reperit Noſter, omnia irrita fore, niſi interſtitium inter ambas aperturas perfecte aperiretur. Eſcharotica inciſioni profunditatem digitorum quatuor in tumorem durum conciliauerant. Noſter amplius illis uti in profundo non auſus eſt, lateribus vero applicabat, unde natum eſt vulnus profundum et ſimul amplum, haemorrhagiae vero ſimul ortae, venae iugularis et ramorum exteriorum carotidis externae; fiſtula verſus oeſophagum nondum coaluerat, remedia enim omnia, quae in profundum ſub tumore penetrabant, guſtum aegri adficiebant, hancque ob cauſam Noſter praecipitatum et alia remedia diſſoluentia in ſetaceo adhibere veritus eſt. Setaceum, cuius longitudo, ut tumorem complecteretur, initio $\frac{3}{4}$ ulnae poſtulabatur, iam idem praeſtabat longitudine duarum tertiarum quartae partis unciae. Interior tumoris durities impediebat Noſtrum, quo minus arteriarum pulſum inter ſetaceum et inciſionem ſentiret: hinc etiam nondum audebat interſtitium diſſecare.

Quarto fini obtinendo corpus durum quotidie, mane et veſperi, ad ductum ſetacei ſecabat; ſingulis deligationibus ſetaceum fortiter circa reſiduum interſtitii conſtringebatur, quod multum valebat ad craſſitiem imminuendam. Inter hanc vero, cum interſtitium non niſi duorum digitorum transuerſorum

craſſitiem haberet, arteria in latere interno diſrupta eſt, quam nominare Noſter non poteſt, hancque ſubſequuta eſt haemorrhagia inſignis et periculoſa. Transuerſim igitur diſſecauit interſtitium, alias enim ſiſti haemorrhagia non poterat; id antea perficere timuerat. Aucta vero eſt haemorrhagia aliquot arteriarum ramulis ſimul diſſectis, violenterque ſanguis per faſcias circumpoſitas profluxit, tertia demum deligatione retentus. In fundo plumaceolos poſuit ſpiritu vini rectificatiſſimo tinctos, quibus alternis ſtratis interiiciebantur fruſtula ſpongiae vulgaris marinae, cerae feruenti immiſſa et compreſſa. Cum ea ſit ſpongiae natura, ut facile intumeſcat, paullatim ſeſe expandendo partes circumpoſitas premebat fortius quidem ſub finem, digito, compreſſa, aut faſcia, preſſu vero exterius applicato in plano ſuo continebatur. Ita in latera carnoſa vulneris penetrabat, non niſi forti ſuppuratione rurſus remouenda, quae octo diebus abſoluta eſt. Intra tres ſeptimanas vel ſub iunii finem, audiendi facultas redierat; ſanata erat colli fiſtula interior, euanuerat durities, et homo ſanitate iam fruitur, quali frui poteſt.

p. 291. 7) *Tabulas pro meridiei correctione, ſub quauis latitudine computanda*, edit Cl. NICOLAVS SCHENMARK, quibus faciliorem reddit praxin regularum, a Cl. KLINGENSTIERNA in commentariis anni 1746 traditarum.

p. 304. 8) *Machinam frumento commode cribrando idoneam deſcribit* Cl. IO. BRAVNER.

p. 305. 9) *Compendium editur obſeruationum circa morbos, electricitatis ope ſublatos aut leuatos, ex diario* Cl. IO. LINDHVLT, Med. D. *Holmiae menſibus nouembris et decembris anni* 1752. *Odontalgia* ſtatim ſiſti electricitate, tam vulgatum eſſe dicitur, ut exempla ſingularia

laria adducere opus non ſit. *Audiendi difficultatem, ſurditatem et tinnitum aurium*, illa tolli pluribus exemplis probatur. Vir annorum quinquaginta ſeptem poſt laeſionem ſupercilii ſiniſtri annos triginta duo, non niſi fortiter in aurem clamantes audiuit, ultimos decem annos tinnitum quoque aurium ſenſit et dentium dolores fere perpetuos. Omnibus ſtatim adeo liberatus eſt, ut dentium dolores nullos amplius perciperet, audiret vero omnia, quae dicebantur. Puellae ſeptenni, a natiuitate ſurdae, hincque vocum proferendarum ignarae, id auxilii adlatum eſt, ut iam alta voce loquentes audiat et audita referat. Hoc modo electricitatis vis laudatur aduerſus muſculorum et iuncturarum dolores, contracturas, luxationes et tendines uſu ſuo priuatos, claudicationem. Adhibitae vero in his morbis cum fructu ſunt ſcintillae electricae et ſimiles effectus electrici.

10) *De ſerpente caudiſona* (*Klapperſchlange*) *et remediis aduerſus ictum eius in America ſeptentrionali adhiberi ſolitis agit* Cl. PETRVS KALM. Huius ſcripti iam prior pars ſaltim prodit, in qua de natura ſerpentis caudiſonae varia narrat Cl. Auctor, ex propriis potiſſimum obſeruationibus. Longitudo plerumque eſt pedum trium vel quatuor, maximam vidit pedum ſex. Craſſities femoris viri mediocris. In una, quam occidit, ſumma cura et repetitis vicibus numerauit ſegmenta abdominis 173, ſquamas caudae 26. Longitudo huius erat quartarum ulnae 7⅜, non computato crepitaculo in cauda, annulorum 7. Latitudo in medio, ubi craſſiſſima erat, digit. geometr. 1, lin. 9. In mandibula ſuperiore plures habet dentes caninos, interque eos 4. fere aequales, duos ad quoduis latus mandibulae ſuperioris in interiore ore, longos, et acutiſſimos, quos reducere et protrudere poteſt, ut feles ungulas; ad radices horum poſiti ſunt alii minores, ſine dubio, ut in locum maiorum ſuccedant, his forte fractis. Radicibus maiorum p. 308.

preſſis,

preſſis, per extrema eorum copioſus liquor viridis profluit. In locis, ab Europaeis habitatis, animalia haec iam rariora ſunt, frequentia in ſyluis et montibus, praecipue iis, qui ex lapide calcario conſtant. Hiemem ſub terra ſomno transigunt, gregatim dormientes, veris initio prodeunt et apricantur, ubi magna copia ſimul poſſunt occidi. Aetatem aiunt ex numero annulorum in crepitaculo diiudicari poſſe, uno quotannis adcreſcente. Antiquitus fertur inuentos eſſe annulis 41, immo pluribus ornatos, Cl. KALMIO retulit aliquis iuuenem ſe ſerpentem 30 annulorum in crepitaculo occidiſſe. Qui iam occiduntur, plerumque ab uno annulo ad 12 habent, forte quod creſcendi tempus infeſti illis incolae non concedunt. Parui unicum annulum gerunt. Crepitaculum, utrum irati, an metuentes concutiant, in ambiguo adhuc eſt. Homines numquam perſequuntur, inepti ad id propter tarditatem corporis.

p. 319. 11) *Sonitus quidam vehementes, in aere auditi*, ex paſtoris OSTBERGII litteris deſcribuntur; cauſa illorum penitus ignoratur.

X.

Acta Phyſico - Medica Academiae Caeſareae Leopoldino - Carolinae Naturae Curioſorum. Volumen X. acced. Appendix et Tabul. aen. 43. Norimbergae, Impenſis B. W. M. Endteri Conſortium. Anno 1754. 4. alph. 2. plag. 6. Append. alph. 2. plag. 1. Index plag. 2.

Etſi Ill. BÜCHNERVS decimum hocce actorum ſeu potius quinquageſimum Academiae Naturae Curioſorum volumen, ad quod ſinguli ſuperſtites Collegae ſymbolum conferre debebant, iam ante duos hosce

hosce annos, ad celebrandam ſecularis illius inſtituti gratam memoriam in lucem edere apud animum conſtituerat; ob deficientem tamen obſeruationum numerum, nimiamque locorum, qua ſocii a ſe inuicem disiunguntur, diſtantiam, neutrum fieri potuit. Et dum Academia iſta, quae ab auguſtiſſimo Imperatore inſigni aureo nummo donata eſt, nouam rerum agendarum periodum meditatur, operam ſeſe nauaturam eſſe promiſit, ut collectanea denuo luci committenda externo quoque ornatu maiori et ſigillatim figurae artificioſe magis et accurate elaboratae compareant.

In recenſendo vero decimo hoc volumine, quod itidem inſigni obſeruationum phyſicae medicaeque eruditionis conſpicuarum numero refertum eſt, ordinem nobis conſuetum obſeruare, atque alias paulo fuſius exponere, alias quoad titulum tantum indicare; et alias denique ſilentio plane praeterire apud animum conſtituimus.

Inſolitum prorſus hepatis ſitum a dextro hypochondrio ad latus deorſum uſque in peluim ſingulariter pertingentis, cuius conuexa pars dextro peritonaei abdominis lateri adcumbebat, concaua vero una cum lobulo Spigelii et veſicula fellea dextram reſpiciebat inteſtinorum partem, vidit atque figura aenea illuſtrauit Ill. HEISTERVS. p. 1.

IDEM praeter alia notatu digna *in cadauere ſexagenarii geſticulatoris expeditiſſimi* decem vel duodecim libras ſanguinolenti liquoris in abdomine, hepar vix dimidiam naturalis magnitudinis molem obtinens, atque inter hoc et coſtas dextri lateris ſpurias, ob hepatis paruitatem ingens ſpatium, in quod iſte, dum geſticularetur, omnia inteſtina tenuia repellere poterat, deprehendit. Foramen, per quod inteſtina herniae inteſtinalis et aquoſae ſimul, in dextro ſcroti latere ſatis conſpicuae, deſcenderant, non conſueto illo, ubi vaſa ſpermatica egrediuntur, loco, ſed p. 4.

trans-

tranſuerſum digitum, antrorſum, ſcilicet, lineam albam verſus, ab annulo iſto diſtans inueniebatur. Inteſtina tenuia vix decem pedes longa ne dimidiam quidem naturalis longitudinis partem, ſed bis tantum hominis ipſius longitudinem aequabant; et in altero rene, quem delineari curauit, peluis ſtricte ſic dicta non aderat, ſed duo quaſi tubuli e concaua renis parte prodeuntes, atque extra renem ad tranſuerſi digiti latitudinem coeuntes peluim infundibuliformem conſtituebant. Veſica eminentiis membranaceis ſphaeroideis, tot quaſi diuerſas veſicas minores, diuerticula ſiue ſinus efficientibus obſita erat, quarum altera ad oui gallinacei, altera ad oui columbini, aliaeque ad minorem accedebant magnitudinem. Oſſa praeſertim ſpongioſiora, poſt inſtitutam ſceleti inſtruendi gratia coctionem, tam tenera et friabilia deprehendebantur, ut absque fractura nec perforari nec filis aeneis connecti poſſent.

p. 10. *Idem* HEISTERVS *virginem ſanauit quindecim annorum, quae inſigni ventris tumore, ob robuſtum hymen prorſus clauſum et inde collectum in vagina uteri ſanguinem, laborabat.* Sanguis ex hymenis vulnere ſcalpelli ope facto, nullo foetore conſpicuus, niger, craſſiusculus, non coagulatus, nec grumoſus, ſed ſatis fluidus, ad quinque libras, inter tria vel quatuor horae momenta, emanauit, abdominisque tumor ſtatim euanuit.

p. 45. *Cartilaginis ſcutiformis et ſecundae laryngis, quae cricoides vocatur, oſſificationem raram, raucedinis incurabilis cauſam prorſus ſingularem et praeterea in ſcutiformi cartilagine fiſſuram quandam in viro quinquagenario* vidit Cl. ADOLPHI.

p. 53. Mulieris *ventriculum in medio* ita *in anguſtias redactum*, ut fere duplex videretur vidit atque delineari curauit HEISTERVS.

p. 54. *Idem* quoque *lithotomiae Celſianae praeſtantiam et uſum hodiernum* expoſuit, eorum praecipue cauſa, qui diſſer-

diſſertationem eiusdem argumenti, ex qua haec depromta ſunt, ab eodem anno 1745 editam non poſſident.

Quadraginta quoque *et unum calculos in* mulieris violenta morte interfectae *veſicula fellea idem* numerauit HEISTERVS. p. 63.

De Rhabarbaro memorabilia quaedam annotauit I. B. DE FISCHER. *Rhabarbarum* et *Rhaponticum* unicam tantum radicem eſſe perhibet *, non niſi mole, teneritudine friabili et duritie diuerſas, ita quidem, ut, quae mole ampla friabiliorisque texturae eſt, *Rhabarbarum*, et quae mole tenuis, dura et lignoſa eſt, *Rhaponticum* ſalutetur. Ambae radices non niſi in Chinae regno et apud illorum proxime vicinos, Mongalos et regni Thibet incolas creſcunt, et ratione ſoli natalis etiam bonitate differunt. Chinenſes Rhabarbarum appellant *Raven*, quod nomen etiam Perſae et Ruſſi retinuerunt. Ruſſi Rhaponticum, *Raven tſcherenkova*, i. e. Rhabarbarum manubriiforme appellant; craſſum autem teneriorum fibrarum et compagis, et quod, reſectis excreſcentiis rhaponticis manubriiformibus, nec non exſectis bene caulium, intime germinantium, propaginibus, ut hoc modo paululum concaua euadat radicis pars ſuperior, ad ſimilitudinem ungulae equinae fere accedit, *Raven podkova*, i. e. Rhabarbarum ungulatum vocant. Tarde creſcit; in horto enim noſocomii Moſcouienſis ante triginta annos ſatum craſſitie vix pollicem ſuperat, *ponticum* idcirco nominandum et manubriatum. Quod terreſtri via, et praecipue hyeme ex China aduehitur, id, quod Ruſſi faciunt, illo praeſtat, quod per mare in Europam adportatur; in nauibus enim ab aere incluſo et a mercium variarum p. 64.

ac

* Omnino hic conferri meretur diſſertatio de Rhabarbaro officinarum, quam Clar. quondam D. IOAN. GEORG. GMELIN, Tubingae 1752. 4. propoſuit et Commentar. noſtror. Vol. II. Part. III. p. 450 ſeq.

ac in primis aromatum effluuiis calidis, ſolisque ardore vitium contrahit. Anno 1737 iuſſu Imperatricis Ruſſicae pharmacopoeo cuidam Cl. Auct. ad hoc negotium inſtructo, atque in ultimam Ruſſici imperii ſtationem *Kjachta* dictam miſſo, omne rhabarbarum bonum vileque coëmtum traditum fuit, qui illud ſub tecto, ita tamen, ut aer undiquaque pertranſire poſſet, adſeruare, a pluuiae ac ſolis acceſſu probe defendere, viliſſimum dein a meliori ſegregare, et prius omne comburere debuit. Reliquum autem bonum, ab humiditate aeris afflatu liberatum beneque exſiccatum et a cortice lignoſo ſqualido et excreſcentiis omnibus ipſisque rhaponticis repurgatum Moſcuam et Petroburgum miſſum fuit. Petroburgi haec curioſa rhabarbari mundatio repetita, rhabarbarumque nitidiſſimum in alias regiones miſſum eſt, ita, ut nitor facile ſuſpicionem mouere potuerit, illud forſitan pigmento quodam obductum fuiſſe. Characteres bonitatis Rhabarbari in eo potiſſimum conſiſtunt, ut ſit friabile, cum duritie tamen aliqua; ut ſucculenta antea eius ſubſtantia gyris innumerabilibus gaudeat, ad inſtar nucis moſchatae; ut ſit craſſior, denſa, ſique ungulae equinae formam non exacte referat, ad molem tamen eius proxime accedat, vel partem repraeſentet eius modi molis, bonae ſupra dictae notae; et tandem ut ſit coloris ex rubicundo flaui penitusque ſiccum. Vermibus non facile exeditur, ſi in ſicco ſemper ſeruetur, magnopere vero temporis tractu exſiccatur, multum de pondere amittit et magis rubicundum fit.

p. 71. Idem I. B. DE FISCHER, IETZII librum *de albis Liuoniae leporibus** emendaturus, annotauit, eiusmodi lepores, qui hyemali tempore pilos e fuſco rubentes in albos mutant, non in Liuonia tantum, ſed et in Ingria, Lithuania, Curonia et Ruſſia boreali inueniri, variasque huius mutationis coniecturas attulit.

Ter-

* prodiit Lubecae. 1749.

Terram quandam coeruleam prope Eccardsbergam in Thuringia repertam, quae etiam in opere de Terris Muſei regii Dresdenſis Lipſ. 1748. p. 93. a Cl. LVDWIGIO deſcripta inuenitur, examinauit atque per experimenta varia illam a ferro colorem coeruleum habere oſtendit Cl. SPRINGSFELD. p. 76.

Sputationem frequentem virginum nuper menſtruatarum annotauit MATERNVS DE CILANO. Haec periodica et per triginta vel quadraginta dies durans, intercepta ſponte iterum rediens ſputatio, aeſtate copioſior, ſine ullo tamen ſanitatis aut fluxus menſtrui perturbatione obſeruata fuit, et ſponte tandem in iis, quae menſtrua per triennium vel diutius expertae ſunt, ceſſauit. p. 100.

In *triga obſeruationum myologicarum varias circa muſculum pectoralem occurrentes varietates exhibuit* I. I. HVBER. v. g. duas portiones clauiculares etc. In puella vero undecim annorum ſingularem prorſus ac praeternaturalem portionem muſculoſam in dextro tantum latere obſeruauit. Haec a ſupremo ſterno atque a coſta ſuprema ipſique vicina incipiebat vix digitum lata, et extrorſum paulo vergendo ad uſque quintae coſtae cartilagineam partem deſcendens, muſculi pectoralis magni partem priorem ac inferiorem obtegebat. Diſtinctus ille muſculus e tendineo principio carneus factus, fibris ſuis decuſſabat infimas muſculi pectoralis, et ante hunc incedens in parte eius infima, cum qua miſcebatur, terminabatur. Vſus adhuc incertus eſt. Idem ſubiectum in muſculo ſartorio ipſi obtulit teretem funiculum vere fibroſum, proprio tendinoſo principio a ſuperiori ac anteriori eminentia cruris oſſis pubis prouenienie, gaudentem, qui vix introrſum ferebatur, deorſum vergendo; et ante quam hic genu attingebat, fibris ſuis carneis ſartorio immiſcebatur, et in unum ibidem caro utriuſque confluebat muſculum. p. 109.

p. 115. *De lethalibus fiſſuris et contrafiſſuris cranii* notabilem caſum deſcripſit Cl. POHLIVS.

p. 117. *Inter varias anatomicas ſectiones* Cl. P. C. FABRICIVS in femina, infantem proprium aliquot menſium lactante ulcere colli cacoëthe et lenta tabe exſtincta obſeruauit, maxillam inferiorem in dextro latere carie undique eroſam et bis transuerſim ſponte diffractam eſſe, nullam enim vim externam perpeſſa erat. In alio feminae cadauere inſultibus epilepticis antea ſaepius obnoxiae ſubitaque morte exſtinctae veſiculam felleam bile vacuam, eius vero loco ultra ducentos calculos angulares figurae anomalae inuenit. Syſtema venae portae ſanguine turgidum, in ouariis hydatides, in cerebro quidem nullam extrauaſationem, vaſa vero durae meningis ſanguine orba aereque diſtenta reperiit. In corpore infantili unius circiter anni arteria carotis dextra immediate ex ipſo aortae arcu, arteria vero ſubclauia dextra poſt exortum ſubclauiae ſiniſtrae a principio trunci aortae deſcendentis proxime ſupra originem ductus arterioſi BOTALLI adhuc peruii prodiit. Neruus iſchiadicus extra peluim egreſſus in altero crure duplex, in altero indiuiſus apparuit.

p. 132. *Fallaciam excretionis adſumtorum ſolidorum per urinae iter* in utroque ſexu ex duobus caſibus, ubi deglutita ſolida v. g. paſſulae minores per ulcus ſinuoſum, ex inteſtino recto in collum veſicae ſeſe terminans, maximo cum cruciatu ante urinae emiſſionem excretae ſunt, oſtendit Cl. I. P. EVRGGRAV.

p. 140. Idem *cor aneuryſmaticum* poſt mortem bis obſeruauit, et ſex eiusmodi hiſtorias refert. Signa triſtiſſimi huius mali praecipua haec ſunt. Si uterque cordis ventriculus aneuryſmaticus fuerit, ictus cordis, palmam manus ſiniſtrae mammillae apponendo, diſtingui et ad numeros reduci non poſſunt, ſed videtur, ac ſi intra uniuerſum pectus, etiam ſuperne verſus iugulum, interne in ſcrobiculo cordis, et in

utroque

utroque latere etiam demiſſiore, plura corda ſimul, ſed ſine ordine ſalirent, idque pro aneuryſmatis magnitudine plus minus vehementer. Si vero tantum cordis dexter ventriculus aneuryſmaticus redditus fuerit, ictus cordis ſub laeua papilla prorſus non, ſed ſub ſterno, et in dextro thoracis latere, percipitur. Si tantum ſiniſter cordis ventriculus aneuryſmate laborauerit, pulſus in carpis ſine ordine et numero decurrunt. Aegri corde quocunque modo aneuryſmatico, ad quemcunque corporis motum, mox difficiliorem anhelationem, et cor moleſtius palpitare experiuntur. Sequuntur ſputa ſanguinea, ſubpurulenta, hydrops, mors. Ipſe vero in additamento ingenue fatetur, ſe in aegri corpore loco aneuryſmatis, quod in dextro cordis ventriculo adeſſe putauerat, cor valde paruum, baſi iugulum, mucrone diaphragma reſpiciens, et arcum aortae adeo aneuryſmaticum inueniſſe, ut ultra ſedecim aquae uncias caperet.

Vrinae difficultatem, ultra viginti annos moleſtiſſimam, ſubito tandem ſuſtulit Cl. I. GRASHVIS. Vir nobilis quinquaginta annorum anno aetatis vigeſimo ſexto poſt largiorem vini rubri potum ſuppreſſionem urinae ſibi contraxit, quae cataplaſmate ex cerefolio regioni pubis impoſito aliquoties quidem ſublata fuit, toties vero breui poſt cum muci tandem excretione rediit. Ex eo tempore aliquando per horas aliquot totalem lotii ſuppreſſionem cum perpetua ad mingendum incitatione, dolore moleſtiſſimo et fere intolerabili, ut vigeſies quandoque vel ultra intra horae ſpatium, fruſtra licet, mingendi conatibus obedire cogeretur, donec tandem muci copiam magna cum vi ex urethra prorumpentem urina ſequeretur. Haec frequenter admodum foetens ingentem muci copiam albumine oui ſpiſſiorem, cohaerentem, pelliculamque quaſi formantem, et tenacitate ſua matulae fundo poſt urinae effuſionem adhaerentem depo- p. 151.

 ſuit.

ſuit. Quandoque etiam ſtriae ſanguinolentae ipſi intermixtae fuerunt, quin et merus ſanguis poſt exonerationem urinae et muci exiit. Cum vero urinam pellentia in hoc aegro peſſimum ſemper ediderint effectum Cl. Auctor in eas incidit cogitationes, annon forte abſceſſio muci veſicae naturalis horum omnium ſymptomatum cauſa ſit, et annon hic per adſtringentia fortiora in veſica retineri poſſit. Praeſcripſit ideo tincturae Cortic. Peruu. unc. j. Eſſent. Cinnamom. unc. ſemis. Spirit. Vitrioli drachm. ji. M. S. 25—30—40 gtts. quo ſumto ſecundo iamiam die urinae exitus, cum magna dolorum imminutione, longe facilior redditus, nec amplius unquam mucus ea copia excretus, poſt annuum vero huius medicamenti uſum morbus plenarie ſublatus fuit.

p. 230. *Veſicatoriorum utilitatem in variolis malignis* exſiccationis et febris ſecundariae tempore ſuris adplicatorum obſeruauit Cl. D. G. THEBESIVS.

p. 232. IDEM, *iuuenem* viginti aliquot annorum *ex petechiis et pleuritide vera delirum nocte hyemali in fluuio innoxie ſe lauantem* obſeruauit.

p. 236. *Veram colli* quoque *ſubluxationem* cum curatione extemporanea bis idem annotauit Cl. THEBESIVS. Famula inter cadendum in platea caput ſubito et vehementer reclinans mox attonita quaſi iacuit, rigido collo et ad tergum reflexo capite, facie liuore ſuffuſa, nec a confluentibus hominibus ad vitam ullo modo reuocanda: chirurgus aduolans perſpecto corporis ſitu ſubluxationem colli arguens, illud arreptis auribus extendit et protinus lapſae vitam reſtituit, ſed ſubſequentibus iam motibus conuulſiuis, quibus ſuperatis famula demum ſurgit atque abit, nullo poſthac malo tentata. Et puella ſexennis obeſi corporis et colli breuioris caput inter procidendum ſubito, quantum valuit, retraxit; quo tergum verſus reclinato capite procumbens, voce, ſenſu, motuque deſtituta per aliquot horae momenta in vitam reuocari non

potuit;

potuit; ab adueniente vero ſamula capite arripitur et toto corpore pendulo eleuatur, et tum ſtatim edito clamore ad ſe rediit, ſine ulteriore ſanitatis offenſa.

Singultum et vagitum uterinos omni ſtudio defendere atque explicare annititur Ill. I. B. DE FISCHER. p. 254.

Rarius quoddam empyema pectoris, ſub quo materia ſanioſa per ſingularem canalem, ſerpendo verſus dorſi ſpinam formatum, ad femoris usque muſculos deſcenderat, deſcripſit Cl. G. C. SPRINGSFELD. Pueri decem annorum, cuius ſiniſter thorax dextro eminentior fuerat, prima ſecunda et tertia lumborum vertebrae locis ſuis ita emotae reperiebantur, ut earumdem proceſſus ſpinoſi non decliues, ſed ad dorſi ſpinam magis recti eſſent. Aperto thorace omne ſiniſtri pectoris cauum materia ſanioſa, liuida, putri, feculenta ad quatuor fere libras repletum erat. Qua exemta toti interno pectoris cauo praeſertim ſepto transuerſo materia fuſca foetida, glutinoſa priori multo craſſior atque tenacior adhaerebat. Haec canalem ſibi fecerat, qui iuxta ſpinam ad corporum vertebrarum anteriorem ſiniſterioremque partem et illo loco, ubi ſeptum transuerſum cum vertebris cohaeret, lumbos verſus deſcenderat, ſeparaueratque ita ſeptum a ſpina, ut extra peritonaeum, ſuper quadratum lumbarem, pſoam maiorem et iliacum ſub vaſis emulgentibus renis ſiniſtri ſub peritonaeo ſerperet, et ad illud foramen, quo arteriae et venae iliacae ſub ligamento FALLOPII egrediuntur, exiret; progrediebatur hinc ad muſculos femur inueſtientes, praeſertim ad originem muſculi cruralis, ubi ſaccum paullo ampliorem ſibi effecerat. Hic canalis in principio tres fere digitos latus deſcendendo ſemper anguſtior inueniebatur. Diuerticulum quoddam circa decimam ſeptimam et octauam vertebram intra muſculum pſoam maiorem et quadratum lumborum formauerat ſatis amplum, quod ſanie illa craſſiore ita repletum erat, ut externe quoque videri ac tangi poſſet. p. 296.

 Omnis

Omnis pulmo ſiniſter tabe ita conſumtus erat, ut ne reliquiae quidem pulmonis exſtarent. Supererant principia bronchiorum, nec non vaſorum maiorum ſanguiferorum, arteriae ſcilicet et venae pulmonalis, quae ceu rami detruncati in ſummitate rurſus conſtricta denuoque clauſa apicum digitorum inſtar prominebant *. Omnis fere pleura eroſa atque exeſa, muſculus intracoſtalis VERHEYENII conſumtus, et plurimae coſtae perioſtio denudatae carieque infeſtatae erant. Alterum thoracis cauum perfecte ſanum deprehendebatur. Proceſſus obliqui articulares duodecimae dorſi vertebrae ita ſedibus ſuis exciderant, ut proceſſus, qui ex inferiori decima tertia vertebra conſurgunt, poſteriora verſus moti, et ſuper proceſſus deorſum ſpectantes ſuperioris duodecimae elati conſpicerentur. Quaeritur, an luxatio, quae quinque abhinc annos facta et male curata creditur, huius empyematis cauſa fuerit?

p. 303. *Pulueris ſcillitici compoſiti effectum ſingularem* annotauit Cl. I. S. ALBRECHT. Sexagenario maior ſcorbuticus anno 1752 in hydropem cum maxima ſpirandi difficultate incidit. Omnibus fruſtra tentatis Cl. Auctor ipſi exhibuit Rp. Pulu. rad. Scill. crud. gr. vij. Vincetox. Pimp. alb. Bryon. a'a gr. iiij. Nitr. puriſſ. gr. V. M. D. pro una doſi cum potu copioſiore iuris carnis macilenti. Poſt paucarum horarum interuallum aegrotus comitante vomitu, vehementi febri correptus et mente alienatus fuit. Sumta vero potione diapnoica a meridie, aluo ſoluta largius, ſomnum tranquillum diuturniorem expertus eſt, poſt quem febris non ſolum penitus ceſſauit et mens rediit, ſed tanta quoque urinae copia profluxit, ut intra viginti quatuor horas non ſolum omnis in toto corpore

* Simile quid obſeruatum legimus in Cl. F. H. L. MVZELL *mediciniſcher und chirurgiſcher Wahrnehmungen. Erſter Sammlung. Berlin*, 1754. 8. p. 13 ſeq. et Comment. noſtr. Vol. IV. Part. I. p. 89.

corpore tumor diſparuerit, ſed viribus quoque, reſtituto nunc appetitu, poſt paucos dies auctioribus conſueta munera obire potuerit. Poſt trimeſtre ſpatium menſe ſeptembri idem puluis morbum redeuntem iterum fugauit. Menſe nouembri vero, cum idem vehementius reuerteretur, dimidia huius pulueris pars nihil effecit et aeger tandem martio ſequente mortuus eſt.

Par calculorum felleorum ſingularium, morbi grauioris complicati, tandemque funeſti, cauſam primariam conſtituens obſeruauit Cl. I. C. REINMANN. Ex hoc, ob morbi diuturnitatem et atrociam, atque diriſſimorum ſibi inuicem oppoſitorum ſymptomatum multitudinem et complicationem, nec non ob plurimas, in accurata cadaueris poſt mortem inſtituta perſcrutatione, inuentas res praeternaturali modo conſtitutas, maxime memorabili caſu, hoc ſaltem, ne nimis longi ſimus, annotamus; in veſicula fellea ne guttulam quidem bilis, eius vero loco binos calculos repertos fuiſſe, quorum inferior, in fundo cyſtidis haerens, moſchatam nucem magnitudine aequauit. Alter ſuper hunc viſendus paulloque maior calculus, albi coloris, firmae duritiei, ſuperficiei inaequalis et eminentiis aſperis oblongis quaſi cryſtallinis cinctus, in principio ductus hepatici, ubi hic in cyſticum tranſit, ſedem ſuam fixerat, aſperaeque eius eminentiae et cryſtallinae membranis huius ductus et hepatis ſubiacenti ſubſtantiae adeo arcte innexae erant, ut cultro anatomico inde ſeparari debuerit, cuius figuram quoque Tab. V. fig. 5. in aes inciſam repraeſentat. p. 317.

De cicuta ſolo lacte curata, deque eius pariter natura, effectu atque antidotis quaedam meditatus eſt Cl. S. HEE. Pauperrima puella duodecim annorum radices cicutae maioris loco radicum paſtinacae auide collectas ignitis cineribus ſubiicit, ut toſtis hisce dapibus famem ſiſteret. Dimidiam vero alterius cum p. 327.

 comedis-

comediſſet, cardialgia et anxietate inſigni cum mentis alienatione, vocis defectu, faciei liuore, membrorum elanguidorum tremore gelidoque per haec decurrente ſudore corripitur. Frater ipſi aquam porrigit, cumque conſtrictae fauces tranſitum ab initio denegarent omni fluido, obtrudere illud pergit, donec ſenſim relaxatis gulae ſpasmis hauſtum frigidae infundit. Mater accedens ipſi tandem ſuaſu Cl. Auctoris lac tepidum propinat, quod ſaepius hauſtum complures vomitus ſequuntur, quos excipit ſomnus profundus et integerrima ſanitas. Ex antidotis, quae lac tepefactum, aquam tepidam, oleum, acetum et vinum eſſe perhibet, acetum ideo quoque maxime commendat, quia ſpasmis promtiſſime medetur.

p. 349. *Sanguinis ex aure fluxum a cauſa externa non ſemper laeſionis cerebri vel cranii ſignum eſſe* ex duobus caſibus oſtendit Cl. H. F. DELIVS. Ruſticus enim et puer nouem annorum diuerſis temporibus ab alto decidunt, et ambo fere exanimes iacent. *Prior* reſuſcitatus vomitus frequentes experitur, et dum breui poſt iuſculum comedere tentat, toruus videt, ad quaeſita nihil reſpondet, delirare videtur et ſubito inarticulatas voces cum aliquo clamore edit inſequentibus fortiſſimis totius corporis conuulſionibus. Has ſtertor demum pectoris et ſuffocatiua pathemata excipiunt, et exſpirare creditur. *Sanguis largiter ex aure fluit*, ſecatur vena in pede et ad ſe redit aegrotus. Sanguis ſecundo die iterum ex aure fluxit, et aeger tertia a lapſu hebdomade a vulnere paruo colliſo occipitis plenarie reſtitutus eſt. *Alter* circa os temporum ſiniſtrum ingentem et ſugillatum tumorem et vulnus pollicis magnitudine circa canthum oculi externum habuit. Palpebrae prae tumore clauſae fuerunt *et ſanguis e naribus et ſiniſtra aure copioſe fluxit*, qui ſanguinis fluxus tertio adhuc die obſeruatus et aeger intra quatuordecim dies plenarie reſtitutus eſt.

De

De calculis felleis numero quadraginta nouem, figurae et magnitudinis prorſus eiusdem, partim ex abſceſſu in epigaſtrio prodeuntibus, partim anatomica ſectione in cyſtide fellea repertis diſſerit Ill. A. E. BÜCHNER. p. 358.
Poſtea quam vetula ſeptuaginta ſex annorum menſe iunio 1739 ad temonem alliſerat, apoſtema in regione epigaſtrica tres circiter digitos ab infima poſtremaque coſta vera lateris dextri verſus ſcrobiculum cordis exortum eſt. Hoc d. 29. octobris apertum copioſum pus laudabile effudit, et ex hac apertura a die 16 nouembr. ad diem 5 ianuar. 1740, quo aegra accedente ictero nigro mortua eſt, ſeptem parui albidique lapilli ſenſim egreſſi ſunt, quorum aliquos Tabul. V. delineatos ſiſtit. Inſtituta ſectione abſceſſus per muſculum abdominis oblique deſcendentem penetraſſe; magnaque eiusdem atque contigui recti muſculi portione exeſa, peritonaeum perforaſſe, inde per ſuperiorem marginem iecinoris (quod cum peritonaeo coaluerat, et hic loci friabile, reliqua vero parte ſcirrhoſum erat) canalem deduxiſſe inuentus eſt, qui eo, quo ſuperne cyſtis inflectitur fellea, loco, poſt ductus hepatici inſertionem, finiebatur, et inde in ipſum veſiculae felleae cauum tendebat. Ipſa cyſtis calculis, quos ſingulos non nihil liquoris tenacis mucidi albiſſimi, et a bilis natura prorſus alieni, interfluebat, erat referta. Hic peculiari ordine tabulatim ſinguli ſingulis ſuperiniecti erant, ita ut ſinguli ſeptem ſtratum conficerent circulare. Sex eiusmodi ſtrata et conſequenter quadraginta duo calculi aderant, qui cum ſeptem antea egreſſis ſtrata ſeptem et quadraginta nouem calculos efficiebant. Horum figura per pyramidem quadrangulam regularem, ſuperne reſectam, in baſi vero perparum cauatam ſeu veluti impreſſionis nota ſignatam optime definiri poterat. Pondus cuiuslibet calculi recentis quatuor grana aequabat. Horum dein calculorum drachmam unam analyſi chemicae ſubiecit atque ex iisdem ea-

dem fere producta ac ex ipſo felle taurino eodem modo deſtillato obtinuit. In ſcholio adiecto horum calculorum geneſin quoad figuram et compoſitionem explicare tentauit.

p. 372. *Rariora quaedam foſſilia* in lutifodina ex monte Mauritiano Norimbergae vicino effoſſa deſcripſit, atque in aes incidi curauit Cl. I. A. BEVRERVS, de quibus etiam aliorum ſententias ſibi expetit. Cum deſcriptiones vero absque figuris vix intelligi poſſint, de iis nihil amplius monemus.

p. 387. *Brachium ſphacelatum per αὐτοκρατείαν naturae ſeparatum aegro ſuperſtite* et laboribus quoque durioribus manu et brachio ſiniſtro perficiendis ſufficiente annotauit Cl. I. H. FVRSTENAV. Ruſtico quadraginta annorum a trabe lignea manus dextra, carpus et cubitus vehementer et ita colliditur, ut gangraena et ſphacelus breui poſt inſequerentur. Aeger amputationem vehementer reſpuens chirurgum hortatur, ne illum deſerat. Hic ſphacelum, qui non ſolum totum brachium, ſed et vicinam iam regionem intercoſtalem occupauerat, profundis ſcarifationibus, defendentibus balſamicis et mundificantibus, haud omiſſis roborantibus et cardiacis eo euentu tractauit, ut muſculi et vaſa ſanguifera in brachio ſenſim exareſcerent atque tandem ſponte deciderent, ſola oſſis humeri eminentia ſuperſtite, leui ſerrae tractu poſtea ademta et a corruptione vindicata.

p. 394. *Motus conuulſiuos in puella quatuordecim annorum inter rariores reputandos obſeruauit* Ill. I. B. DE FISCHER. Hi poſt crebras aquae frigidae immerſiones et iter maritimum periculoſum ingruente hyeme acceſſerunt, illis, uti nobis videtur, haud abſimiles, qui in morbo *die Kriebelkrankheit* nominato frequenter obſeruantur. Aloetico - nitroſa, clyſteres et praecipue pediluuia morbum quidem exaſperare videbantur, cum vero horum uſum catameniorum fluxus prima vice inſequeretur, pergitur eadem methodo,

et

et poſt tertiam fluxus menſtrui acceſſionem plenarie reſtituta fuit.

IDEM *monenda quaedam ad obſeruationes iam communicatas pertinentia* ſubiunxit, ex quibus tantum notamus in deſcriptione *Krakatizae* Volum. IX. horum Actorum Obſeru. LXXIX inſerta * hoc zoophyton male *Krakatizam* adpellatum eſſe, vocari enim debere *Karakatizam.* Monet inſimul hoc vocabulum graecae originis eſſe, et Germanos in Vkrainià iſtud (*eine Seeſpinne*), araneam marinam vocare. p.400.

Miram ſalacitatem in ſene nonaginta ſex annorum annotauit Cl. G. H. BEHR. Hic enim virginem nonaginta trium annorum in matrimonium duxiſſe et cum illa qualibet fere nocte ter ſtrenue concubuiſſe dicitur. p.406.

In ultima tandem CIV. obſeruatione Cl. I. W. F. BOENNEKEN *de calculis veſicae humanae urinariae* notabilem caſum annotauit. Vetula enim ſeptuaginta annorum aliquot liberorum mater anno 1745 menſe iunio poſt praegreſſos vehementiſſimos dolores noctu e ſomno tranquillo expergefacta inſcia et absque ullo dolore calculum praegrandem membrana glabra cinctum et pondere uncias quatuor ſuperantem excreuit. Hanc calculi excretionem urinae incontinentia excepit. Poſt ſeptem annos denuo doloribus calculum indicantibus in ſella ſedens correpta, et ſurgens lectum petitura inſcia rurſus calculum unciam ſemis et grana duo ponderantem in marginibus valde aſperum, nulla vero membrana velatum excreuit. Hos calculos fig. 10 et 11. Tab. V. repraeſentant. p.408.

In appendice continetur:

1) *Epidemia verna, quae Wratiſlauiam anno* 1737 *grauiſſime afflixit, deſcripta ab* Ill. IOANNE GOTHOFREDO DE HAHN. Quam dignam iudicauit celeberri- p. 1.

* vid. Commentar. noſtr. Vol. II. Part. I. p. 40.

berrimus quondam Auctor, cuius memoria his an-
nalibus medicis conſeruaretur, partim, quod epide-
mia illa propius acceſſerit ad ſaeuitiem peſtilentiae ve-
rae; partim quod ſibi ipſi iſtius epidemiae ſqualori-
bus tabeſcendum fuerit, adeo, ut ex intimo rei ſen-
ſu petitae ſint iſtius luis per Sileſiorum Auguſtam
graſſatae rationes.
p. 3. Sectio I. cauſas occaſionales tradit. Ampliſſimam
enim foecundae meſſis ſpem, quam vernale tempus
anni 1736 oſtenderat, pluuioſiſſima tempeſtas menſe
maio, iunio et ſequentibus ſubito praecidit. Fluuii
enim ex alueis excedentes et maximarum piſcinarum
exundationes amoeniſſimos Sileſiae campos in vaſta
ſtagnantium aquarum receptacula mutarunt, quibus
non ſolum meſſis apparatus imminutus, ſed reliquo-
rum quoque granorum maturitas vitiatis ariſtis cohi-
p. 5. bita fuit. Quam tanta inſecuta eſt annonae caritas,
ut non pauci ex plebeiis fame conficerentur, multi
in ſiluis victum conquirerent, nec a cadauerum iam
putrorem ſpirantium effoſſione atque vix igne digeſto-
rum auida comeſtione abſtinerent. Delicatuli quo-
que contemptiſſimis quandoque cibis delectabantur,
et mediae ſortis homines parcior et deterior per
p. 6. omnia corrumpebat victus. Aquae in cellis et decli-
uioribus locis ſtagnantes tam prauae indolis erant,
ut non ſolum homines tactu laederent, ſed et equo-
rum pilos cito cadere facerent cutemque exulcerarent.
Immenſa erant inſectorum copia conſpurcatae; quo
ipſo abominabilem foetorem ſpirando aer ambiens
ſilentibus ventis putreſcebat. Et animantium car-
nes ſuccique ex defectu potus ſalubris et pabulis
aquarum vitio corruptis morbida labe inficiebantur,
quam proxime ad homines, qui illis veſcebantur,
tranſitura. Hinc ſaluberrima alias Sileſia ſequente
anno in valetudinarium mutata eſt. Debilitata enim
et macerata fibrarum compages fatiſcebat, ubi poſt-
modum vel ſiccis caloribus, vel frigoris rigoribus ten-
taretur.

taretur. Et princeps et vera ſic dictae *malignitatis* febrium illarum ratio latere ipſi viſa eſt in hebetato, ſi non penitus deſtructo fibrarum et vaſorum minimorum elatere, quanquam ſpurca illa humiditatum effluuia neutiquam excludat.

Sectio II. ſex morborum hiſtorias continet et plerasque funeſtas. Subita enim virium proſtratio capitis et praecordiorum vehementiſſimus dolor, ſiccitas amarorque oris aphthae, faucium ſpasmi et angina absque tumore, vomitus et diarrhoea bilioſi, algor totius corporis cum inſequente vehementiſſimo aeſtu, ſudores colliquatiui, cum exanthematibus ad carbunculorum naturam accedentibus praecipua morbi ſymptomata conſtituerunt. p. 7.

Sectio III. Cum vero nec repetita venaeſectione nec aliis quibuscunque remediis morbi vehementia ſuperari poſſet, Celeb. Auctor patris conſilio excitatus, in hisce anguſtiis, ignis elemento deſtructori, elementum aquae opponere, et iugi abluitione frigida vel praeuertere vel delere ignes ſacros tentare decreuit. Cum igitur Cl. Auctor d. 9. iunii ab aegro hanc medelam ſpernente et morti proximo circa veſperam domum redux ipſe hoc morbo vehementiſſime conflictari coepiſſet; febri mox a principio potiones largas ſaturate nitratas, citratas analepticas, ipſamque aquam ſimplicem ſaccharo edulcoratam, et ſaeuienti dolori noctu vel pill. de cynogloſſ. gr. vj. vel vij. vel extr. Opii aquoſ. gr. j. obiecit. Alexipharmaca calida abhorruit. Vrgentibus die ſeptimo ſymptomatibus abluitionem frigidam uniuerſalem, quae antea particularis tantum obtinuerat, ſpongiis madidis in auxilium vocauit; quam perſpiratio liberior ac ſudor modeſtus cum momentaneo recreationis ſenſu excepit. Feneſtris apertis libero aeri aditum conceſſit; lectum de die alium occupauit, alium de nocte, et induſia frequentius mutauit, ne ea, quae exhalabant ſanguinis recrementa reſorberentur per vias patulas. p. 11. p. 16.

Vnde-

Vndecima ſudor, armiſtitium aliquot horarum producens, mane opportuno corticis uſui locum conceſſit, cuius drachmas quinque cum ſummo recreationis ſenſu non deglutiuit, ſed tanquam delicatum quendam cibum maſticando deuorauit; Duodecima die eiusdem quatuor iisdem horis drachmas, decima tertia tres tantum, et decima quarta non niſi unicam, illo grato guſtu deſtitutus, aſſumſit: quo id ſaltim conſecutus eſt, ut quotidiana exacerbatio tardius et ſub noctem demum ingrueret. Die decima quinta media nocte glaciali iſto frigore rigidus et mori viſus frigida iugi abluitione reuocatus eſt, redeunte cum auditu aliqua ſpe vitae. Die decima octaua ſuſpectiſſima extra lectum verſandi libido ſtatim ſumma infirmitate reprimebatur. Abhinc tamen prima cibi cupiditas. Impetu in cucumeres et carnem bubulam acto, deſiderio vix cito ſatis implendo. Sudor abunde defluxit, dum cibum caperet. Hoc deglutito ſomno abreptus eſt, et morbus quadraginta dierum ambitu iudicatus fuit. Surarum ſpasmis cum duritie negotium adhuc facientibus. Epidermis ſenſim omnis deflua. Vnguium emortuorum et incuruorum regeneratio rubella menſe demum auguſto malorum agmen clauſit. Vigente morbo aluus bis officii monita cremore tartari.

p. 21. 2) Cl. IOANNIS IACOBI RITTERI, *Tentamen hiſtoriae naturalis ditionis Riedeſelio-Auimontanae, in floram, mineralogiam, faunam et commentationem de aere, aquis et locis etc. diuiſum.* Plantas legere coepit menſe auguſto 1744, deſiit martio 1747. Claſſem primam et ſecundam iuxta HALLERI enumerationem ſtirpium Helueticarum, ſequentes vero
p. 122. iuxta RVPPII Floram Ienenſem diſpoſuit. In mineralogia inter alia lapidem polyedrum deſcripſit, atque figuris aeneis Tab. I. illuſtrauit, qui ex colle *Billſtein* quadrantis horae ab urbe meridiem verſus diſtan-

te,

te, prominet, et in varios uſus utiliſſimus copioſiſſime effoditur. Catalogum quadrupedum, auium, piſcium ab amico accepit. Inſecta tam ex LIEBKNECHTII Tr. de diluuio, quam ex propriis obſeruatis ſyſtematice propoſuit. Et in quarta tandem parte de aere, aquis et locis, aquarum pondera diuerſa, incolarum vitae genus, mores, morbos et medicinam ſubiunxit cum tabula alphabetica morborum, in qua numerus ciuium, iisdem ab anno 1744 ad 1747 laborantium, indicatur. p. 125.

3) Cl. IOANNIS AMBROSII BEVRERI *examen chemicum picis liquidae tam illius, quae in Norwegia, quam eius, quae in Thuringia paratur.* Ob celebratum illud picis liquidae infuſum, quod Angli procul dubio ex Norwegica, et illa pice liquida, quae in Thuringia paratur, conficiunt, Cl. Auctor has binas picis liquidae ſpecies per varia experimenta chemica accuratius perſcrutari ſibi propoſuit. Nos, qui cum in tanto experimentorum numero nec ſequi, nec ea in compendium redigere poſſumus, illorum ſummam breuibus tantum lectoribus noſtris ſumus indicaturi. Norwegica enim non ſolum quoad odorem et ſaporem thuringica fortior ipſi videbatur, ſed et infuſa more Berckleyano parata hanc differentiam confirmabant ita, ut illud, quod ex thuringica paratum eſſet, odoris debilioris et ſaporis paululum tantum aciduli deprehenderetur. Vtraque infuſa, ablatis partibus tenuioribus oleoſis, cum tredecim diuerſis liquoribus atque ſolutionibus miſcuit, et ex apparitionibus concluſit, utraque particulas acidas cum terra tenui nexas continere, et ſcatere inſuper particulis oleoſis et viſcoſo-gummoſis. Deſtillauit porro uncias triginta duas utriusque infuſi ex maris balneo, obtinuitque ſub initium debilem liquorem empyreumaticum, tandem vero valde acidum et priore magis oleoſum magisque empyreumaticum. Bini hi liquores p. 159.

res inuicem miſti gratioris ſaporis quam infuſum ipſum fuerunt. Reſiduum ſub extracti ſpiſſioris forma ipſo deſtillato erat acidius. Deſtillatio infuſi picis liquidae thuringicae eadem producta, minus tamen acida exhibuit. Varia quoque inſtituit experimenta ad obtinendum ſal eſſentiale et in pice norwegica id quidem, licet non adeo purum detexit; in pice liquida thuringica vero partes ſalinas nulla ratione in
p. 165. corpus ſalinum redigere potuit. Miſcuit porro octo uncias picis liquidae norwegicae cum ſufficiente quantitate aquae et deſtillationem in maris balneo ad ſiccitatem uſque inſtituit. Obtinuit 1) olei aetherei drachmas duas coloris ex flauo rubri, odoris olei cinamomi, 2) liquorem acidulum oleo empyreumatico impraegnatum, 3) liquorem impurum, ad modum tamen acidum. Reſiduum picem naualem referebat. Eadem deſtillatio picis liquidae thuringicae eadem quidem producta exhibuit, oleum vero aethereum ſcrupulorum ſeptem magis flauum fuit, et odorem debiliorem empyreumaticum olei pini ſparſit, reliquorum vero liquorum aciditas minor quidem fuit, ſed plus olei continuit. Extracta quoque fecit ex utraque pice liquida ita, ut primo ſpiritum vini rectificatiſſimum affunderet, et cum hic nihil amplius extrahere valeret, ad extractionem ulteriorem aqua deſtillata ſimplici uteretur; et poſtmodum vice verſa aquam primo loco, ſpiritum rectificatiſſimum vero ſecundo loco adhibuit. Inſtituta haec experimenta ipſi oſtenderunt, picem liquidam norwegicam oleum aethereum aromaticum, reſiduum ſpongioſum, et partes acidas, nec non ſal eſſentiale verum contine-
p. 169. re. Picem contra liquidam Thuringiae plures partes reſinoſas oleoſasque, pauciores vero debilioresque acidas oſtendere, ex quibus concludit, picem liquidam Norwegiae maiore arte paratam eſſe, quam thuringicam, eandemque, priorem ſcilicet, oleum lini expreſſum, vel alïud eiusmodi oleum admiſtum habere

coniicit.

coniicit. Ad indagandam igitur huius coniecturae p. 170.
veritatem ex ligno pini oleum deſtillauit admodum fragrans, cui aequalem olei lini recens expreſſi quantitatem admiſcuit, binaque tamdiu agitauit, donec perfecte unirentur: obtinuit hinc oleum aeque pellucidum ac antea, minus tamen fragrans, ſed odorem picis liquidae ſpirans: addidit miſcelae huic q. ſ. aquae ſimplicis eandemque ex balneo maris deſtillauit, et oleum quidem deſtillatum, illi vero ex pice liquida norwegica minus ſimile obtinuit. Addidit hinc non nihil olei tartari foetidi, miſcelamque probe agitatam et digeſtam deſtillauit denuo, atque ſic obtinuit ſimile oleum aethereum, cinamomum ſpirans, ac antea ex pice liquida Norwegiae obtinuerat. Porro utriusque picis liquidae uncias octo retortae p. 175.
vitreae indidit, lentoque arenae igne deſtillauit, ex quibus tandem concluſit partes, picem liquidam conſtituentes, eſſe terreas, viſcoſo-gummoſas, aquoſas, acido-ſalinas, reſinoſas et oleoſas. Picem vero liquidam Norwegiae pluribus ſcatere partibus aquoſis, viſcoſo-gummoſis, terreis atque acido-ſalſis. Picem contra liquidam Thuringiae plures habere partes oleoſo-reſinoſas. Partes ceterum ſalinas eſſentiales, quas pix liquida Norwegiae maiore copia continet, efficacius reddere infuſum ex ipſa paratum; hoc itaque, quoad uſum medicum, praeferendum eſſe infuſo picis liquidae thuringicae, licet et hoc arte aeque forſitan efficax reddi poſſit. Arbitratur tandem, *eſſentiam picis liquidae D.* CAROLI HOMPSWOOD nihil aliud eſſe, quam ſimplicem extractionem ſpirituoſam picis liquidae Norwegicae cum ſpiritu vini tartariſato paratam.

4) Cl. IOAN. ANTONII IOSEPHI SCRINCI, *meditationes phyſicae de phialis vitreis, quae caſu minimi ſilicis, in easdem proiecti, diſſiliunt.* Satis cognitae ſunt phialae vitreae, quae caſu minimi ſilicis, in eas- p. 177.

dem proiecti, diſſiliunt, ratio vero, ob quam diſſi-
p. 184 liant, non aeque. Quidam enim hoc phaenomenon ex elatere corporis iniecti explicare tentarunt, Cl. vero Auctor per experimenta varia oſtendit, corpora admodum elaſtica v. c. globulum eburneum, et filum ferreum in aliquot ſpiras contortum et in phialas proiectum easdem non disrumpere. Quodſi vero idem hoc ita contortum filum ferreum, in igne candefactum, aqua frigida exſtinctum, ut hac ratione chalybeum factum, dein refrigeratum et ſiccum in phialam proiiceretur, tunc ſtatim intra quatuor ferme
p. 210. horae ſecundas diſſilire. Disruptionem igitur phialarum potius dependere arbitratur partim, a fragilitate, tenſione et elaſticitate fibrarum vitrearum nuclei phialae appendentis, praecipue vero ab ingente copia ignis huic nucleo incluſi et latentis, qui a chalybe, ſilice, gemmis in easdem proiectis, itidemque copioſum elementarem ignem continentibus, attritu in celerem motum excitetur, ſeſe expandat, et ſic phialas cum fragore disrumpat. Attritus piſtilli et ignis electricus, quo itidem hae phialae diſſiliunt, hanc ſententiam confirmare videntur.

p. 225. 5) Cl. FRIDERICI BOERNERI *diſquiſitio anatomico-medico-practica, de tabe ſicca lethali, a mirabili duodeni anguſtia et praeternaturali plane ventriculi ſitu**.

p. 231. Vir quinquaginta et quod excurrit annorum, temperamenti cholerico-melancholici, vitae ſedentariae, victuique duro, craſſo, ſalito et fumo indurato adſuetus et ſpirituoſi potus ſtrenuus amator ante ſex circiter annos aegrotare et contabeſcere coeperat. In hypochondrio ſiniſtro tumor conſpiciebatur oblongus, renitens, mollis a diaphragmate ad pubem uſ-
p. 233. que extenſus. Aderant aluus obſtructa, nauſea, vomendi conatus et vomitus ipſe. Poſt mortem in hypochon-

* Recuſa ea modo hic eſt. Prodiit enim iam hic Lipſiae anno 1752. in 4to cum fig.

pochondrio ſiniſtro ventriculus a diaphragmate ad pubem fere uſque expanſus, flatibus impletus, corruptus, inuerſus, infra diſcedens umbilicum, veſtrumque repraeſentans ſaccum, et in duodeno calloſa quaedam anguſtia pollicis latitudinem excedens et ita coarctata inueniebatur, ut nec tenuiſſima quidem fluida per eam iniicere valeret. Hepar putridum et ita corruptum fuit, ut digitis facile conteri poſſet. Veſicae felleae nullum plane veſtigium et lienis magna induratio conſpiciebatur. Quae omnia figura aenea illuſtrare conatus eſt.

6) I. H. C. H. S. M. D. *Mercurii ſophici delaruati Lib. III.* p. 245.

7) *Hiſtorica recenſio et reuelatio celebratiſſimi collyrii anglicani viri quondam illuſtris* HANS SLOANE. *Interprete Menandro II.* De hoc collyrio vero, cuius praecipua virtus in pinguedine viperarum conſiſtit, ob rationes et leges, quas nobis ipſi praeſcripſimus, nihil amplius monemus. Prodiit enim anglice anno 1745. p. 285.

8) Vitae eruditorum atque huius academiae ſociorum in hoc volumine continentur tres; nimirum vita IOANNIS FRIDERICI CRELLII, IOANNIS FRIDERICI FÜRSTENAV, et IOANNIS CHRISTIANI KVNDMANNI, tandem p. 297. p. 313. p. 321.

9) Ill. CHRISTOPHORVS IACOBVS TREW, Ill. ANDREAE ELIAE BÜCHNERO *decimum horum actorum volumen feliciter abſolutum gratulatus eſt, et antea iam annotatorum ſpecilegia quaedam addidit.* In ſpecilegio I. Cerei triangularis florem denuo examinauit et delineauit. In Specil. II. Aneuryſmatis ſpurii, ſecundum methodum in VIII horum actorum volumine p. 490 iam propoſitam, feliciter curati p. 345. p. 349. p. 354.

aliam hiſtoriam deſcripſit, et commoda huius per experientiam comprobatae methodi, quae in compreſſione ſola cum charta bibula maſticata, et alcohole vini una cum ſubtiliſſimo puluere glutinante imbuta conſiſtit, incommodaque reliquarum methodorum uberius recenſuit, omniaque figuris aeri inciſis atque
p. 375. coloribus pictis egregie illuſtrauit; et in III. tandem Specilegio, quod miſcellanea continet, additamenta ad obſeruationes, de leporibus albis, calendula prolifera, et collyrio anglicano, ſubiunxit.

XI.

Academiae Caeſareae Leopoldino - Carolinae Naturae Curioſorum Bibliotheca Phyſica, Medica Miſcella partim ſociorum munificentia, partim ipſius ſumtibus comparata. Praemittitur de non nullis ad eum ſpectantibus praefatio ANDREAE ELIAE BÜCHNERI. Halae Magdeburgicae academiae ſumtibus. 1755. 4to. pl. 17½. Tab. aen. I.

Praecedenti voluminis Actorum phyſico medicorum recenſioni occaſione data pauca, quae bibliothecam nunc indicatam ſpectant, ſubnectimus, uberiorem vero Illuſtris huius Academiae deſcriptionem tunc temporis exhibituri ſumus, quando ea, quae ab Ill. Praeſide promittitur et proxime in publicum prodibit Hiſtoria academiae naturae curioſorum a nobis commendanda et ulterius declaranda erit. Primi academiae huius ſtatores et conditores de bibliotheca, in uſus publicos colligenda, ſolliciti quidem fuerunt, nunquam tamen neceſſarii ſumtus inueniri potuerunt. Cum vero anno 1730 Vir Cl. IOHANNES IACOBVS BAIERVS Academiae Praeſes conſtitueretur, ſocios omnes peculiari epiſtola ad hoc

hoc inſtitutum exequendum ita incitauit, ut quilibet vel libros vel nummos, libris coemendis deſtinatos, conferret. Ipſa haec epiſtola, d. 18. ſeptembris 1731. Altdorfi Noricorum data, normam huius rei, decem momentis expreſſam, praeſcribit, quae cum legis quaſi vim obtinuerint, praefationi iterum inſerta inueniuntur. Ex voto omnia ceſſerunt et ſequenti iam anno de muſeo, libris diſponendis apto, cogitandum erat, quod tunc temporis Norimbergae inueniebatur. Nimis cito autem ereptus fuit de publicis Academiae commodis ſollicitus Praeſes; is enim obiit anno 1735, quo tempore tantum volumina centum et nonaginta quatuor collecta erant. Paulo poſt vero praeſidio Academiae admotus fuit Ill. BÜCHNERVS, qui anteceſſoris digniſſimi veſtigia preſſit, et omnem curam in augenda quoque bibliotheca poſuit. Locum itaque bibliothecae condendae aptiorem inuenit Erfordiae in atrio aedium concamerato, quod ab ampliſſimo dictae ciuitatis ſenatu in hos uſus concedebatur, in quod bibliotheca anno trigeſimo ſexto huius ſeculi diſpoſita et continuis acceſſionibus perfectior reddita fuit, ita, ut et rerum naturalium egregia collectio ſimul adderetur. In duplici icone appoſita et atrium bibliothecae condendae adaptatum et diſpoſitio ſcriniorum, in quibus collecta aſſeruantur, abumbratur. Laudat Noſter eximiam ſociorum munificentiam, in primis Ill. CHRISTOPHORI IACOBI TREWII, Academiae Directoris, qui ſolus quadringentis quadraginta tribus voluminibus et in his plurimis raris et ex vetuſtate commendabilibus operibus bibliothecam hanc ditiorem reddidit. Cum autem Ill. Praeſes ante hos decem annos Halam Saxonum abiret, Excell. Vir IOHANNES HIERONYMVS KNIPHOF bibliothecae curam ſuſcepit et cum laude hactenus ſuſtinuit.

Complectitur autem in praeſenti bibliotheca haec mille ducenta et ſeptuaginta volumina, eo ordine

conſignata, quo ſingulis annis acceſſerunt, ſine reſpectu ad materiam, formam vel auctorem et ſimul annotatur, quinam libri ex fiſco Academiae comparati, quinam a ſociis dono dati fuerint. Cum autem hic librorum catalogus in eorum gratiam concinnatus ſit, qui apparatum augere velint et inde difficile ſit libros praeſentes ſtatim inuenire, duplex additus eſt index, prior nimirum alphabeticus auctorum, alter anonymorum librorum, quorum ope quilibet breui labore cognoſcet, quinam libri et quaenam editiones in hac bibliotheca inueniantur.

XII.

IOANNIS TACK ſpecimen obſtetricium, de partu difficili capite infantis praeuio, Lugd. Bat. apud G. Wishoff et C. de Pecker. 1755. 4to mai. pl. 8. *

Paucis generalioribus prooemii loco praemiſſis ad ipſius, quem deſcribendum ſibi ſumſit, morbi ideam atque hiſtoriam indagandam ſeſe conuertit Cl.
p. 3. Auctor. γομφώσεως, ex articulationis dentium analogia, ſeu inclauati et incuneati capitis nomine mor-
p. 4. boſam hanc parturiendi difficultatem inſignit. Varias eruditorum methodos, quibus triſti illi malo mederi conati ſunt, allegat. Alii matris ſalutem infantis morti praeferendam eſſe ſibi perſuadentes, viuum foetum trucidare, et crudeli hoc modo partum facilitare nulli dubitarunt, alii nefas exiſtimantes futuro ciui manus inferre eumque e medio tollere, etſi in ſummo vitae periculo viderint matrem, expectarunt, donec foetus in anguſtiis ſuffocatus perierit; alii utrisque parcentes viuae matris abdomen incidi, viuumque foetum ex utero protrahi iuſſerunt; alii omnem

* Eſt diſſertatio inauguralis d. 6. febr. propoſita, cuius titulum bibliopola mutauit.

omnem inſtrumentorum apparatum reiiciunt et phar-
macis matrisque ſitu varium in modum mutato ma-
lum hoc tolli poſſe contendunt; alii denique, quo-
rum aſſerta noſtro arrident Auctori, viuum foetum
ex matre illaeſa protrahere et artificioſis machinis,
hunc in finem excogitatis, partum faciliorem redde-
re docuerunt. Inſtrumenta haec, quamuis et forma p. 6.
et magnitudine a ſe differant, in eo tamen conueni-
re monſtrat Cl. Auctor, quod ſint vectes ſimplices
heterodromi, quorum centrum motus ſit inter po-
tentiam mouentem, manum chirurgi, et inter onus
mouendum, infantis caput. Cum vero hoc in mor-
bo miram varietatem, a diuerſa diuerſarum partium
concurrentium indole ac fabrica dependentem, depre-
hendamus, facillimo perſpicimus negotio, non in
quouis caſu unam eandemque eſſe applicandam ma-
chinam. De quo, ſi rite iudicare velimus, omnes
huius morbi ſpecies ut cognoſcamus, neceſſe eſt.

Praemittit hanc ob cauſam Cl. Auctor iure opti- p. 10.
mo, breuiſſimam quidem, ſufficientem tamen, pel-
uis et viarum, quae foetui naſcendo tranſeundae
ſunt, deſcriptionem. Quibus peractis, ad cauſarum p. 12.
ductum, omnes morbi varietates ad quatuor refert
claſſes. Prima earum ſiſtit *caput inclauatum*, ubi te-
nelli infantis caput oram peluis ſuperiorem, vel ob
nimiam viae oſſeae anguſtiam, vel ob deformem eius
figuram, vel ob iuſto maiorem capitis molem trans-
gredi nequit, ſed undiquaque compreſſum et forti-
ter adactum immobile haeret. Secunda claſſis ea p. 13.
continet incommoda, quae infantem a recta via ab-
errare cogunt, v. c. ſitus embryonis obliquus omnes-
que uteri peruerſae deuiationes, appellat hanc claſ-
ſem, *caput inuncatum*. Tertia exhibet *caput ſuſpen-* p. 14.
ſum, ſi caput libere in peluis cauo, imo in ipſa iam
vagina haeret, ob nimiam tamen humerorum latitu-
dinem nequit prodire naſciturus. Ad ultimam, quam p. 15.
caput retardatum dicit, claſſem omnes cauſas, quae

 partus

partus negotium impediunt, non ab oſſibus, ſed mollibus matris partibus dependentes, v. c. oſtii uterini rigiditatem, ſpaſticam contractionem, praematuram aquarum effuſionem cet.

p. 17. Expoſitis his ad ipſam curandi methodum tradendam accedit, et duplicem eam eſſe perhibet. Dantur enim caſus ex ſupra allatis, quibus curandis ſola obſtetricantis manus par eſt, ut infantis inuerſione vel orificii uterini dilatatione difficultas leuari ac tolli queat; alii, quanquam medicinae et chirurgiae auxilium requirunt, manum tamen, inſtrumentis armatam haud exigunt, ſed pharmacis vel venae ſectione vel aptis enchiriſibus ipſis mederi poteſt artis gnarus, et huc praeſertim quartae claſſis obſtacula referenda cen-
p. 20. ſet Cl. Auctor. Fuſiori denique explicatione demonſtrat inſtrumenta, quibus absque et matris et infantis periculo talis partus adiuuari ſolet. Quatuor potiſſimum machinarum mentionem facit, quippe quas et
p. 21. uſitatiſſimas et utiliſſimas exiſtimat. Sunt vero vectis ROONHVSII, forceps parua SMELLII, forceps curua LEVRETI, et demum forceps recta, quam vulgo anglicam dicunt. Exactam ſinguli inſtrumenti addit deſcriptionem, cuiusuis veram applicandi methodum ſubnectit, caſus ſpeciales, in quibus una alteri ſit praeferenda, adducit, et tandem agendi rationem ex principiis mechanicis demonſtra-
p. 34. re annititur. Coronidem imponit breuis enarratio quarundam difficultatum, quae datam operam ſpemque ſalutis eludunt, hinc vel uncorum vel hamorum applicationem vel ipſam ſectionem caeſaream poſtulant.

XIII.

XIII.

Einige Verſuche, welche mit verſchiedenen Sächſiſchen Erd-Arten, an einem Hoeſiſchen paraboliſchen Brenn-Spiegel angeſtellet worden von CHRISTIAN FRIEDRICH SCHVLTZEN. *Dresden und Leipzig, bey Friedr. Heckeln. 1755. 4. 8 Bog. 1 Kupfer.*

i. e.

Examen variarum terrarum, in Saxonia effoſſarum, ſub foco ſpeculi cauſtici parabolici ab *Höeſio* inuenti.

Quantum ex accurata terrarum cognitione, ad detegenda, quibus in lapidibus minerisque formandis natura utitur, artificia, exoriri poſſit adiumenti, cum probe intelligeret Cl. Auctor, eam ſibi ſumſit ad diſquirendum materiam, quam gratam fore omnibus naturae ac mineralogiae indagatoribus iamiam praeuidere poterat. Luculenter iam teſtatus eſt paucis abhinc annis, quantum ſit, quod in foſſilium cognitione perſpiciat, in libello, quem de lignis petrefactis orbi litterato tradidit. Cum ille ſit foſſilium corporum mechanismus, ut vel ob defectum plenarium, vel certe ob nimiam ſubtilitatem partium organicarum, vix ſufficiant characteres, qui nullo artis auxilio in ſenſus incurrunt, ad diſtinguenda genera, determinandasque ſpecies, varia omnino, quae et chemia et phyſica nobis ſuppeditat, auxilia, ut in hiſce corporibus examinandis adhibeamus, neceſſe eſt. Vt igitur intimam variarum, in Saxonia effoſſarum, terrarum naturam et mixtionem rite poſſit indagare, collectas hunc in finem paſtas ita diſquiſiuit, ut non ſolum, quosnam ederent affuſa aqua forti effectus, ſed quasnam quoque in igne ſubirent mutationes, accurate annotaret. Vt et tempori par-

cat, et igne puriori uti poſſet, ſpeculo cauſtico, et quidem eo, quod HOESIVS inuenit et cuius, qua mechaniſmum, fuſiorem addit deſcriptionem, ſuas in-
p. 7. ſtituit experientias. Breuem praemittit fruſtorum, quae ſubiecit examini, hiſtoriam, et quibus ſint diſtincta ſignaturis, in tabula aenea, libello in fronte praefixa, oſtendit. Cum iure meritoque ſuſpicaretur, ex eo differentiam quandam eſſe exorturam, ut aliae terrae aliis deprehendantur fluxiliores, ad oſcillationes penduli earum fluxilitatem aeſtimare ſecum conſtituerat. Varia tamen ex ipſa terrarum natura offerebant ſeſe incommoda, ita, ut iſtam fluxilitatem ad amuſſim diiudicare haud valeat. Nihilo minus hanc admittit differentiam, ut facile fundendas dicat eas, quae eo fere momento, quo foco admouentur, fluunt, medio autem gradu conſtituat eas, quae inter tertiae et ſextae minutae ſecundae ſpatium in fluorem abeunt, et refractarias eas, quae foco expoſitae per nouem et ultra minutas ſecundas abſque mutatione perſiſtunt. In ipſa vero paſtarum deſcriptione ac diſquiſitione eum ſeruauit ordinem, ut primum colorem cuiusuis et quasnam admixtas habeat heterogeneas particulas explicet, deinde locum natalem, in quo effoditur et num coaceruatim (*neſterweiſe*) num in venis horizontalibus (*flözweiſe*) in ſoli gremio lateat, enumeret, tum mutationes aqua ſtygia affuſa ortas alleget, et denique vitrum productum et ratione coloris et conſiſtentiae deſcribat, ſimulque, quem ſub vitrificatione ſparſerit odorem, exponat. Centum hoc modo diſquiſiuit paſtas, et in fine examinis, quo modo a ſe inuicem diſcrepent, recenſet. Addit deinde pauca quaedam de uſu terrarum eius modi mechanico et oeconomico, cum quasdam fullonibus, alias figulis inſeruire, alias in arte fuſoria et vitriaria, alias ob colorum elegantiam a pictoribus in uſum conuerti, alias ob bituminoſam et inflammabilem indolem, loco turfi, in rebus oeconomicis adhiberi

poſſe

poſſe adfirmet. Sub fine coniecturam de quadam terrae ſpecie, quae in Cl. Auctoris muſeo locum quadrageſimum primum obtinet, ſubnectit, et ex eius examine chemico ulteriori, ſi quoque aurum et argentum excoqui ex ea nequeat, tamen forſan quidquam poſſe detegi ſibi perſuadet, quod in magnum hiſtoriae naturalis cultorum commodum vergere queat. Eſt autem illa virideſcens, micacea, aliquantum arenoſa, tenera terra, quae prope Poenigium, in ſaxo ſerpentino deprehenditur. p. 60.

XIV.

Nupera perfectae androgyneae ſtructurae obſeruatio, quam doctiſſimis anatomicae profeſſoribus ſiſtit FRANCISCVS PAVLLA BEDINELLIVS Fanenſis chirurgus. Piſauri e typogr. Gauellia 1755. 8. pl. 1.

Expoſuimus hactenus in commentariis noſtris varias recentiorum obſeruationes de hermaphroditis, praeſentem igitur omittere haud potuimus, licet libere profiteamur, illum non ita deſcriptum et iconibus additis illuſtratum eſſe, ut dignitas obſeruationis rariſſimae exigeret. Oblatus fuit Cl. BEDINELLI hoedus androgynus viſus, facta enim externa pudendarum partium diſquiſitione, et maris et foeminae ſexum omnino referebant. In pudendo foemineo quidem rima quodam modo intercluſa erat, nec nymphae ſatis diſtingui poterant, ex oſtio vaginae, quod peranguſtum erat, et lotium ſimul effundebatur, clitoris in ſuperiori rimae parte ſita ſatis magna apparebat *. Diſſe-

* Externas ouium partes genitales in foeminis imperfectius formatas eſſe, annotauit Cl. KVHLEMANN in Diſſ. quae obſeruationes quasdam circa negotium generationis in ouibus factas exhibet. Goettingae, 1753. p. 7. vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. IV. p. 629.

Diſſectione facta primo partes maſculini ſexus diſquiſiuit Noſter, priapum cum praeputio et glande, nec non corpora cauernoſa flatu diſtendenda inuenit, duas urethras, a veſicae collo oriundas, unam ad penem, alteram ad foemineam vaginam deductas vidit, miramur tamen, utrique proſtatas adſcriptas eſſe, et urethram in foemina prope oſculum uteri inſertam fuiſſe. Partes viriles teſtes et reliquas, nec non partes foeminae interiores ſine ulteriori deſcriptione nominibus tantum adductis reeenſet Noſter, cum itaque facile praeuideat, breuem adeo deſcriptionem multos de veritate rei dubios relinqui poſſe, ad amicos prouocat, quibus praeſentibus haec cuncta oſtendit. Nos vero optamus, ut partes, quas adhuc aſſeruat, cum exercitato quodam anatomico communicet, quo eius teſtimonio veritas huius obſeruationis magis confirmetur.

XV.

Diſputationes chirurgicae ſelectae. Collegit, edidit, praefatus eſt ALBERTVS HALLERVS. Lauſannae ſumptibus M. M. Bousquet et Soc. 1755. Tom. I. alph. 3. pl. 6. Tab. VIII. Tom. II. alph. 3. pl. 7. Tab. XV.

In tanta diſſertationum academicarum, quae quotannis in publicum prodeunt, copia, multae quidem crambem bis coctam iterum recoquunt, haud paucae tamen argumenta propoſita egregie illuſtrant, et nouas obſeruationes et meditationes, ex his deductas, proponunt. Non fruſtaneus igitur, ſed maxime laudandus eſt eorum labor, qui ex omnibus ſelectas quasdam et ad diſciplinas quoque medicas perficiendas accommodatas, coniunctim edunt. Cum igitur Ill. HALLERVS Diſſertationum anatomicarum ſelectarum

ctarum volumina * publico applauſu excepta fuiſſe cognouerit, et in chirurgicis edendis fidem datam ** liberauit. Tales autem praecipue Noſter elegit diſputationes, quibus accuratae morbi alicuius chirurgici tractationes vel memoriae dignae obſeruationes, inſtrumenta noua et praeſidia non vulgaria continebantur, omiſit etiam Ill. HOFFMANNI et PLATNERI diſſertationes chirurgici argumenti, cum in aliis collectionibus reperiantur, et paucas tantum deſideratiſſimas, ex Ill. HEISTERI ſcriptis, venia prius accepta, inſeruit, et his binis tomis, nunc a nobis indicatis, duos adhuc vel tres alios addere promiſit. Nos quidem, qui ſelectum, ab Editore ſolertiſſimo obſeruatum, maxime probamus titulis adductis collectionem praeſentem omnino commendare poterimus.

In Tomo primo continentur: 1) Diſſ. *de vulnere fronti inflicto* I. A. CONRADI, Lugd. Bat. 1722. 2) Diſſ. *de Contra fiſſura*, Praeſ. G. W. WEDELIO. Auct. Reſp. R. C. WAGNER, Ienae 1708. 3) Diſſ. *de tumore capitis fungoſo poſt cariem cranii exorto*, I. F. CRELLIVS, Helmſtadii, 1743. 4) Diſſ. *de exoſtoſi cranii rariore*, I. CASPARI, Argentorati 1730. 5) Diſſ. *de carie cranii*, I. H. SLEVOGT, Ienae 1695. 6) Quaeſt. Med. Chir. *An poſt grauem, ab ictu vel caſu capitis percuſſionem, non iuuante etiam iterata terebratione, dura meninx inciſione aperienda?* Praeſ. G. COCHON DVPVY. Auct. Reſp. B. MVRRY, Lutetiae Pariſiorum 1736. 7) Diſſ. *exhibens rariſſimam ſanationem cerebri quaſſati cum notabili ſubſtantiae deperditione*, D. HOFFMANN, Tubingae 1719. 8) Diſſ. *de vulneribus cerebri non ſemper lethalibus*, Praeſ. BVCHNERO. Auct. Reſp. I. C. TEVBELER. Halae 1750. 9) Diſſ.

* Prodierunt Goettingae apud Vandenhoeckium et viduam eius Voll. VII. ab anno 1747 ad annum 1751.

** In praefatione ad Vol. VII. Diſputationum anatomicarum.

Diſſ. *de fungo cerebri*, G. SAND, Regiomonti 1700. 10) Prog. *de ſinus frontalis vulnere ſine terebratione curando*, G. A. LANGGVTH, Vitembergae 1748. 11) Diſſ. *de morbis praecipuis ſinuum oſſis frontis et maxillae ſuperioris et quibusdam mandibulae inferioris*, Praeſ. DE ZIEGLER. Auct. Reſp. L. H. RVNGE, Rintelii 1750. 12) Diſſ. *de fiſtula lacrymali*, I. C. SCHOBINGERVS, Baſileae 1730. 13) Epiſt. *de ſingulari tunicarum utriusque oculi expanſione*, P. C. BVRGMANN, Roſtochii 1729. 14) Diſſ. *de ectropio*, Praeſ. ZELLERVS. Auct. Reſp. E. C. KECK, Tubingae 1733. His iunguntur Cl. B. D. MAVCHART Diſſertationes de morbis oculorum Tubingae habitae: 15) *De tumoribus cyſticis palpebrarum et ſingulari ſteatomatico-ſcirrhoſo tumore e palpebra ſuperiore exciſſo*, 1750; 16) *de ὀφθαλμοξύσι nouantiqua ſeu Woolhuſiano-Hippocratica*, 1726; 17) *de maculis corneae earumque operatione chirurgica, apotripſi*. 1743; 18) *Tobiae leucomata dilucidata*. 1743; 19) *de ungue oculi ſeu pure inter lamellas corneae*. 1742; 20) *de ulceribus corneae*. 1742; 21) *de fiſtula corneae*. 1742; 22) *de ſynechia ſeu praeternaturali adhaeſione corneae cum iride*. 1748; 23) *de pupillae phthiſi ac ſynizeſi ſiue anguſtia praeternaturali et concretione*. 1745. 24) Diſſ. *de ſtaphylomate*; I. G. GÜNTZ, Lipſiae 1748. 25) Diſſ. *de ſtaphylomate*, B. D. MAVCHART, Tubingae 1748. 26) Progr. *de oculo ulcere cancroſo laborante feliciter exſtirpato*, C. F. KALTSCHMIED, Ienae 1748. 27) Diſſ. *de mydriaſi ſeu praeternaturali dilatatione pupillae*, B. D. MAVCHART, Tubingae 1745. 28) Diſſ. *de hydrophtalmia* IDEM ibidem, 1744. 29) Diſſ. *de paracenteſi oculi in hydrophthalmia et amblyopia ſenum* IDEM ibidem 1744.

In Tomo ſecundo continentur: 30) Diſſ. *de hypopyo*, B. D. MAVCHART, Tubingae 1742. 31) Diſſ. *de empyeſi oculi ſeu pure in ſecunda oculi camera*, IDEM ibidem 1742. 32) Diſſ. *de catarrhacta*, B. AL-

BINVS

BINVS, Francofurti ad Viadrum 1695. 33) Diſſ. *de cataracta*, Praeſ. I. BOECLERVS. Auct. Reſp. I. H. FREYTAG, Argentorati 1721. 34) Diſſ. *de cataracta cryſtallina vera*, Praeſ. I. F. CARTHEVSER. Auct. Reſp. I. F. HENCKEL, Francofurti ad Viadrum 1744. 35) Diſſ. *de ſuffuſionis natura et curatione*, I. G. GÜNTZ, Lipſ. 1750. 36) Quaeſt. Med. Chir. *an deprimendae cataractae expectanda maturatio?* A. LE MOINE, Pariſiis 1728. 37) Quaeſt. Med. Chir. *an oculi punctio cataractam praecaueat?* P. LE HOC, Pariſiis 1740. 38) Quaeſt. Med. Chir. *an in cataracta potior lentis cryſtallinae extractio per inciſionem in cornea, quam depreſſio per acum?* Praeſ. A DE IVSSIEV. Auct. Reſp. I. B. THVRANT, Pariſiis 1752. 39) Quaeſt. Med. Chir. *an in deprimenda cataracta ipſius capſula inferne et poſtice inprimis ſecanda eſt?* Praeſ. F. POVSSE. Reſp. C. I. GENTIL, Pariſiis 1752. 40) Or. *in famam meritaque*, D. D. TAYLOR, B. D. MAVCHART, Tubingae 1750. 41) Diſſ. *de extractione cataractae ultra perficienda*, G. F. SIGWART, Tubingae 1752. 42) Diſſ. *de ſetaceo nuchae, auricularum ipſiusque oculi*, B. D. MAVCHART, Tubingae 1742. 43) Diſſ. *de amauroſi*, I. B. G. OEHME, Lipſiae 1748. 44) Quaeſt. Med. Chir. *an absque membranae tympani apertura topica iniici in concham poſſint?* Praeſ. I. BVSSON. Reſp. A. D. DIENERT, Pariſiis 1748. 45) Diſſ. *de epulide et parulide*, Praeſ. G. C. SCHELHAMMER. Reſp. G. F. FRANCVS. Ienae 1692. 46) Diſſ. *de hernia cerebri*, I. F. C. CORVINVS, Argentorati 1749.

Cum in prima parte de morbis capitis dictum ſit, in ſecunda parte de morbis colli agitur. 47) Diſſ. *de luxatione nuchae*, B. D. MAVCHART, Tubingae 1747. 48) Diſſ. *de capite obſtipo*, IDEM ibidem 1737. 49) Diſſ. *de ſtruma oeſophagi huiusque coalitu difficilis ac abolitae deglutitionis cauſis*, IDEM ibidem 1742. 50) Epiſt. *de methodo ſubueniendi ſubmer-*

ſis

ſis per laryngotomiam, G. DETHARDING, Roſtochii 1724. 51) Quaeſt. Med. Chir. *an tracheotomiae nunc ſcalpellum, nunc trigonus mucro?* Praeſ. A. BERGIER. Reſp. I. BABEV DV BOVRG.

In parte tertia ad morbos pectoris progredimur: 52) Diſſ. *de cancro mammarum eumque noua exſtirpandi methodo*, Praeſ. I. SERRVRIER. Auct. Reſp. G. TABOR, Traiecti ad Rhenum 1721. 53) Diſſ. *de nociua cancri inueterati exſtirpatione nouis exemplis demonſtrata*, D. W. TRILLER, Witembergae 1752. Additur Prog. *de potiſſimis cancri mammarum cauſis prudenter occupandis*, G. A. LANGGVTH, ibidem 1752. 54) Diſſ. *de optima cancrum mammarum exſtirpandi ratione*, L. HEISTER, Altdorfi 1720. 55) Diſſ. *ſiſtens hiſtoriam vulneris thoracici et in eam commentarium*, I. N. PECHLINVS, Kiloniae 1682. 56) Diſſ. *de emphyſemate*, I. H. SCHVLZE, Halae 1733. 57) Diſſ. *de aneuryſmate vero pectoris externo hemiplegiae ſobole*, I. I. WELTINVS, Baſileae 1750.

Nullum reſtat dubium, reliqua volumina proxime expectanda eſſe, cum iam Tomum tertium a prelo liberum eſſe cognouerimus.

XVI.

Neuentdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern. Nebſt der Verwandlung der Hauswurtzraupe zum ſchönen Tagvogel mit rothen Augenſpiegeln. Beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Evang. Prediger in Regenſpurg, und Mitglied der Königl. Deutſchen Geſellſchaft in Göttingen. Wobey zwo Kupfertafeln mit Figuren in Farben. Regenſp. bey E. A. Weiß. 1754. 4. 7 Bogen.*

i. e.

Partes quaedam in erucis et papilionibus nouiter detectae. Accedit metamorphoſeos erucae, in ſedo habitantis, deſcriptio, in papilionem alis, oculis rubris notatum. Auctore IACOBO CHRISTIANO SCHAEFFER.

Per varia quidem ſpecimina, inſecta diſquirendi ſtudium indefeſſum comprobauit Cl. Auctor, id tamen, de quo iam exponemus, eam praeterire ob rationem nequiuimus, quod nouum illud documentum ſit, ex quo pateat, naturae ſapientiſſimum auctorem ſenſim demum hebetes noſtros ad perueſtigandos illius theſauros, acuere oculos. Inſecta, viliſſimum animalium, ut non nullis videtur, genus iisdem abundat, id, quod erucarum et papilionum exemplis iam declarat Noſter. Inter nouiter dete- p. 5. ctas partes autem primo occurrit loco pars aliqua, in collo eorum deprehenſa, de qua vero ita ſtatuit Cl. Auctor: quaecunque erucae ea deſtituuntur, illae eius loco inſtruuntur aliis, quae forſitan cum illa eidem inſeruiunt uſui. Multae ſcilicet erucae in poſteriore corporis parte cornu quodam inſtruuntur, variae quidem in diuerſis naturae, quod effecit, ut *caudatarum erucarum* claſſem condiderit Cl. ROESE-

LIVS. Pleraque horum cornuum nihil dimittunt, aliqua tamen eruca cognita eſt, quae cornua habet
p. 7. emiſſilia. Deinde dantur erucae, quae capite cornuto incedunt, ut illa foeniculi, cornubus ſcilicet emiſſilibus, quae ex lutea macula, ad primum annulum obſeruanda protruduntur, ſi attingitur eruca, ſimulque ingratum ſpirant odorem. Huic itaque cognitae iam erucae analogam fabricam obſeruauit Noſter in eruca Sedi, quae vero in non nullis etiam diſcrepat momentis, quae accurate hic deſcripta et in prima tabula aenea delineata habentur. Si erectum tenet haec eruca caput, tenuem luteam transuerſamque maculam ad primi annuli initium oſtendit, introrſum plicatam: attactu fortiori mox duo teneriora anguſtaque emittuntur cornua, cylindrica et ſemipellucida, utrumque columnulae communi inhaeret et ab hac diuaricantia procedunt, nec non pro lubitu magis minusque poſſunt protrudi. Nullus autem foetor tunc perſentiſcitur, in longitudine porro ac figura ab illis foeniculi erucae cornubus eſt diſcrepantia: ſiquidem haec medio loco rotunda profunde fuſca macula inſtruuntur, et ſingulum cornu ſuperius in conum deſinit, cuius margo ſerratus eſt, quinque rotundis tuberculis donatus, interius
p. 11. ſuccus flaueſcens continetur. Quum tamen huic etiam erucae deſit pars illa, quae in collo conſtituitur, iam ad eam propius indagandam accedit Cl. Auctor. Deliteſcit eadem in inferiore colli parte caput inter et pedes anteriores, in iis demum praeſens erucis, quibus cornua denegantur. In illa vero quatuor ſunt differentiae: dantur enim primo erucae, quae ſimplicem ſub collo aperturam habent, ex qua nullo vero modo conicum corpus prolicitur, *ſecundo*, quae duplex orificium oſtendunt, de quibus autem cum dubitatione agitur, *tertio*, quae ſimplex orificium oſtendunt, ex quo tamen et per attactum et per
p. 19. preſſionem conicum procedit corpus, *quarto*, quae

ex

ex duplici orificio preſſione facta duplex conicum corpus progrediens monſtrant. Harum differentiarum icones aeque ac exempla varia proponuntur, nec non methodus docetur, qua nouae illae partes poſſint detegi; quippe quum ſoleat ob continuum, quem erucae eructant humorem, difficultas quaedam exoriri, quae vel abſtergendo ſollicile eundem, vel ligaturam alteri annulo immittendo abigitur, vel dum eliguntur erucae, metamorphoſi vicinae. Analoga fere corpora ex vermibus ſcarabaeisque aliisque inſectis demonſtrantur atque depinguntur, ex omnibus autem phaenomenis ſimul ſumtis tandem de uſu diſſeritur, quem cum Cl. REAVMVRIO putat Noſter p. 28.
quaerendum eſſe in terrore inde producto, licet dubitet, num ille unicus ſit futurus; quippe quum iis, qui haec tractarunt inſecta, incognita pars reſtiterit. Suſpicatur quidem ſingulari eam deſtinatam eſſe ſecretioni, ad metamorphoſin facilitandam, verum, quod nec hoc quidem de omnibus poſſit adſumi, ingenue fatetur, adhuc ſe verum ignorare uſum.

Pergit itaque Cl. Auctor ad deſcriptionem erucae p. 29.
ſedi eiusque papilionis. Veſcitur illa *ſaxifraga foliis radicatis aggregatis lingulatis cartilagineo ſerratis.* LINN. Spec. Tom. I. p. 398. quae *ſaxifraga ſedi folio* flore albo TOVRNEF. Singulare eſt, hanc erucam ſemper ſtationem ſeptentrionalem elegiſſe, quamuis aliis in plagis eadem herba creſcat; procedunt autem vermiculi menſe martio atque aprili ex ſuis ouis, ſenſim ad medium iulii incrementa ſumentes. Gregarii quidem inueniuntur, diſperſi tamen etiam palantur; ad eas vero pertinent, quae nigris inſtruuntur pilis, breuibus, vt ſerico ſint ſimiles. Omnem earum, quam iconibus illuſtrauit Cl. Auctor, hiſtoriam, conciſe hic trademus. Duodecim annulis conſtant, nigrae ſunt, ad annulos maculae luteae et tubercula coerulescentia. In capite nigro, corneae duritiei, utrinque ſex oculi nigris inhaerent papillis, quorum

quorum quinque in arcum poſiti, ſextum medio loco comprehendunt. Veros autem eſſe oculos contra eos, qui huic ſententiae refragantur, praeter alia ex eo confirmari poſſe in ſubiecta nota docet, quod exuuiae tot foraminibus, tanquam indiciis oculorum, pertunduntur. Supra hos antennae, ex tribus articulis compoſitae, haerent, mobiles et emiſſiles aeque ac retractiles. In capite omnia, quae in aliis obſeruantur, niſi, quod breuiſſimo collo inſiſtat, poſſitque ſub primo ita recondi annulo, ut aliquando aegre in conſpectum veniat. In maculis et papillis annulorum eſt diuerſitas, primus annulus duabus notatur maculis, quarum altera oualis, altera maior et anguloſa eſt. Inter priorem ex transuerſo orificio cornua, ſuperius dicta, emergunt: ſupra hanc duo tubercula et inferius paullo alia tria conſpiciuntur, ibidemque prima etiam utrinque trachea aperitur. In ſecundo et tertio annulo tres tantum maculae occurrunt, in ſequentibus omnibus duae, variis coeru-
p. 35. leſcentibus tuberculis ſimul praeſentibus. Sed ad metamorphoſin properamus, quae multum Noſtro, veram eius naturam prius quam intellexerit, faceſſit negotii; maximum enim numerum erucarum primo congeſſit vere, ut millena fere ad tentamen adhibuerit ſubiecta, et tantam in apparatu ad metamorphoſin varietatem adnotauit, quantam vix in aliis, ut, num papilio, an phalaena inde ſit proditura, du-
p. 39. bius ſaepe haeſitare cogeretur. Interim fauente fortuna telam ſtruere has erucas detexit, illam tamen mox denſam, mox raram; omnem albam et ſinceram: hac in tela in nympham conuertebantur, ſuperiore in parte virideſcentem, in inferiore luteolam, quae poſt in fuſcum vergebat colorem et non ſine Cl. Auctoris ſummo metu liuida euadebat, mucore quaſi obſita. Tandem tamen prodiit papilio ex nympha, omni fere ſenſu deſtituta, exeunte menſe iunio. Nouam itaque ſeſe immutandi rationem ſup-

peditat

peditat hoc exemplum, luculento indicio, nouis opus eſſe papilionum claſſibus.

Sequitur concinna ipſius papilionis deſcriptio: p. 42.
alae flaueſcunt, venae profundius luteae, margo alarum ſuperiorum albidus. Inter venas, in primis ubi alae cum thorace nectuntur, ſubtiliſſima copioſiſſimaque puncta nigricantia adſunt. Interim ala ſuperior duabus maculis maioribus, nigris, fere quadratis, quibus media rotundior intereſt, inſignitur. Alae inferiores oculatae ſunt, duobus ſcilicet oculis, alio ſuperiore, altero paulo magis inferiore. Quilibet nigro cingitur annulo, media parte eleganter rubra, centro albo, figura variat. Thorax et caput piloſum, flauis vel nigris pilis inſtructum, in abdomine albi et flaui miſti, cinereum colorem referunt. In auerſa alarum ſuperficie praeter iam dictas maculas, colore quodam modo variantes, et thoracem abdomenque flauum, quatuor aliae maculae ad eorum cohaeſionem conſpiciuntur, rubrae, margine earum ſuperiore nigro. Quieſcentes alae, ſurſum erectae, ad perpendiculum firmiſſime ſibi iunguntur. Antennae clauatae ex capite eminent, quoad omnem longitudinem cylindricae. Sexus in aliis, vt in hac, p. 46.
magnitudine diſcernitur, noua tamen in femina et extraordinaria pars huic papilioni data eſt, ſiquidem in iis, quos anatome mares eſſe indicabat, haec deficeret. Adhaeret illa ad duos poſteriores annulos, a quibus vi tantum ſeparatur, et carinae formam habet. Corneae eſt ſubſtantiae tenerae tamen, intus caua, colore fuſca, nigra, non nunquam cinerea. Principium ſaepe rectum, non nunquam incuruatum, inciſura media diuiditur in duas aequales partes, in obtuſum apicem deſinentes, inferior pars, carinam imitans, quandoque arcuata, margine acuta eſt, tota interim pilis tegitur, hinc ſaepe non conſpicienda. Media etiam ad carinam coſta vel eius loco nigra linea cernitur, ex cuius medio columnula egreditur,

ſetae inſtar conſpicua, elaſtica quoque. Inueniebatur porro in illis, qui circumuolitando per aliquot tempus vixerant, raro incorrupta, in ſtatu ſano vomeri ſimilis eſt. Uſus in congrediendo eius nullus eſſe videtur, quum omnium partium, generationi inſeruientium, perfectiſſima adſit utriusque ſexus ſtructura, hinc ad recondenda ſecure oua forte quidquam tribuit, quam tamen opinionem meram eſſe coniecturam adſerit Cl. Auctor, in rerum naturas inquirendas ſollicitus, cuius varia eius modi eruditionis ſpecimina alia extant, ſuo tempore cum lectoribus communicanda.

XVII.

Noua phyſico - medica.

Doctores et Profeſſores medicinam docentes.

1) In Academia Tubingenſi:

GEORG FRIDER. SIGWART, Phil. et Med. D. Anatom. et Chirurg. Profeſſ. Publ. Ordinar. Medicus Aulicus.

CHRISTIAN. LVDOV. MOEGLING, Med. D. et Prof. Publ. Ord. Sereniſſ. Marchionis Bado-Durlacenſ. Conſiliar. et Archiater; Reg. Scient. Acad. Lugdun. et Inſtituti Scient. Bononienſ. Socius.

PHILIPP. FRIDER. GMELIN, Med. D. Botan. et Chemiae Prof. Publ. Ordinar.

His ex philoſophorum ordine adiungatur:

IOAN. KIES, Phil. D. Phyſices et Matheſeos Prof. Publ. Ord. Reg. Scient. et Art. Acad. Berolinenſis Socius.

2) In

2) In Uniuerſitate Monſpelienſi *:

R. D. PETRVS MAGNOL, Decanus et Procancellarius in ſeneſchalli curia Senator.

R. D. HENRICVS HAGVENOT, Prodecanus, in ſuprema computorum curia Senator, Academiae Monſpelienſis Socius.

R. D. IACOBVS LAZERME.

R. D. ANTONIVS FIZES, Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis quondam Medicus Primarius.

R. D. FRANCISCVS BOISSIER DE SAUVAGES,

R. D. EVSTACHII MARCOT Coadiutor, Botanices Profeſſor, Acadd. Upſalienſis, Holmienſis, Londinenſis, Berolinenſis, Bononienſis, Naturae Curioſorum, Monſpelienſis, Sodalis.

R. D. CAROLVS SERANE.

R. D. FRANCISCVS DE LA MVRE, Academiae Monſpelienſis Sodalis.

R. D. FRANCISCVS IMBERT, PETRI MAGNOL Coadiutor, Academiae Monſpelienſis Socius.

R. D. EVSTACHIVS MARÇOT, Stirpis Regiae Medicus, abeſt.

Cl. DAVISARD, Decanus demonſtratorum anatomiae, de Academia Monſpelienſi.

Cl. FIOCH, Med. Doct. de Academia Monſpelienſi.

Cl. TENDON, Med. D.

In publico conuentu, quem Imperialis, *Petropoli* conſtituta, Scientiarum Academia nuper die decimo ſeptimo menſis ſeptembris celebrauit, binis phyſicarum quaeſtionum ſolutionibus decreuit praemia,

 quorum

* Hanc quidem Monſpelienſium Medicinae Profeſſorum ſeriem eo, quo tradimus, ordine et modo immediate accepimus *Monte Peſſulano*: eam tamen forte mancam hic loci adducere, quam prorſus eam negligere, malumus.

quorum unum reportauit Cl. VLRICVS CHRISTOPHORVS SALCHOW, Med. Doct. Regiaque auctoritate confirmatus medicus Aſcherlebii, vel aliis Aſcaniae dictae, in Ducatu Halberſtadienſi degens. Argumentum, quod is expoſuit, ſeparationem auri ab argento faciliore, ac huc uſque ſolita fuit, methodo praeſtandam concernit *. Ex omnibus quidem partibus expectationi ſuae illam haud ſatis feciſſe commentationem declarauit Academia, prae reliquis tamen, quae in certamen ſimul vocatae fuerunt, palmam meruiſſe ipſi viſa fuit.

Alterum praemium, theoriae electricitatis efformandae ** propoſitum, incognito adhuc Auctori adiudicatum fuit, qui addito ſaltem ſymbolo: *Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas*, ſuam ab aliorum laboribus diſtinxit diſſertationem. Quam ob cauſam, ut, prima ultimaque commentarii ſui parte ad Academiam miſſa, ſeſe cognitum reddat, ſuaque ideo iura extra dubitationem ponat, rogatur ***.

Ibidem et in eodem quoque habito conuentu bina alia ad proxime ſecuturos annos referenda problemata propoſuit Ill. illa Academia, quorum primum ad nos quoque pertinet: *Quaenam* nimirum *ſit cauſa proxima mutans corpus foetus, non matris grauidae, huius mente a cauſa quacunque violentiore commota; et quidem, cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quam in ſuo corpore mater manum adplicuit? Vbi illorum quoque cogitata ad certamen de praemio admittentur,*

* Comment. noſtr. Vol. III. P. I. p. 162.

** ibid.

*** Poſtquam haec typis iam erant mandata, IO. ALBERTVM EVLERVM, LEONHARDI, Celeberrimi illius mathematici filium, Reg. Scient. Berolinenſis Academiae Socium, verum illius ſcripti auctorem talemque iam ab Academia Petropolitana agnitum eſſe comperimus.

tur, qui contrariae ſententiae addicti argumenta vero ſimiliora in medium proferent. Ante primum diem menſis iunii ſtili veteris, anno 1756 commentarios ea de re conſcriptos ad Ill. Academiae collegium mittere debent eruditi eo in explicando argumento elaboraturi. Praemium, uti ſemper eſſe ſolet, centum numorum aureorum, qui ducati vulgo vocantur, pretium aequabit.

De modo, quo calx ad varia aedificiorum genera exſtruenda optime praeparari queat, oeconomicam quaeſtionem olim mouiſſe Regiam Scientiarum, quae *Gottingae* floret, Societatem ſimplici plus vice retulimus *. Commentarios ſuper illa conſcriptos et acceptos nuperrime, die decimo tertio ſeptembris iterum publice diiudicauit Ill. Societas, eorumque licet nullus voluntatem ipſius expleuerit, duos tamen prae reliquis expectando praemio dignos iudicauit, quorum unius auctorem eſſe deprehendimus Cl. CHRISTOPHORVM GODOFREDVM IACOBI, Artium Magiſtrum et bibliothecae, quam Illuſtriſſimus Wernigerodae Comes habet collectam, praefectum; alterius autem, Cl. IO. LVDOVICVM STROEVER, Art. Mag. verbique diuini in pago quodam *Meenſen* dicto, ad praefecturam Brackenbergenſem in Principatu Calenbergico pertinente, conſtitutum miniſtrum. Interim, quum commentarii, quos accepit Societas, ſibi quam maxime contrarientur, nec unus eorum ipſius expectationi ex omni prorſus parte ſatis fecerit, aliquod Ill. illius collegii membrum in quaeſtionis modo commemoratae quam utiliſſimae argumentum ex inſtituto, ut aiunt, inquiſiturum eſſe legimus atque laetamur.

* Comment. noſtr. Vol. III. P. IV. p. 732.

In Academia quoque *Gottingenſi* Profeſſoris Medicinae Extraordinarii prouinciam adiit * Cl. GEORGE MATTHIAE, Med. D. et bibliothecae academiae Cuſtos, oratione *de laude Dei ex morbis mortalium* habita, ad quam audiendam antea conuocauerat auditores eum in finem conſcripto programmate; *De laude Dei ex* HIPPOCRATE, quo athei ſuſpicionem, in quam optimum hunc artis noſtrae patrem non nulli, GVNDLINGIVS in primis, uti conſtat, adduxerant, ab eo remouet.

Virum quoque fama et quibusdam phyſicis potiſſimum ſcriptis et oeconomicis per multos iam annos in Germania clarum factum, IOAN. HENR. GOTTLOB DE IVSTI, ante aliquod tempus euocatum fuiſſe *Gottingam*, ſilentio praeterire non poſſumus, ut, quae ad artem oeconomicam, politiam, qua regnorum culturam, commercia et ſimilia concernit, principumque reditus pertinent, in hac Academia doceat, ideoque Supremi politiae Commiſſarii honoribus tandemque nuperrime tribunalis, quod de rebus iudicat metallicis, Conſiliarii a Pot. Magnae Britanniae Rege exornatum fuiſſe.

Tubingae botanicam atque chemiam publice docendi munus, quod fratris, IO. GEORGII, morte vacuum factum fuerat, auſpicatus eſt nuper die viceſimo menſis auguſti Vir Cl. PHILIPP. FRID. GMELIN, ** Med. D. et eiusdem huc uſque Prof. Extr. ciuitatisque Tubingenſis phyſicus dictus, publice ideo dicta oratione *de neceſſitate docendae in academiis botanices et chemiae*, poſtquam paulo ante, ex academiae illius inſtitutis, pro loco Profeſſoris in collegio impetrando ſuam defenderat diſſertationem, *qua botanicam*

* ib. Vol. IV. P. III. p. 552.
** ibid. pag. 553.

tanicam et chemiam ad medicam applicatam praxin per illuſtria quaedam exempla docet.

Berolinenſis Scientiarum Academia in publico, quem die viceſimo tertio menſis octobris habuit conuentu, Viros Cll. CHRISTIAN. LVDOV. ROLOFF Med. D. et CAROL. PHILIPP. BRANDES, Med. D. et Chemiae Profeſſorem ſibi adiunxit ſocios.

Ad nos quoque, cuius obitum indicemus, pertinere exiſtimamus Virum, dum viueret, non ſacrarum tantum literarum peritia, ſed et ſingulari rerum naturalium amore atque cognitione inter viros doctos clarum, Doctorem Theologum, IO. BROVALL, quem *Aboae*, quae Finlandiae eſt metropolis, epiſcopi munere huc uſque fungentem, nuper die viceſimo quinto menſis iulii e viuis ereptum fuiſſe legimus.

Lipſienſis quoque noſtra Vniuerſitas, ciuitas nosque omnes, grauiter lugemus mortem Viri docti, honeſti atque probi, ſapientis medici, chirurgi peritiſſimi atque dexterrimi, amici candidi, IOANNIS VALENTINI HARTRAMFFT, Med. Doctoris, Academiae Naturae Curioſ. Socii, Medici in hac urbe obſtetricii, itemque in noſocomio publico et in ergaſtulo orphanotrophioque St. GEORGII dicto publice conſtituti, qui diuturno valde moleſtiſſimoque morbo confectus nuper diem ſuum obiit ſupremum, die decimo quarto menſis auguſti. Natus ille erat hic Lipſiae anno huius ſeculi ſecundo, ab honeſtiſſimis parentibus ſuſceptus, patre nimirum, VALENTINO, ſuo tempore inter chirurgos huius ciuitatis ſeniore, et, quod omnino mirum, ad artis ſuae munia ſuſtinenda in extremam fere uſque ſenectutem valido ante aliquot nunc annos mortuo, et matre ex gente *Bachertiana* oriunda. Ingenio vehementer

alacri

alacri felicique praeditus, ſingulari parentum cura educatus, optimis magiſtris, qui tunc iuuenes in lyceo huius urbis Nicolaitano ad literarum ſtudia informarunt, CRELLIO, DRECHSLERO, ORTLOBIO, traditus, fieri non poterat, quin cito primum literarum campum emetiretur adoleſcensque adhuc ad altiora aptus anno iam 1719 inter diſcentes academicos ſuum profiteri nomen poſſet. Optimis tum quoque utebatur praeceptoribus et RÜDIGERI, MÜLLERI atque LEHMANNI, ſcholas frequentabat philoſophicas atque phyſicas. Quibus nunc optimis medicinae adminiculis praeparatus, in medicorum caſtra tranſiens, SCHACHERVM, RIVINVM, WALTHERVM, KÜCHLERVM, BOETCHERVM, atque PLATNERVM, viros, quorum vix non omnium memoria uniuerſitati noſtrae ſemper erit ſancta caraque, uti decet, propter eorum in ipſam merita, ſequebatur duces. Anatomiae et, quae genuina eius eſſe ſolet ſoboles, chirurgiae iam tum temporis addiſcendae cupidiſſimus, SCHACHERO atque WALTHERO, plura cadauera diſſecantibus, adſiſtebat, et hoc in primis duce, viro inter anatomicos non ultimum adepto locum, et PLATNERO, chirurgorum in Germania nulli facile cedente, ingenium manusque ad eam, qua poſtea gauiſus fuit, in anatomicis atque chirurgicis dexteritatem informare diſcebat. Hiſce tamen artis ſalutaris partibus potiſſimum intentus, clinicas, quas vocant, ſcholas neutiquam poſtponebat, ſed, praeeunte SEYLERO, adhuc ſuperſtite interque noſtrates medicorum cum laude ſeniore, aegros inuiſere interque horum cubilia medicinam per experimenta facere audebat. Publicum etiam acquiſitae eruditionis edebat teſtimonium, annoque 1722 ſub praeſidio KÜCHLERI *de glandulis puerorum colli tumefactis* Reſpondens publice diſputabat. Famam tunc temporis inter anatomicos conſecutus fuerat COSCHWITZIVS: ut eius igitur intereſſet praele-

ctioni-

ctionibus inque anatomica partium adminiſtratione addiſcenda magis magisque proficeret; Halam abibat Magdeburgicam cadauerumque ab illo viro peractis ſectionibus aderat. Lipſiam deinde redux factus iter, docto viro dignum atque utile meditabatur, quod anno etiam 1726 ſuſcipiebat, et, luſtratis per Germaniam celebrioribus et eruditiſſimis hominibus literatiſſimisque ſtudiis affluentioribus urbibus, Argentoratum petebat, in ciuium eiusdem academiae numerum receptus. Eadem, qua alibi fruitus fuerat, felicitate hic etiam loci gaudebat, praeſtantiſſimos nimirum artis ſuae doctores nactus. SALZMANNI in primis beneuolentia anatomen, admotis manibus repetens, magis perficiebat. Inſuper ea, quae hac in urbe ipſi ſeſe offerebat, arti obſtetriciae nauandi operam utebatur occaſione, eum manu ducente illo longe lateque celebri Argentoratenſium obſtetricio medico, FRIEDIO. Multum quoque capiebat utilitatis ex praelectionibus LE MERII, chirurgi artis peritiſſimi, chirurgicas eius exercitationes videns et in cadaueribus imitatus. Tandem Lutetiam profectus, hoſpitio celebrioris inter Pariſienſes chirurgi, LE DRAN, excipiebatur, cui multa ſe debuiſſe ex ipſo beato Viro audire meminimus. Singulari itaque eius inſtitutione uſus, noſocomium illud, cui nomen a *Charitate* eſt, cui illum praefuiſſe chirurgum conſtat, frequentans, et anatomen, et chirurgiam, diligentiſſime colebat. Audiebat etiam WINSLOVIUM in anatomicis, obſtetriciam vero artem ſub GREGORII, famigeratiſſimi obſtetricii chirurgi, manuductione nouis experimentis confirmabat. Aderat quoque illi ſatis celebri oculario medico, SAINT-YVES, manu non nullis oculorum vitiis medenti; et faſciarum, quae varios in uſus corpori iniiciuntur, rationem diſcebat a chirurgo, SAINT-LAZAR. Suos nunc, propter quos adierat Lutetiam, potitus fines, ad Batauos deflectebat iter, Lugdunique ALBINUM,

cada-

cadauerum ſectionibus operam dantem, inuiſebat, deinque Amſtelodamum veniens, RVYSCHII theſauros anatomicos perluſtrabat. Hoc tandem itinere confecto, ad ſuos reuerſus Lipſiam, uti meritis, ſic et eorum fama, exornatus, medicinam facere artemque potiſſimum obſtetriciam cum omnibus reliquis chirurgiae partibus ſtatim exercere coepit. Quum itaque pluribus parturientium felicem operam tuliſſet, ab Ampliſſimo huius urbis Senatu anno 1731. publice conſtituebatur medicus obſtetricius, qui feminas, publico nomine hanc artem exercentes, eam ipſam doceret inque arduis et difficilioribus caſibus conſilium manumque auxiliatricem praeberet parturientibus. In intimam quoque b. PLATNERI, Profeſſoris tunc temporis anatomiae et chirurgicae apud noſtram uniuerſitatem publici, amicitiam familiaritatemque perueniens, theatro anatomico ſemper aderat eumque virum in ſectionibus cadauerum perficiendis adiuuans fere omnem praeparationem adminiſtrabat. Nihilo tamen minus Doctoris medici honores, qui eius ſingulari induſtriae et exquiſitae, quam adeptus erat, in arte ſcientiae atque experientiae omnino debebantur, ſemper recuſabat, tandem vero eos ſibi conferri patiebatur, diſſertatione ideo conſcripta inaugurali, *de non differenda ſecundinarum adhaerentium extractione*, ſubque b. KÜCHLERI praeſidio anno 1735 publice defenſa. In eodem deinde tramite, quem huc uſque cum laude ingreſſus fuerat, feliciter progrediens non diu poſt alia meritorum praemia conſequebatur. Anno enim 1737 Imperialis Naturae Curioſorum Academia eum ſub cognomine *Philomuſi tertii* adiungebat ſibi ſocium; Ampliſſimus autem urbis noſtrae Senatus eodem anno aliud ipſi imponebat munus publicum, ut aegrorum nimirum curam in ſe ſuſciperet medicus, qui ex aerario publico, in quod collecta ſtips ſolet colligi, et nutriuntur et ſubleuantur. Medici tandem

dem ordinarii prouinciae, in publicis huius loci aedibus et pauperum aegrorum, et puerorum parentibus orborum, eorumque, qui ob malos mores caſtigari debent, gratia exſtructis, noſocomio, orphanotrophio et ergaſtulo ante hos nouem annos, nempe quadrageſimo ſexto huius ſeculi anno, uno fere eodemque tempore vacuae erant factae, quas omnes in quem HARTRAMFFTIO digniorem conferret Senatus, ignorabat. Ab eo tempore omnia iam enarrata munia ſolita cum dexteritate atque fide exſequebatur, medici aeque ac chirurgi ſapientis, experti atque felicis nomen atque famam conſecutus; quo etiam honore erat eo dignior, quo maiore utrique noſtrae rei publicae inſeruiendi flagrabat cupidine. Vtramque enim medicinam cum arte obſtetricia non faciebat ſolum, ſed docebat etiam, ideoque omnis generis hominibus carus factus. Multo itaque longiorem, quam adeptus fuit, meruiſſet ipſique Lipſia exoptaſſet vitam. Sed ſapientiſſimo, quod omnia moderatur, Numini eam praeter ſpem noſtramque opinionem placebat reddere breuiorem, nobis eum, uti iam ſupra monuimus, nuper die decimo quarto menſis auguſti eripiens. Memoria tamen optimi illius Viri ſemper eſſe nobis debet cara atque antiqua.

Memoria IOANNIS GEORGII GMELIN, Med. Doct. eiusdemque ut et Botanices atque Chemiae Profeſſoris in Academia, quae Tubingae floret, Publici Ordinarii, Facultatis Med. Senioris, Acadd. Scientiarum Imper. Petropolitanae et Reg. Vpſalienſis et Regg. Scient. Societatum Holmienſis et Goettingenſis Socii *.

Qui

* Deſumſimus hic loci dicta maximam partem ex elogio partim a Rectore Vniuerſitatis Tubingenſis in beati viri

Qui ſingulari aliquo ad cognoſcendam et indagandam rerum naturalium hiſtoriam a natura dato ferebatur inſtinctu illamque haud indefeſſo ſtudio atque feruore amplificare tentabat, Noſter *Tubingae* anno huius ſeculi nono die duodecimo menſis Sextilis, natus, patrem habuit ſui ſimilem, IOANNEM GEORGIVM, ciuem atque pharmacopoeum Tubingenſem ſuo tempore longe lateque celebrem, rerum chemicarum, in primis quae ad metallurgiam docimaſticam pertinent, peritia clarum, matrem vero optimam adhucque ſuperſtitem, SVSANNAM BARBARAM, ex HAASIORVM ſtirpe oriundam; quorum parentum cura prudenter educatus ſelectisque praeceptoribus traditus fuit, apud quos tam laetos fecit progreſſus, ut anno iam huius ſeculi viceſimo ſecundo in ciuium academicorum referretur numerum et ab ore celeberrimorum tum temporis virorum, ROESLERI, CREILINGII, HAGMAIERI, MAICHELII et BILFINGERI, pendere eorumque ſcholis philoſophicis et phyſicis cum fructu intereſſe poſſet. En ingenii ſatis praecocis exemplum! Adoleſcens itaque, qui decimo quarto iam aetatis ſuae anno tanti nominis viros ſequi poterat praeceptores, multa omnino praeclara de ſe in anteceſſum ſperare faciebat; quam etiam de ſe conceptam ſpem ſucceſſu temporis vere expleuiſſe Noſtrum inter omnes conſtat. Innatum ipſius in naturalis potiſſimum hiſtoriae atque chemiae amorem magis magisque excitabat confirmabatque parentis exemplum, qui egregium

viri memoriam poſt eius mortem nuperrime conſcripto, Tubingae, fol. 1755. partim ex ipſa vitae ſuae deſcriptione, quam ex inſtituto illius academiae inſeruerat programmati, quo ad audiendam ipſius orationem aditialem ante hos ſex annos inuitauerat ciues ſuos academicos eiusdem academiae Rector, ibid. 1749. fol. partem quoque relationis de ſcriptis beati viri beneuolentiae Cl. ipſius fratris debemus.

gium ſibi comparauerat rerum naturalium muſeum, primaque omnium harum ſcientiarum rudimenta docuerat filium, qui ipſum quoque comitatus fuerat, quum anno 1723 excurſiones non nullas feciſſet ad praecipuos nec incelebres Ducatus Würtembergici fontes ſoterios eorumque virtutes atque contenta in medicinae ſtudioſorum gratiam inueſtigaſſet. Fieri itaque non poterat, quin priuata hac uſus inſtitutione ac AESCVLAPII ſacris quaſi initiatus, eo alacriori ut incitamento, ſic etiam uberiore cum fructu, medicas deinde ſcholas frequentaret virorum, quorum omnium memoriam ipſorum labores atque opera apud eruditos ſeruabunt perpetuam: ELIAE nimirum et ALEXANDRI CAMERARIORVM, ZELLERI, MAVCHARTI, et qui ſolus ex iis adhuc ſupereſt, Cl. DVVERNOI, quibus etiam adeo ſuam comprobauerat induſtriam, ut ex illis ultimus, anno 1725 *de glandularum meſenterii actione in chylum retardatiua*, MAVCHARTVS vero ſequenti anno poſt *de ὀφθαλμόξυσι nou-antiqua, ſeu Woolhuſiano-Hippocratica*, uterque diſputaturus, reſpondentis, qui dici ſolet, prouinciam in eum deferret. Interim factum fuerat, ut duo ex ſuis, quos coluerat, praeceptoribus, BILFINGER et DVVERNOI, euocati eſſent Petropolin, quorum ibi commoratio in Noſtro etiam excitabat cupidinem, Ruſſicas terras adeundi. Quod conſilium, cum laudarent probarentque ipſius patroni, eo effecit utilius atque honoratius, dum honorum medicorum licentiam, quae vocari ſolet, antea impetrare ſtudebat. Poſtquam igitur medicorum Tubingenſium ordini diligentiam eiusque ope acquiſitam ſcientiam demonſtrauerat, et diſſertationem inauguralem, quae *examen acidularum Deinacenſium atque ſpiritus vitrioli volatilis eiusdemque phlegmatis per reagentia* continet, multo cum ſtudio a ſe conſcriptam, ſub ZELLERI praeſidio defenderat, honoribus, quos quaeſiuerat, cum laude exornatus, iter illud

illud anno huius ſeculi viceſimo ſeptimo ſuſcipiebat, et in eo praecipuas Germaniae urbes tranſiens cimelia artis atque naturae, quo in loco ea modo inueniebat, hortos botanicos, theatra anatomica atque eruditorum muſea inuiſebat nec fugitiuis oculis perluſtrabat, tandemque eodem anno Petropolin feliciter attingebat, tum ab illis ſuis praeceptoribus, tum a reliquis ſuis, quos ibi deprehendebat, ciuibus, MAIERO, GROSSIO, KRAFFTIO et WEITBRECHTIO humaniſſime exceptus, Illuſtrique t. t. Academiae ibidem florentis Praeſidi, LAVRENTIO BLVMENTROST, ideo ſtatim apprime commendatus, quod collectionem quandam foſſilium Würtembergicorum ſecum apportatam gazophylacio illius Academiae iungebat. Liber itaque ad academicorum conuentus ipſi concedebatur aditus rerumque naturalium in muſeo Imperatorio aſſeruatarum uſus, pauloque poſt ſub initium anni 1728 annuo ſtipendio cohoneſtabatur. Medicinam quoque in ſplendida hac urbe faciebat feliciter, anno igitur eodem Doctor artis ſalutaris a priſcis ſuis praeceptoribus abſens creatus. Multiplici porro, quae ipſi quotidie ſeſe offerebat, rerum phyſicarum medicarumque, quam domi iam conſecutus fuerat, cognitionem augendi opportunitate optime ſingularique cum auiditate utebatur; Cl. DVVERNOI, elephantis anatomen adminiſtranti, adſiſtebat eumque in vaſtiſſimi huius animalis deſcribenda perſcrutatione iuuabat; in ſecandis hominum cadaueribus erat multus; phyſicique illius celeberrimi, BILFINGERI, aſſidue aderat experimentis ſolidisque eorum explicationibus. Tantam igitur apud aulae Petropolitanae proceres inibat gratiam, ut, cum anno 1729 reditum meditaretur in ſuam patriam, locus ipſi offerretur inter membra Academiae ordinaria, quod omnino munus eo ipſi eſſe debebat honorificentius, quo in iuniore adhuc aetate tum temporis erat conſtitutus. Adibat illud

ſubſe-

ſubſequente ſtatim anno 1730, proxime autem demum inſequente 1731, Profeſſoris chemiae et hiſtoriae naturalis titulo exornatus. Ab illo tempore academicis vacabat laboribus, chemiam aliasque medicinae partes docebat, conuentibusque aderat academicis frequenter, id, quod pars aliqua ipſius laborum ipſius Academiae Petropolitanae commentariis inſerta teſtatur. Ad finem illud nunc properabat temporis ſpatium, quo munere ſibi demandato fungi, pacto, uti fieri ſolet, interpoſito, ſe conſtrinxerat, cum Ruſſorum Imperatrix, ANNA, expeditionem ad Camſchaticam regionem a PETRO M. olim iam decretam, et a CATHARINA, licet fruſtra, ſuſceptam, iterum a viris rerum ad tale negotium pertinentium gnaris ſuſcipiendam decerneret, ut Sibiriae inueſtigarent limites, num aliqua cum Americae parte cohaererent? Ad indagandam igitur ignotarum harum orbis terrarum hiſtoriam naturalem ſeſe Noſter offerens hocque munere potitus difficillimum hoc iter anno 1733 ingrediebatur, ad finem autem praefixum deducere non poterat, hancce potius ſpartam GEORGIO GVILIELMO STELLER, Acad. Petropolit. Adiuncto, Viro et longiore vita et meliore fortuna digniſſimo, relinquens, de quo ipſe Noſter ita habet: *Erat homo nullius laboris taedia et moleſtias fugiens, et ardui, difficillimi, ſummisque difficultatibus obnoxii cuiusque diſcriminis cupidiſſimus, commodorumque et deliciarum huius vitae contemtor ſtrenuus; ex conuictu etiam paulatim et conſuetudine cum viro laudatiſſimo inſtituta, eius eruditio et ad conficienda illa, quae reſtabant, eximia dexteritas cognita omnibus atque perſpecta fuit; et quod caput rei eſt, ad iter Camſchaticum ſponte ſe obtulit, et a quo metus inopiae perferendae Noſtrum huc usque abſtinuerat, illum ſpes quarumcunque aduerſitatum impulit.* Quum b. Noſtri iter per Sibiriam * factum et ab ipſomet deſcriptum in multorum

* Comment. noſtr. Vol. II. P. I. p. 93. et P. III. p. 485.

torum e noſtris lectoribus iam eſſe manibus confidere poſſimus, de eo plura iam dicere nolumus, illud hic tantum annotaturi,

per varios caſus, per tot diſcrimina rerum,

elapſo fere integro decennio, anno nimirum 1743 Noſtrum reuerſum fuiſſe ſaluum ſoſpitemque Petropolin. Redux ibi factus munus, quo olim functus fuerat, apud Academiam denuo recepit, illuſtrique huic collegio obſeruationes ſuas de vegetabilibus, mineralibus, animalibus, aere et aquis Sibiriae, ut et Ruſſiae alicuius partis, captas tradidit, quas deinde, academiae illius iuſſu in ſuum ordinem redigere coepit, publico uſui deſtinatas. Quo factum quoque fuit, ut illarum edendarum initium duceretur a *flora Sibirica*, de cuius prioribus tomis ſuo tempore iam ad lectores noſtros retulimus *, quare de ſplendido utilique hoc opere, memoriam beati viri ſempiternam faciente, plura iam diſſerere nolumus. Tertium tamen tomum a b. Auctore iam prorſus elaboratum, hocque, qui agitur, anno ad Petropolitanam Academiam, ut ab ea in lucem edatur, transmiſſum iam eſſe, commemoramus. Accepimus etiam, in duobus adhuc tomis, reliqua, quae ad floram Sibiriae ſpectant, comprehenſuris, adhuc deſudaſſe optimum illum Virum, atque cetera deinde hiſtoriam naturalem regni animalis et mineralis Sibiriae attinentia explicare voluiſſe; ante vero, quam ad finem perducere potuerit egregium hoc opus, praematura nimis morte et perficiendo illi, et toti literarum orbi, ereptum fuiſſe. Interim quum argumenta huc pertinentia a b. Auctore relicta in literariis ipſius ſcriniis reperiri ſciamus, ut iis colligendis atque perpoliendis Cl. Frater, quem ſucceſſorem in Tubingenſi munere academico excepit Noſter, vel alius vir doctus earumque rerum gnarus, ultimam manum admoueat, ex animo optamus; vel certe ab

ipſa

* v. loc. cit. p. 276.

ipſa Academia Petropolitana cuipiam hanc traditum iri ſperamus prouinciam. Diu ſatis huc uſque a dulciſſima Noſter abfuerat patria, quam denuo reuiſendi ipſum prehendebat flagrans cupido. Poteſtate igitur annum in illa tranſigendi ab Illuſtriſſimo Academiae Praeſide conceſſa, anno 1747 Petropoli abibat, nauimque conſcendens iter ob procelloſam ſemper tempeſtatem valde moleſtum atque longum faciebat, tandem vero incolumis capiebat Lubecenſem portum, tumque ut in itu, ſic et in hoc reditu praecipuis, quas iter attingebat, Germaniae urbibus atque academiis ibique reperiundis viris doctis ſalutatis, eodem anno laetus perueniebat Tubingam. Cum vero per ſubſequentem hiemem ſedentariae vitae perſentiſceret incommoda, nec ad ſuſcipiendnm reuerſionis iter vires ſufficerent, per dimidium adhuc annum in patria commorandi veniam petebat ab Ill. Petropolitanae Academiae Praeſide eamque etiam impetrabat. Interim valetudini conſulturus, iter inſtituebat in Heluetiam, Cl. Fratre comite, omniaque artis et naturae cimelia obuia perluſtrabat, quorum in primis maximam copiam apud celeberrimum phyſicum, IOANNEM GESNERVM, Tiguri inueniebat, cum quo etiam intimiorem contrahendi amicitiam gaudebat felicitate. Vix Tubingam redux factus, ut morte b. BACKMEISTERI vacuam factam Profeſſionem medicam iam olim ante duodecim annos ipſi deſtinatam oblatamque ſuſciperet, a Grauiſſimo illius Academiae Senatu nominabatur. Conſentiente Sereniſſ. Würtembergiae Duce, auſpicabatur paulo poſt hancce ſibi demandatam prouinciam, die nimirum viceſimo ſecundo menſis auguſti anno 1749 ideo publice habita oratione: *An praeter ea vegetabilia, quae ſummus rerum Creator in primis rerum initiis omnipotenti ſuo verbo exiſtere iuſſit, alia per ſeries temporum exorta ſint, aut hodie exoriantur ſine noua diuini artificis creatione?* Ab illo tempore nouo huic muneri tanta cum

 dexte-

dexteritate, induſtria, fide, tantoque cum applauſu, praeerat, ut ab exteris quoque regionibus confluerent Tubingam, qui doctiſſimis eius intereſſent praelectionibus. In priuato quoque muſeo, uti ſemper facere ſolitus fuerat, indefeſſo in literas incumbere pergebat ſtudio, inde autem valetudinem corporis, moleſtiſſimis illis itineribus iam antea labefactatam, magis magisque reddebat vacillantem, donec tandem febre acuta inflammatoria maligna correptus, cui inſuper accedebat hemiplegia purpuraque alba, hocce, uti nuper iam indicauimus, anno 1755, die menſis maii viceſimo extingueretur, duos relinquens filiolos, uxorem matremque, optimi patris, uti decet, mariti atque filii valde praematuram mortem lugentes, quam Tubingenſis quoque academia omnisque eruditorum orbis iure dolet grauiſſimo.

Hiſce iam praecipuis de vita b. GMELINI dictis ſubiungimus adhuc indicem ſcriptorum, quae ipſum habuerunt auctorem:

Diſſertatio inauguralis, ſiſtens: Examen acidularum Deinacenſium atque ſpiritus vitrioli volatilis eiusdemque phlegmatis per reagentia. Tubingae 1727. 4.

Actorum phyſico-med. Acad. Nat. Curioſ. volumini tertio inſerta ab eo legitur commentatio: De colore quodam coccineo, ex ligno fernambuci elicito.

Porro in Commentariis Acad. Petropolitanae ab eo deprehenduntur ſequentes:

Tom. III. De radiis articulatis lapideis.

T. V. De augmento ponderis, quod capiunt quaedam corpora, dum igne calcinantur.

- - De ſalibus alcalibus fixis plantarum.

T. X. De frigore et calore glaciei niuis et aquae.

Inſuper in Petropolitanis additamentis ad ſchedas publicas, quae nuperrime geſtas res enarrant, (Petersburgiſchen Anmerkungen zu den Zeitungen), ſequentes ab eo conſcripti ſunt articuli:

Anno

Anno 1730. Artt. 80, 83, 93.

Anno 1731. Artt. 21-27, 32-40, 53-56, 70-73, 92-94, 101, 102, de dentibus elephantis vulgo *Mammots-Knochen* dictis, alchemia, ſympathia, temperamentis, vaſorum porcellanorum conficiendorum modo, vulcanis, vampyris aliisque ſimilis argumenti rebus.

Flora Sibirica, ſeu hiſtoria plantarum Sibiriae. Petropol. 4. mai. Tom. I. 1747. Tom. II. 1749.

De reliquis huius operis voluminibus, quae adhuc expectari poterunt, ſupra iam diximus.

Leben Herrn GEORGE WILHELM STELLERS, 1748. 8.

Sermo academicus de nouorum vegetabilium poſt creationem diuinam exortu; acc RVD. IAC. CAMERARII de ſexu plantarum epiſtola. Tubingae, 1750. 8. mai.

Reiſe durch Sibirien von dem Jahre 1733 *bis* 1743. *Göttingen*, 8. *Erſter Theil* 1751. *II, III und IV. Theil* 1752, *mit Kupfertafeln.*

Sequentis libri verſionem germanicam curauit praefationemque addidit: IOH. GEORGE MODELS *Abhandlung von Beſtandtheilen des* Boracis etc. *Stutgard*, 8.

Rhabarbarum officinarum; Diſſ. inaug. Reſp. *Victor Bengel.* 1752. Tubingae, 4. *

De febre miliari, Diſſ. Reſp. *Ulric, Frid. Varenbüler.* 1752. ibid. 4.

Programma, quo modo balſama, unguenta et linimenta in corpora humana agant? 1753. ibid. fol.

De viis urinae ordinariis et extraordinariis. Reſp. *Ioſeph. Gärtner.* 1753. ib. 4.

De tactu pulſus, certo in morbis criterio. Reſp. *Io. Melch. Streif.* 1753. ib. 4.

Inſuper Cl. MACQVERI *chemiam latine reddidit; quae ut typis exprimatur, optamus.*

* Comment. noſtr. Vol. II. P. III. p. 450.

Dantur adhuc quidem aliae diſſertationes ſub beati viri praeſidio defenſae, quarum tamen auctor non fuit, nimirum:

De Coffea, Reſp. *Io. Chriſtoph. Samſon Georgi.* 1752. Tubingae, 4.

Diſſ. qua nouum febrium acutarum ſpecificum Anglicanum proponit Reſp. *Theoph. Beniamin Faber.* 1753. ib. 4.

Singulare anthropogeniae ſpecimen. Reſp. *Lud. Henr. Rieke.* 1753. ib. 4.

De innocuo atque egregio corticis peruuiani in febribus intermittentibus uſu. Reſp. *Georg. Chriſtoph. Heller.* 1754. ib. 4.

XVIII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1754 prodierunt.

IOH. BALTHASAR PHIL. POTT, *nützliche Gedanken und gründliche Unterſuchung der metalliſchen Geſchirre, ob ſolche in den Küchen zuzulaſſen ſind, und was für welche? Dresden,* 8.

CLAVD. THOM. GVILIELM. GVILBERT. DE PREVAL, Quaeſt. med. An ſcalpello vagina recondito cyſtitome lateralis perfectior? Reſp. *Henr. Iac. Macquart.* Paris, 4. mai.

Eadem Diſſertatio gallice et latine recuſa ſub titulo: La taille laterale s'execute-t-elle plus ſurement et plus facilement avec l'inſtrument connu ſous le nom de lithotome caché? à Paris, 8.

IOHANN PRINGLES *Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, ſo wohl im Felde als in Garniſon. In 3 Theilen. Aus dem Engliſchen ins Deutſche überſezt, von* IOH. ERNST GREDING. *Altenburg,* 8. mai.

A trea-

A treatiſe of midwifery, chiefly with regard to the operation; with ſeveral improvements in that art. To which are added ſome caſes and deſcriptions, with plates of ſeveral new inſtruments both in midwifery and ſurgery. By BENIAMIN PVGH, London, 8. c. f.

SAMVEL THEOD. QVELMALZ, Progr. de delirio ex lactatu. Lipſiae, 4.

Eiusd. Pr. de muſculorum capitis extenſorum paralyſi. ibid. 4.

Brief aan den heere van ... bevattende eenige aanmerkingen op en work uitgegeven door de heer IACOB DE VISCHER en HVGO VAN POLL, etc. door IAN PIETER RATHLAVW. Amſterdam, 8.

Obſervations de Médecine, où l'on trouve des remarques qui tendent à détruire le préjugé où l'on eſt ſur l'uſage du lait dans la pulmonie: avec une diſſertation ſur les ingrediens de l'air, conſidéré dans l'état naturel, et dans un état contre nature, ou comme cauſe des maladies. Par IOSEPH RAVLIN. à Paris, 12. mai.

FR. M. REGENFVS, *Sammlung von Muſcheln und Schnecken, bis 11tes Blat; illuminirt. Nürnberg, fol.*

CHRISTIAN REICHARDS, *Land- und Garten-Schatzes, fünfter Theil, von vieljähriger Nutzung der Aecker ohne Brache und wiederholte Düngung, wobey eine Anweiſung die Korn- und Hülſenfrüchte, nebſt dem Hanfe, Flachs und Klee zu erbauen, wie auch die ſchädlichen Thiere und Ungeziefer zu vertilgen. Erfurth,* 8. *m. K.*

IOH. CHRISTIAN REICHE, Diſſ. inaug. de propathia. Lipſiae, 4.

CHR. TOB. EPHR. REINHARD, Carmen de pallore faciei ſalutari et morboſo. Sorauiae, 8.

Poiſſons, Ecreviſſes et Crabes de diverſes couleurs et figures extraordinaires, que l'on trouve autour

des Isles Molucques et ſur les côtes des Terres Auſtrales. Ouvrage donné au Public par LOVIS RENARD; à Amſterdam, fol. mai. c. f.

GEORG. GOTTLOB RICHTER, Diſſ. inaug. de ſalubritate fructuum horaeorum. Reſp. *Gottlob. Auguſt. Segnitz.* Goetting. 4.

IOH. GOTTFR. OHNEF. RICHTER, *Ichthyotheologie, oder Vernunft-und Schriftmäßiger Verſuch, die Menſchen aus Betrachtung der Fiſche, zur Bewunderung, Ehrfurcht und Liebe ihres großen, liebreichen und allein weiſen Schöpfers zu führen. Leipzig,* 8. *m. K.*

IACOB RICHTER, Diſſ. de verbaſco. Argentorati, 4. c. f.

IO. RITTER, Diſſ. inaug. de purgantibus validis et opio in hydrope. Viennae Auſtriae, 4.

A. I. ROESELII hiſtoria naturalis ranarum; *natürliche Hiſtorie der Fröſche; bis* 17*tes Blat; illuminiret. Nürnberg, fol.*

Eiusd. *Inſecten - Beluſtigung; dritter Band bis* 90*tes Blat*, *gemahlet.* ibid. 4.

IVL. BERNHARD VON ROHR, *phyſicaliſche Bibliothek, worinnen die vornehmſten Schriften, die zur Naturlehre gehören, angezeiget werden, mit vielen Zuſätzen und Verbeſſerungen herausgegeben von* ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER. *Leipz.* 8.

NICOL. ROSEN, Diſſ. Idea pharmacopoeae reformatae. Reſp. *I. Haartmann.* Upſal. 4.

Eiusd. Diſſ. de variolis curandis. Reſp. *Petr. Io. Berg.* ibid. 4.

Von der Schädlichkeit des Kupfer-Geſchirres in der Haushaltung; ein Schreiben des Herrn ROVSSEAV. *Eiſenach,* 4.

PAVL LE ROY, Quaeſt. med. An a diverſa virus ſcorbutici indole et ſede morbi diuerſi? Reſp. *Henr. Michael. Miſſa.* Paris. 4. mai.

DAVID

DAVID VAN ROYEN, oratio de hortis publicis, praeſtantiſſimis ſcientiae botanicae adminiculis; Lugd. Batav. 4. mai.

Due Diſſertazioni fiſico - mediche del Signor BOISSIER DE SAUVAGES; che tutte due hanno meritato il Premio dell Academia Reale delle Scienze, Arti et Belle lettere di Bourdeaux; La Prima dei Medicamenti che attaccano alcune determinate parti del Corpo umano, e ſopra la cagione di queſt' Effetto; La Seconda come l'Aria con le ſue diverſe qualita operi ſul noſtro Corpo; dal Franceſe in Toſcano tradotte; e di diverſe Annotazioni accreſciute da SAVERIO MANETTI. In Firenze, 4. mai.

10. FRANCISCI SCARDONAE, Rhodigini, Aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis, uberrimis commentariis atque animaduerſionibus illuſtrati, quibus quaeſtiones ſingulae, quae cum in theoriam tum in praxin medicam cadunt, hodie maxime illuſtres ſedulo portractantur diſcutiunturque. Editio ſecunda ab Auctore correcta et aphoriſmis de cognoſcendis et curandis febribus locupletata. Libri IV. Patauii, 4.

SAMVEL SCHAARSCHMIDT, *Anweiſung zu dem* Studio Medico - chirurgico, *welche die Pathologie, Chirurgie und Praxis in ſich enthält; dritter und lezter Theil. Berlin*, 8.

AVGVST SCHAARSCHMIDT, *Unterricht von den Krankheiten der Knochen; zwote Auflage. Berlin*, 8.

Eiusd. *Oſteologiſche Tabellen; dritte Auflage.* ibid. 8.

Eiusd. *Adenologiſche Tabellen; zwote Auflage.* ib. 8.

IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER, *Neuentdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern, nebſt der Verwandlung der Hauswurzraupe zum ſchönen Tagvogel, mit rothen Augenſpiegeln, wobey zwey Kupfertafeln, mit Figuren in Farben. Regenſpurg*, 4.

Die Armpolypen in den ſüſſen Waſſern um Regenſpurg; entdeckt und beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER. *Regenſpurg,* 4. *nebſt* 3 *Kupferplatten mit Figuren in Farben.*

Der Fiſchförmige Kiefenfuſs in ſtehenden Waſſern um Regenſpurg; anfangs in der Lateiniſchen, und itzo in der Deutſchen Mundart beſchrieben von IACOB CHRISTIAN SCHAEFFER; *nebſt einer Kupferplatte in Farben. Regenſpurg,* 4.

IOH. IAC. SCHILLING, Phytologia, ſeu phyſices plantarum ſpecimina III. Duisburgi, 4.

CASIMIR CHRISTOPH SCHMIEDEL, Diſſ. inaug. qua quaedam de neruo intercoſtali notantur. Reſp. *Io. Gerold.* Erlang. 4.

DAN. GOTTFRIED SCHREBER, *von perennirenden Siberiſchen Leine, und deſſen auch bey uns mit Nutzen einzuführenden Bau. Halle,* 4. *mit einem Kupfer.*

IOH. RVD. SCHVBARTHS *Bienen-Buch, worinnen von der Bienen Ordnung, Wartung, Vermehrung und gutem Nutzung gehandelt wird; ingleichen wie man einen Bienen-Garten anlegen, ganze Schwärme in den Stuben aushecken und pflegen, auch ihnen zu einem Weiſer verhelfen kann. Verbeſſerte Auflage. Leipzig,* 8.

CHRISTIAN GOTTFRIED SCHVLZE, *kurze Betrachtung derer verſteinerten Hölzer, nach ihrem Urſprunge, Unterſchied und übrigen Eigenſchaften. Dresden und Leipzig,* 4. *m. K.*

Eiusd. *kurze Nachricht einiger beſonderer Zufälle, ſo wohl einheimiſcher als anderer Krankheiten, im Königreiche Pohlen und inſonderheit im Groſsherzogthume Litthauen.* ib. 8.

GOTTW. SCHVSTER, obſeruatio de chemoſi ſummo inflammationis oculi gradu. Lipſiae, 4.

I. ANTON. SCOPOLI, Diſſ. Methodus plantarum enumerandis ſtirpibus ab eo huc usque repertis deſtinata. Viennae.

Samm-

Sammlung verſchiedener ausländiſcher und ſeltener Vögel, worinnen ein jeder derſelben nicht nur auf das genaueſte beſchrieben; ſondern auch in einer richtigen und ſauber illuminirten Abbildung vorgeſtellt wird, von IOH. MICHAEL SEELIGMANN. *Dritter Band. 38tes Blat. illuminiret. Nürnberg, fol.*

IOH. ANDR. SEGNERS, *Einleitung in die Naturlehre. Neue Auflage. Göttingen,* 8. mai. *m. K.*

Eiusd. Diſſ. inaug. de acido pinguedinis animalis. Reſp. *Dav. Henr. Knape.* Gottingae, 4.

Plantarum, quae in agro Veronenſi reperiuntur, ſupplementum, ſeu volumen tertium, opera IO. FRANCISCI SEGVIER. Veronae, 8. mai.

A critical Enquiry into the preſent ſtate of Surgery; by SAMVEL SHARP. The third edition. London, 8. mai.

GEORG. FRID. SIGWART, Diſſ. inaug. ſiſtens nouas obſeruationes de infarctibus venarum abdominalium internarum eorumque reſolutione per enemata potiſſimum inſtituenda. Reſp. *Io. Frid. Elvert.* Tubingae, 4.

Obſeruation ſur une hydropiſie enkiſtée de l'ovaire gauche. Par Mr. SIREJEAN; à Nancy, 4. mai.

Traité de la théorie et de la pratique des accouchemens; traduit de l'anglois de Mr. SMELLIE; par Mr. DE PREVILLE; auquel on a joint le ſecret de ROOENHVISEN dans l'art d'accoucher, traduit du hollandois. à Paris, 8.

Briefe, welche einige Erfahrung der electriſchen Würkungen in Krankheiten enthalten; nebſt einer ausdrücklichen Beſchreibung der electriſchen Maſchine, von LORENZ SPENGLER. *Copenhagen,* 8. *m. K.*

IOH. GOTTLIEB STEGMANN, *Einleitung in die Naturlehre. Hannover,* 8. *m. K.*

IO. CHRIST. STOCK, Diſſ. inaug. de uſu et abuſu mercurii et medicamentorum mercurialium. Reſp. *Daniel Frid. Stang.* Ienae, 4.

CHRIST

CHRIST. WILH. STORTZ, Diſſ. inaug. de generatione hominis. Erford. 4.

CARL WILH. FRIEDR. STRUVE, *Geſundheits-und Schönheits-Pflichten zur Erbauung des andern Geſchlechts wiſſenſchaftlich vorgetragen. Dresden*, 8.

Eiusd. Anthropologia naturalis ſublimior. Ienae, 4.

SIMON STYL. Diſſ. inaug. de motibus muſculorum automaticis. Franequerae. 4.

GERARDI VAN SWIETEN, Commentaria in HERM. BOERHAAVE Aphorismos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomi II. editio altera. Hildburghuſae, 4.

Eiusd. Comment. Tom. III. ibid. 4.

Kurz gefaſte Nachricht von dem Gebrauche des Salzes vom Eiſenvitriol, wie man mit demſelben durch Gottes Seegen, von vielen hundert Krankheiten ſicher und mit gutem Succeſs augenſcheinlich curiret werden könne; dem gemeinen Weſen zum Beſten ausgefertiget von I. P. d. T. Hamburg.

Relazioni d'alcuni viaggi fatti in diverſe parti della Toſcana, per obſervare le produzioni naturali e gli antichi monumenti di eſſa; del D. GIOVANNI TARGIONI TOZZETTI. Tom. VI. Fiorenza, 8.

Eiusd. Prodromo della Corografia e della Topografia fiſica della Toſcana. ibid. 8.

AVGVST HENR. LVDOV. TEICHMEYER, Diſſ. de variis nutritionis cauſis atque modis. Reſp. *Chriſt. Gottfr. Lange*. Ienae, 4.

IOH. CHRISTIAN THEMEL, *Ober-Erzgebürgiſches Journal, oder Sammlung von allerhand in die hieſige Natur-Wiſſenſchaft* etc. *einſchlagende merkwürdige Abhandlungen; bis 12tes Stück. Freyberg und Leipzig*, 8.

IO. BAPT. THVRANT, Quaeſt. med. Utrum herniosis ex ſcuto eburneo coriaceoque cingulo, ſubligacula? Reſp. *Henr. Mich. Miſſa.* Paris, 4. mai.

L'in-

L' inoculation juſtifiée ou diſſertation pratique et apologetique ſur cette methode, avec un eſſai ſur la müe de la voix. par Mr. TISSOT. à Lauſanne, 12.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita, manu artificioſa pinxit GEORG. DIONYS. EHRET; collegit, nominibus notisque illuſtrauit CHRIST. IAC. TREW; in aes incidit et viuis coloribus repraeſentauit IOH. IAC. HAID. Decuria IV. Norimb. fol. reg. c. figg. aen.

Hortus nitidiſſimus omnem per annum ſuperbiens floribus; ſiue amoeniſſimorum florum imagines, quas magnis ſumtibus collegit CHR. IAC. TREW; in aes inciſas viuisque coloribus pictas edidit IO. MICHAEL SEELIGMANN; *oder Abbildung der lieblichſten Blumen; bis 32tes Blat; illuminiret. Nürnberg, fol.*

DAN. WILHELM. TRILLER, Diſſ. inaug. de veritate paradoxi Hippocratici: Nullam medicinam interdum eſſe optimam. Reſp. *Erneſt. Samuel. Wehle.* Vitembergae, 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de Hippocratis ſtudio anatomico ſingulari. Reſp. *Traug. Balth. Chriſt. Stentzel.* ibid. 4.

Eiusd. Progr. de gibbo ex nephritide potius, quam ex phrenitide, orto, ad HIPPOCRATEM atque CAEL. AVRELIANVM illuſtrandum et emendandum. ib. 4.

Eiusd. Commentatio de ſcarificatione et uſtione oculorum ab HIPPOCRATE deſcripta. ib. 4.

Eiusd. Comment. altera de ſcarificationis oculorum hiſtoria, antiquitate et origine. ib. 4.

GOTTLOB. HENR. TROSCHEL, Diſſ. inaug. de morbis ex alieno ſitu partium abdominis. Francofurti ad Viadr. 4. c. tab. aen.

DANIEL TVRNERS, *Syphilis, oder practiſche Abhandlung von der Venusſeuche überſetzt; mit einer Vorrede des Hrn. Hofr.* HEISTERS. *Zelle und Leipzig*, 8.

HENR.

HENR. IOAN. TYDEMAN, Diſſ. inaug. de ſiti. Lugd. Bat. 4. mai.

Het Roonhuiſiaanſch Geheim in de Vroedkunde ontdekt, tegen de wederstrevers verdedigt, etc. waar agten is gevoegdeen voorreden van HVIG CHAMBERLEN en eenige vroedkundige aanmerkingen van WILLOVGBY; door IAC. DE VISCHER en HVGO. V. D. POLL. te Leiden, 8. c. f. (*Editio altera auctior.*)

RVDOLPH AVGVSTIN VOGELS *neue mediciniſche Bibliothek. Erſter Band.* *Göttingen*, 8.

FRANCO DE VRYE, Diſſ. inaug. de atrophia uniuerſali et particulari. Lugd. Bat. 4. mai.

CHRISTIAN. XAVER. WABST, de hydrargyro tentamen phyſico-medicum. Pars prior. Viennae Auſtriae, 4.

IAC. VAN WAGENINGEN Diſſ. inaug. de haemorrhagiis ſpontaneis in genere. Lugd. Bat. 4.

IOHANN WALLBERGERS *Sammlung natürlicher Zauberkünſte, oder Entdeckung verſchiedener bewährter, luſtiger und nützlicher Geheimniſſe; nebſt vielen raren Kunſtſtücken, ſo zur Haushaltung, Gärtnerey, Wein-und Feldbau gehören; dritte Auflage, mit neuen Zuſätzen vermehret. Stutgart*, 8.

IO. GOTTSCHALCK WALLERIVS, Diſſ. om Smältningar. Reſp. *Io. Oehrgren.* Upſal, 4.

Eiusd. Diſſ. Cenſurae circa praeparationem medicamentorum chemicorum. Reſp. *Frider. Falk.* ibid. 4.

IOH. GOTTLIEB WALPVRGER, *cosmotheologiſche Betrachtung der wichtigſten Wunder im Reiche der Natur und Gnade. Vierter Theil, von dem menſchlichen Cörper inſonderheit. Chemnitz*, 4.

Caſes in Surgery, with Remarks: To which is added an account of the preparation and effects of the agaric of the oak in ſtopping of bleedings, after ſome of the moſt capital operations. By IOSEPH WARNER. The ſecond Edition. London, 8. mai.

The

The animal world diſplayed; or the nature and qualities of living creatures deſcribed under the denominations of 1. Birds, 2. Beaſts, 3. Fishes, 4. Serpents. In which all the neceſſary and uſeful Knowledge, contained in the many learned works written on this ſubject, in different languages, is familiary conveyed to the English reader; and the groſs errors of ignorant compilers are carefully avoided. By FREDERICK WATSON. London, 8. c. f.

A Diſſertation on the ancient and noted doctrine of Revulſion and Derivation. By GILES WATTS. London, 8. mai.

IOH. HEINRICH WINCKLERS *Anfangs - Gründe der Phyſik. Zweyte Auflage. Leipzig, 8. m. K.*

Abhandlung von dem Baue und der Zergliederung des menſchlichen Leibes, ehemals von IAC. BENIG. WINSLOW *in franzöſiſcher Sprache herausgegeben, nunmehr aber zum zweyten male darauf verdeutſchet und verbeſſert, wie auch mit fünf Tabellen des Hrn.* ALBINS, *und mit zwey Regiſtern der Deutſchen und Lateiniſchen in der Zergliederungslehre vorkommenden Kunſtwörter vermehret. Vier Bände, Baſel,* 8. *m. K.*

LVDOV. WINTER, Diſſ. inaug. de metastaſi morborum. Wittembergae, 4.

FRANC. LEOPOLD WOLFF, Diſſ. de aſthmate hypochondriaco. Argentorati, 4.

Pharmacopoea theoretico-practica ad uſum noſocomiorum militum edita a I. A. DE WOLTER. Monachii, 8.

Idem liber prodiit Pariſiis ſub titulo: Pharmacopoea militaris in Bauariae noſocomiis uſitata; 12.

Germanice quoque is fuit editus ſub titulo: Apotheke für die Soldaten-Spitäler. München, 8. (*Translator, militum Branauienſium medicus,* Cl. SCHAVR.)

IOH. IAC. WOYTS Gazophylacium Medico-phyſicum, *oder Schatzkammer mediciniſch - und natürlicher Dinge*, etc. 14*te Auflage, aufs neue mit Fleiſs üerſehen, verbeſſert und vermehret*; *Leipzig*, 4. *m. K.*

Een borſt gezwil in een vrſter waargenomen omſtaanding betrogt; benevens de Aanteekeningen en Aanmerkingen betreffende het Stuk: gemeen gemaakt door I. VAN WYK, Stadts Chirurgyn. Rotterdam, 8.

IACOBO ZANNICHELLI, Il Credenziere al ſuo Padrone Lettera contro l'abuſo del Caffé. Venezia, 4.

Kurzer und gründlicher Unterricht von der Pferde-Zucht, in welchem die Urſachen heutigen Verfalls derſelben, nebſt dem daraus entſtehenden groſsen Schaden, eröfnet werden, wie auch die Art und Weiſe, wie die Geſtüte in beſſere Verfaſſung zn bringen, aus eigener Erfahrung angewieſen wird, entworfen von I. C. ZEHENTNER. *Berlin*, 8.

Nuovo fonte da cavar pronoſtici nelle malattie diſcoperto dal Dottor GIOVANNI VERARDO ZEVIANI. Verona, 4.

Conten-

Contenta in hac Parte.

1. Hiſtoire et memoires de l'academie royale des ſciences de Paris an. 1750. p. 573.
2. *Oeconomiſch - phyſicaliſche Abhandlungen* VII *und* VIII. *Theil* p. 600.
3. WHYTT an Eſſay on the Lime - Water in the Cure of the ſtone p. 611.
4. FABRICII *Sammlung einiger mediciniſcher Reſponſorum und Sections - Berichte* p. 618.
5. SIREIEAN Obſervation ſur une hydropiſie enkiſtée de l'ovaire gauche p. 622.
6. WARNER Caſes in Surgery with remarks p. 625.
7. GRASHVIS Tentaminis de colica pictonum appendix p. 632.
8. ROEDERER Satura obſeruationum medicarum de ſuffocatis p. 636.
9. Kongl. Svenska Vetenſkaps academiens handlingar foer Aoer 1752. p. 644.
10. Acta phyſico - medica academiae naturae curioſorum Vol. X. p. 678.
11. Academiae naturae curioſorum Bibliotheca p. 702.
12. TACK de partu difficili capite infantis praeuio p. 704.
13. SCHVLZE *Verſuche mit verſchiedenen Saechſiſchen Erdarten an einem Hoeſiſchen paraboliſchen Brennſpiegel angeſtellt* p. 707.
14. BEDINELLI nupera perfectae androgyneae ſtructurae obſeruatio p. 709.
15. HALLER Diſputationes chirurgicae ſelectae. Tom. I et II. p. 710.
16. SCHAEFFER *Neuentdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern* p. 715.
17. Noua phyſico - medica p. 720.
18. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico - medicorum, quae anno 1754 prodierunt p. 738.

INDEX.

A.

Aceti praeparatio 406
Acta phyſico - medica Academiae Naturae Curioſorum. Vol. X. 678
Aeris electricitas 403. eius effectus ſingulares ibid. effectus morboſi certum tempus ſeruant 268. clauſi explorandi modus 106. putridi contagioſa vis ſingularis 386. in ipſo contagium morboſum non eſt 268 ſeq.
Aethiopis mineralis praeparatio 406. vires medicae ibid.
Agarici querni ad ſiſtendum ſanguinem uſus 630. 631
Albini, Bern. Siegfr. academicarum annotationum liber primus 453. tabulae oſſium humanorum 459
Aluminis in colica uſus 634
Amylum e ſolano tuberoſo eſculento 74. 75
Anatomicae obſeruationes 523. 531. 684
Aneuryſma compreſſione ſola curatum 701. ſeq cordis 684. eius ſigna 684. 685. arteriae aortae et ſubclauiae ſiniſtrae 576
Anginae remedium 58
Anguis herpetorum ordo 463. eorum claſſes a dentibus deſumtae ibid. ſquamae numero variant 662
Animalia calentia et frigida 425. ſeq.
Animi et medullae cerebri communio 39. in ſtamina cerebri actio 42. morbi 38. primi et ſecundi ordinis 42. eorum diagnoſis 44. 45. prognoſis 45. 46. prophylaxis 46
Antiae 49
Antimonii diaphoretici vis laudatur 406. vitri cerati in dyſenteria uſus 76 ſeqq. 335
Ἀντίσπασις, reuulſio 280
Antliae, corio non indigentis, conſtructio 655
Apum hiſtoria 606. ſpecies 609. anatome 606. 607. morbi 608. ad hoſce remedia 609
Aqua quando congelaſcat? 310. 311. frigidae in acutis morbis uſus 695. 696. marinae ſplendor ab inſectis 580. hanc dulcem reddendi methodus 387. aquae minerales Aquitaniae 289. deſtillatae congelaſcunt 301. ſulphuratae Italiae 580
Aquitaniae minerales aquae 289. eorum in morbis uſus 291. ſeq.
Arteria ophthalmica 210. eius diſtributio 210. 211. cerebralis 205. eius diſtributio 206. 207
Arteriotomes uſus 284
Arthritidis hiſtoria 439. 440. ſpecies 440. 446. ſedes 444. cauſa 441. remedium 75. regularis illa 447. eius curatio 448
Aſcitis hiſtoria 648. 649

Aſtacus

Aſtacus inſectorum genus 223. eius ſpecies 224. deſcriptio partium exter-narum ibid. internarum 225
Aſtragalus pedunculis foliis ſupparibus, floribus pen-dulis, ſiliquis erectis et longis, parum compreſſis, Martini 203
Atmoſphaera corporum 104. circa mare glaciale 665
Attractio corporum dubia 102. 103. 320. ſeqq.
Aueníonenſes doctores et profeſſores medici 547 ſeq.
Aues rariores in Italia viſae 579. demortuas diu ſer-uandi methodi 297. ſeq.
Aurantia et limonia poma ſcorbuti remedia 250. 251. ſucci eorum praeparandi ratio ibid.
Aurorae boreales in Ameri-ca viſae 658. ſeq.
Auri ab aliis metallis ſepa-randi methodus 655. au-rum album metallum no-uum 666. eius deſcriptio 666. ſeq.

B.

Balſamatio Aegyptiis uſitata 585. huic apta materies 586. 587
Balſami vitae praeparatio 407
Barbae uſus 50
Baſſeville, Io. Bapt. Quaeſt. utrum Aquitaniae mine-rales aquae morbis chro-nicis? 289
Beumer, Io. Guil. Profeſſor Phyſices Erfordiae factus 358
Bedinellii, Franc. Paull. ob-ſeruatio androgyneae ſtru-cturae 709
Belladonna ad cancrum re-medium 263. ſeqq.
Berolinenſis Academiae ſci-entiarum theſis et prae-mium 549. 550
Bertrand, Elias, Academiae ſcientiarum Gottingenſis correſpondens factus 164
Blumentroſt, Laurent. Mo-ſcouiae obiit 552
Boerner, Frid. Profeſſoris extraordinarii munus Wit-tenbergae adiit 163
Bolten, Io. Chriſtian. Phyſi-cus Altenauiae et Pinne-bergae factus 170
Boſe, Ern. Gottl. Profeſſor Botanices Lipſiae factus 354. ſeq.
Boſſeck, Henr. Otto, Profeſ-ſor medicinae extraordi-narius Lipſiae factus 355
Botanicae obſeruationes 202. 521. ſeq.
Brachium ſphacelatum natu-ra ſeparauit 692
Brandes, Carol. Phil. Acade-miae ſcientiarum Beroli-nenſis ſocius factus 725
Brendel, Io. Gothofr. Archia-ter Regis Magnae Britan-niae factus 552
Brouzet, Eſſai ſur l'educa-tion medicinale des enfans et ſur leurs maladies 486
Browall, Io. Aboae obiit 725
Bructero in monte factae ob-ſeruationes 304. 305
a Brunn, Io. Henr. Diſſ. ſi-ſtens experimenta quae-dam circa ligaturas ner-uorum

uorum in viuis animalibus inſtituta 432
Buffon Bononienſis Inſtituti ſocius factus 551
Burdigalenſis academiae ſcientiarum theſes et praemia 168
Burges Iames, account of the preparation and menagement neceſſary to Inoculation 153
Butter's, William, method of cure for the ſtone chiefly by Iniections 273

C.

Caeſaries 49
Calcis viuae aqua calculi remedium 274. 611. eius praeparatio 613. adhibendae methodus 613. 614
Calculi natura 615. per iniectionem curatio 274. e veſicula fellea extractio 478. 479. in veſica urinaria ab immiſſa acu geneſis 576. 577. calculi fellei deſcripti 689. 691. veſicae urinariae deſcripti 693
Caloris animalis diſquiſitio 425. cauſa externa et interna 426. gradus ſummus 427. circa ipſum facta experimenta 427. ſeqq.
Caluariae fractura 625
Camphorae vis antiſeptica 63. 64
Cancri quaſimodogeniti deſcriptio 311
Capillorum in foetu praeſentia et uſus 49
Capronae 49
Carcinoma 508. eius differentia et cauſſae 509. curatio 510. 511. exſtirpatio 510. remedium 263. ſeqq.
Cardiaca chinenſis, albis calycibus aculeatis, ſemine nigro Martini 203. 204
Cardialgiae hiſtoria 634. ſeq.
Caries oſſis femoris 95. 96
Carl, Ant. Ioſ. Profeſſor chemiae, botanices et materiae medicae Ingolſtadiae factus 165
Carnes et piſces in aqua calcis conſeruandi modus 329
Cartheuſer, Frid. Aug. elementa mineralogiae ſyſtematice diſpoſita 545
Caſſaua amara Surinamenſis 228. eius radicis ſpecies 230. venenata vis ibid. circa eam facta experimenta 231. ſeq.
Cataractae operatio per extractionem lentis 391. 401. 629. per depreſſionem facta 628
Caudiſonae ſerpentis deſcriptio 677
Cauterium an inſtrumento ſecante praeſtet? 497. 498
Cerebri idea 39. arteriae 205. ſeq. medullae ſtaminum et neruorum tenor naturalis 40. et morboſus 41. eius et animi communio 39
Chemnitz, Io. Hieron. Phyſicus Rantzouienſis factus 171
Chirurgicae et medicae obſeruationes 87. ſeq. 625
Choroideae oculi tunicae ortus 195. fabrica 523. et uſus 524

Cicindela marina, inſecti genus 580
Cicutae effectus venenoſi 689. lac antidotum 690
Cilia 50
Cincinni 50
Clematis Floridenſis, flore albo odoratiſſimo 459
Cocchii, Ant. Graecorum chirurgici libri 535
Coccionella 297
Cochleae auris humanae fabrica 525. uſus 526. cochlearum hiſtoria 603. ſtructura 604. 605
Colicae pictonum hiſtoriae 632. remedium alumen 634
Colli ſubluxatio vera 686
Collyrium Sloanii 701
Concharum anatiferarum origo 315. 316
de la Condamine Memoire ſur l'inoculation de la petite verole 159
Contagium in aere non eſt 268. 269
Conuulſiui motus rariores 692
Coralliorum quorundam deſcriptio 653. 654
Corallinae deſcriptio 389
Cordis foramen ouale apertum viſum 636. ſeq. 455. aneuryſma 684. eius ſigna 684. 685. polypus 576
Corporis reticularis Malpighii foueolae 454. et uſus ibid. in lingua 457. corpora incorrupta defunctorum 106. 107. 300
Crines 49
Cruſtata inſecta deponunt integumenta 311
Cryptae cuiusdam in Hibernia deſcriptio 395
Cucumerum in phthiſi uſus 87. 88
Cupreus fons in Hibernia 388. cum ipſo facta experimenta et obſeruationes 393. eius vires medicatae 393. cupreorum vaſorum ad cibos parandos noxius uſus 113
Cupri uſus internus nociuus 113. ferri in cuprum mutatio 388. 393. aerugini parandae aptum quale? 597
Cuticulae et cutis plicae 454. cum corpore reticulari nexus et differentia 453. uſus 454

D.

Degneri, Io. Hartm. Hiſtoria medica de dyſenteria bilioſo-contagioſa, cet. 267
Deligatio vulnerum crebra et rara 503. eius utilitas 503. 504. ſeq.
Delius, Henr. Frid. academiae ſcientiarum Monſpelienſis ſocius factus 163. 164
Dentium aberrationes 456. tartari in iis geneſis 491
Deriuatio ſanguinis 288. 277. veterum de illa ſententia 279
Diarrhoea ab acaris 299
van Doeveren, Gualt. Groningae profeſſor medicinae conſtitutus 164
Dracocephalum foliis ex lanceolato-linearibus, rarius dentatis, ſpinuloſis, floribus

floribus gemellis, Martini 204
Duntze, Arn. Diſſ. complectens experimenta varia, calorem animalem ſpectantia 425
Duodeni inteſtini anguſtia 700. 701
Dyſenteria bilioſo - contagioſa 267. epidemica 333. eius cauſſa et curatio 334. 335. remedia 269. ſeqq. vitrum antimonii ceratum remedium 76. ſeq. 335

E.

Echinites ſex radiorum 314
Eggfiſh, piſcis 61
Electricae obſeruationes et experimenta 326. ſeq. tempore tonitruum facta 187. quaeſtiones 402. bibliotheca 318
Electricitatis ex aere origo 402. 403. in corpus humanum et ad morbos curandos effectus 299. 300. 659. ſeqq. hiſtoria 316
Electrum veterum quid? 194
Elementa chymica 104
Embryo humanus eiusque inuolucra 458. ſeq.
Empyema pectoris rarum deſcriptum 687. ſeq. eius operatio feliciter ſuſcepta 397
Epilepſia electricitate curata 69
Erucarum hiſtoria 10. ſtructura 5. partes nouiter detectae 715. cornua emiſſilia 716. erucae aquaticae 26. geometrae 20. glabrae 10. hirſutae, tuberculatae 14. piloſae 17. ſemiuilloſae 18. ſpinoſae 18. 19. tineis ſimiles 25. in foliis agentes cuniculos 23. folia conuoluentes 22. gallarum gemmarum et radicum 25. ſecali infeſta 651. bardanae ſemina conglutinans 652. ſedi eiusque metamorphoſis 718. et papilio deſcriptus 719
Eryſipelas 347. eius differentia ibid.
Eſchenbach, *C. L. Chirurgie* 341
Eulerus, Io. Alb. ab academia ſcientiarum Petropolitana praemium accepit 722
Eulerus, Leonh. academiae ſcientiarum Pariſienſis ſocius factus 551

F.

Fabricii, Phil. Conr. *Sammlung einiger mediciniſcher Reſponſorum und Sections-Beriehte* 618
Femoris luxatio 541. ſeq. fractura 301. ſeq. caries 95. 96. ulcus absque inflammatione natum 669. ſeq.
Ferreorum vaſorum ad cibos parandos inuentor 111. praeſtantia 111. 112. circa uſum dubia ibid.
Ferrum natiuum 116. cauſa coloris coerulei 470. in ſanguine 469. eius in cuprum mutatio 388. 393
Fetus reſpiratio prima 641. an in vagina uteri? ibid. capillorum praeſentia et uſus

uſus 49. in partu ſuffocati hiſtoriae 637. ſeqq. in ore mucus 642. huius origo, natura, effectus ibid.
Fiſtulae faciei et oeſophagi 673. ſeqq. vaginae uteri 663. ſeq.
Flores hyeme producendi modus 72
Forficula vermis 108
Formicarum nigrarum cum luteis pugna 70
Formulae medicinales 29
Foſſilia corpora ſingularia deſcripta 390
Fracturarum ſigna 535. ſeqq.
Francofurtani doctores et profeſſores medicinae 353
Franklin's, Benj. new Experiments and Obſervations on Electricity made at Philadelphia in America. Part. III. 326
Fructus diu conſeruandi modus 73
Frumenti diu conſeruandi 472. et a paleis ſeparandi ratio 662
Fuci apum ſpecies 610
Fulguris effectus ſingulares 107
Fuliginis in agris emendandis uſus 63

G.

Gallarum deſcriptio 221. ſpecies 222. vermiculi ib. erucae 25
Gandebalae 50. ſeq.
Gautier tabularum anatomicarum editio altera 169
Gedanenſis ſocietatis naturae indagatorum origo et inſtituta 306. ſeq. aeris annique temporum conditio 309. 312
de Geer, Charles, Memoires pour ſervir à l'hiſtoire des Inſectes. Tom. I. 3. ſeqq.
Gemmas dignoſcendi ratio 578
Genitalium partium in infante mala conformatio 577
Gentleman's Magazin for the year 1752 and 1753 56
Gerdil, Diſſ. ſur l'incompatibilité de l'attraction et de ſes differentes loix, cet. 320
Gesner, Car. Phil. medicus aulicus Dreſdam vocatus 163
Geſticulatoris viſcera morboſa 679. ſeq.
Gitta Gambir nouum dyſenteriae remedium 272
Glaciei elaſticitas 482
Gleditſch, Io. Gottl. notatus et defenſus 65. ſeq.
Gmelin, Io. Ge. vita 729. 730. ſcripta 735 ſeqq. et obitus 552. 735
Gmelin, Phil. Frid. profeſſor botanices et chemiae ordinarius Tubingae conſtitutus 553. 724
γόμφωσις, partus cum inclauato capite 704. eius ſpecies 705. curatio 704. 706
de Gorter, Io. Formulae medicinales 29
de Gorter, Io. et Dauid, archiatri Imperatricis Ruſſorum conſtituti 162
Gottingenſis Societatis regiae ſcientiarum commentarii

tarii Tom. III. 193. theſis oeconomica 166. medica 167
Gradatoriorum aedificiorum in coquendo ſale uſus 482. ſeqq.
S' Graeuwen, Paul. Harderouici profeſſor medicinae conſtitutus 162
Grainger, Iac. hiſtoria febris anomalae batauae annorum 1746. 47. 48. 234
Grashuis, Io. tentaminis de colica pictonum appendix 632. de facili luem veneream curandi methodo 80

H.

Haemoptyſin curandi ratio ſingularis 59
Haemorrhagia auris ſignum laeſi cerebri dubium 690. ad eam ſiſtendam agaricus quernus 630. ſeq.
Haenel, Chriſtian. Henr. Regis Poloniae Archiater et conſiliarius aulicus factus 354
de Haller, Albert. Iconum anatomicarum faſciculus VII. 205. diſputationes chirurgicae ſelectae Tom. I et II. 710. ſeq. academiae ſcientiarum Pariſinae membrum factum 163
Hamberger, Ge. Ehrh. Ienae obiit 553
Hamburgiſches Magazin XII *Band* 106. XIII *und* XIV. *Band* 468
Harlemenſis ſocietatis ſcientiarum protector Princeps Auraüſienſis 166
Hartramfftii, Io. Valent. vita et obitus 725. ſeqq.
van Haſtenbourg, Henr. Harderouici profeſſor medicinae conſtitutus 162
Helmſtadienſes doctores et profeſſores medicinae 353
Heluetius, Io. Claud. Adrian. Principia phyſico-medica Tom. I et II. 99. Pariſiis obiit 553
Hepatis ſitus peruerſus 679
Herberti, Henr. Nic. Diſſ. de caſſauae amarae Surinamenſis radice 228
Hermaphroditi deſcriptio 584. 709
Herpeta 463. eorum claſſes ibid.
Hiſtoire de l'academie royale des ſciences â Paris, ann. 1750. 573
Holmienſis academiae ſcientiarum theſis et praemium 550
Hundertmark, Car. Frid. ſocietatis ſcientiarum Londinenſis ſocius factus 551
Hyacinthum tuberoſum indicum 470
Hydrocharis planta 203
Hydrophobiae remedium 57. 72
Hydrops ſquilla curatus 688
Hymen vaginam uteri claudens 680
Hypochondriacorum ſymptomata 480
Hyſtericum malum electricitatis ope perſanatum 318. ſeq.

I.

Iacobi, Chriſt. Godofr. a ſocietate ſcientiarum Gottingen-

tingenſi praemium retulit 723
Ichneumones erucarum hoſtes 27. eorum ſpecies ibid.
Incendium pulueris pyrii ope exſtinguendum 308. 359
Infanticidium 619. ſeq. eius ſigna dubia 639
Infantis recens nati cutis inflammata 487. educatio medica 486. ſeqq. nutritio 488. alimentum optimum eſt lac ibid. et pulticulae 489. ablactatio 490. pubertas 491. morbi 492. longitudo et pondus 201. aqua ſubmerſi deſcriptio 56
Inflammationis ſigna 346. diuiſio 347. ſedes 289. cauſae 346. ſeq. curatio 349
Ingolſtadienſes profeſſores medicinae 165
Inoculatio variolarum *vid.* variolae.
Inſectorum 215. ſeqq. lucentium in Italia 579. ſub niue repertorum 575. ex corpore humano excretorum deſcriptio 649. ſeq. ab ipſis aquae marinae ſplendor 580
Inteſtinorum inflammatio ab eſu nucum iuglandium 57 ſeq.
Iſchiadici mali curandi methodus ſingularis 58. 59
Iſchuriae diuturnae cauſa 686. curatio 685
de Iuſti, Io. Henr. Gottlob, Commiſſarius politiae Gottingae factus 724

K.

Karakatiza, aranea marina 693
Kies, Io. Tubingae profeſſor phyſices et mathematum conſtitutus 162. ſeq.
Kiesling, Chriſtian. Gotthilf. Diſſ. uterum poſt partum inflammatum ſiſtens 52. ſeqq.
Kirckpatrick, I. Analyſis of inoculation 125
Klein, Iac. Theod. tentamen herpetologiae 462
Kloekhof, Corn. Alb. de morbis animi ab infirmato tenore medullae cerebri 38
Kniphof, Io. Hieron. Diſſ. de pilorum uſu 47
Kongl. Suenska Vetenskaps Academiens Handlingar foer aor 1752. Vol. XIII. 644
Külbel, Io. Adam. Koenigſteinii obiit 169. eius ſcripta et merita 169. 170

L.

Lac infantis alimentum optimum 488 ſeq. cicutae antidotum 690. eius in phthiſi uſus dubius 419. aſinini in lepra uſus 62
Lacus, in quo natantes inſulae viſae 580. ſeq.
Lambergen, Tiber. Groningae profeſſor medicinae conſtitutus 164. eius lectio ſiſtens ephemeridem perſanati carcinomatis 261

Lapis

Lapis aquae innatans 574
Lauri partum iuuandi virtus 74
Lepores albi Liuoniae 682
Leprae ſuum remedium 73
Leuchſenring, Io. Ludou. Diſſ. de fonte medicato Niderbronnenſi 117
Lewis a ſocietate ſcientiarum Londinenſi praemium accepit 356
Libra chinenſis argentaria 313
Lidbeck, Eric. Guſtau. Holmienſis academiae ſcientiarum ſocius factus 550
Lieberkühn, Io. Nathan. Holmienſis academiae ſcientiarum ſocius factus 550
Lien calloſus et triplo maior 90
Ligamenta ciliaria oculi 523. eorum uſus 524
Liger, Charles Louis, traité de la Goutte 439
Lignum foſſile deſcriptum 574
Limonia ſcorbuti remedia 250. ſeq. ſucci eorum praeparatio ibid.
Lind's, Iames, treatiſe of the ſcurvy 238
Linguae humanae papillarum differentia 456. et fabrica 457. paralyſis electricitate curata 73
Linnaeus, Car. Madritum vocatus 552
Lithontriptica maſſa 59. eius praeparatio et uſus 60
Lithotomiae celſianae uſus 680
Locuſtae arabum cibus 652. ſeq.
Loeſeke, Io. Lud. Leberecht. obſeruationes anatomico-chirurgico-medicae 531
Luminis perpetui materies qualis? 116
Luxatio 350. eius diuiſio, cauſa, curatio 350. ſeq.

M.

de Macclesfield, Ge. academiae ſcientiarum Pariſinae ſocius factus 551
Maffeus, Scipio, Veronae obiit 358
Magnetis vis fortior unde? 481
Mammarum cancer 510. eius differentia, cauſae, therapia 511. ſanati hiſtoria 261. ſeq.
Manetti, Xauer. ſocietatis ſcientiarum Gottingenſis Correſpondens factus 550. ſeq.
Mangoſtan cortex dyſenteriae remedium 273
Marburgenſis academiae doctores et profeſſores medicinae 161
Marinorum corporum in terra continente origo 197
Marmor Noribergenſe 115
Matthiae, Ge. profeſſor medicinae extraordinarius Gottingae conſtitutus 552. 724
Mays in America colendi ratio et uſus 645. ut alimentum 646. ut remedium 647

Mead,

Mead, Rich. vita 171. ſcripta 177. obitus ibid.
Meconii origo 640. neceſſaria euacuatio 488
Medicae obſeruationes 87. ſeqq.
Medicamenta reſoluentia 516. eorum differentia et operandi ratio 517. 518. et effectus 519. repellentia 512. 515. eorum claſſes ibid. operandi ratio 513. uſus et noxa 513. 514. adſtringentium in colica pictonum uſus 633. ſeq. dilatantium in vulneribus commoda et noxa 500. 502
Medicinae deſcriptio et diuiſio 100. a phyſica diſcrimen 99
Medullae cerebri fabrica et uſus 39. nexus ac actio ibid.
Mercurii noxas auertendi ratio 66
Metalli pondus igne non augetur 574. noui deſcriptio 666
Meteorologicae obſeruationes 193. 297. 653. Gedani factae 309. ſeq.
Mineralium diſpoſitio ſyſtematica 545
Moguntina academia ſcientiarum Erfordiae condita eſt 357. ſeq.
Monorchidis impotentia dubia 620
Monſpelienſes doctores et profeſſores medicinae 721
Montes Islandiae glaciales 468. eorum origo 469. 471. et motus 471. 472. igniuomorum effectus 581
Morand Holmienſis academiae ſcientiarum ſocius factus 550
Morbi epidemici Catalauni 333. Neracenſes 420. ſeqq. Pariſienſes 590. ſeq. Vratislauienſes anni 1737. 693. horum cauſae occaſionales 694. ſymptomata 695. aqua remedium 695. curatio ibid. variorum obſeruationes 419. electricitate curati 659. ſeqq. boum 602. ouium 658
du Moulin Pariſiis obiit 358. ſeq.
Mucilago humorum cauſa arthritidis 441. huius cauſa 442. ſeq. differentia ibid. indoles 446
Mucus in ore fetus 642. eius origo, natura, effectus ibid. viridis pratorum deſcriptus 402. ſeq.
Mus aegyptiacus, pedibus poſticis longiſſimis 654
Muſculorum motum iuuant pili 49. varietates obſeruatae 683. eorum oculi origo 196. intercoſtales an oſſeſcant? 313
Muzell, Frid. Herm. Ludw. *mediciniſche und chirurgiſche Wahrnehmungen; erſte Sammlung* 87
Mylii, Chriſtlob, vita 295. ſcripta et obitus 296. ſeq.
Myrrhae extractum aquoſum 409. eius praeparatio ibid.
Myſtax 50

N. Na-

N.

Natrum veterum quid? 586
Naturae Curioſorum Academiae Bibliotheca phyſica 702. Acta phyſico-medica Vol. X. 678
Navier Diſſ. ſur pluſieurs maladies populaires, qui ont regné à Chalons-ſur-Marne etc. 333
Nerui canales caui 434. eorum tenor naturalis et morboſus 40. 41. cum medulla cerebri nexus et actio 39. liquidum eiusque indoles qualis 435. vis nutriens dubia 433. ligaturae brachialium 432. iſchiadici 433. et vagi in viuis animalibus effectus 436. acuſtici deſcriptio 532. optici ſitus, directio, in bulbum oculi inſertio 194. 195. intercoſtalis origo 527. diſtributio 528. uſus 530
Niderbronnenſis fontis deſcriptio 118. origo 119. grauitas ſpecifica, ſapor 120. ſpiritus 121. principia 123. in corpus humanum effectus 123. 124. cum ipſo facta experimenta 122. ſeq.
Nutricis regimen 489

O.

Obermayr, Bernh. profeſſor anatomiae et chirurgiae Ingolſtadiae conſtitutus 165
Oculi muſculorum origo 196. tunicarum geneſis 195. vaſa 525. arteriae 209. earum diſtributio 210. 211. nerui ſitus, directio, in bulbum inſertio 194. ſeq. ligamenta ciliaria 523. eorum uſus 524. morbi 352
Odontalgia electricitate curata 676
Oeconomiſch - phyſicaliſche Abhandlungen VII. *und* VIII. *Theil* 600
Oedematis curatio 496
Omenti in ſcrotum deſcenſus 670. 671
Opii in inflammatione uſus 348. 349
Opticum tentamen de triplici viſione 312
Oſſium fragilitas ſingularis 398. eius cauſa 399. diſtorſio et emollitio ſingularis 384. tabulae et deſcriptio 460. ſeq. circa morbos cautelae 96. ſeq. e terra effoſſi deſcriptio 478
Ouarii hydrops ſaccatus 622. ſeq. ſcirrhus 576
Oues anglicae in Suecia 658
Ouorum ſpuriorum diſquiſitio 600. geneſis 601

P.

Palmae dactyliferae foecundatio 298. 299
Papilionum hiſtoria 6. 10. ſtructura 6. 8. 9. ſtigmata 7. partes genitales 8. partes

tes nouiter deteƈtae 715. ſpecies 10
Paralyſis electricitate curata 69. 73
Pariſinae academiae chirurgorum theſis et praemium 356. ſeq. quaeſtiones medicae 329. ſeqq.
παροχέτευσις, deriuatio ſanguinis 280
Pediculorum foliis inſidentium generatio 314. 315
Penna marina alba et rubens 459
Perinaei fiſtula 98
Peſſarii uterini noxa 663
Peterſen, Henr. Frid. Altenauiae obiit 170
Petropolitanae academiae ſcientiarum theſis et praemium 722. ſeq.
Phalaena ſeticornis, ſpirilinguis, faſciculata, alis depreſſis, griſeo fuſcis, ſtriatis, A. latino inſcriptis 651
Phialae vitreae cur diſſiliant ab iniecto ſilice? 699. 700
Philoſophical Transactions Vol. XLVIII. Part. I. 383
Phlegmones euentus diuerſi 496
Pholades concharum genus 315
Phthiſis 89. 411. neruoſa ibid. huius cauſae et curatio 414. pulmonalis a tuberculis 415. huius cauſae 416. ſeq. curatio ibid. eadem ab ulceribus 418. huius cauſae et curatio 418. 419. in ipſa lactis uſus dubius 419. vaporum medicatorum 88. et cucumerum in eadem uſus 87. 88
Phyſicaliſche Beluſtigungen 24 Stück 295
Phyſicam inter et medicinam differentiae 99. ſeq.
Piae matris arteriae 455
Pilorum uſus 47. generalis 48. ſeq. ſpecialis 51. in erucis fabrica 15
Piſces et carnes in aqua calcis conſeruandi modus 392
Pix liquida Norwegica et Thuringica 697. utriuſque examen chemicum 697. 698
Placentae cum utero grauido communicatio 199. ſeq.
Plantarum glandulae 587. harum uſus in definiendis generibus 587. ſeqq. 594. ſeqq. faſciatae 521. noua coreopſidi affinis planta 204
Platina del Pinto, nouum metallum 355. eius deſcriptio 666. ſeqq.
Plaz, Ant. Guil. phyſiologiae profeſſionem adiit 163
Polypi aggregati deſcriptio 399. 400
Ponderum medicorum diuerſitas unde? 316. eam detegendi modus 317
Pulmonum in aqua deſcenſus infanticidii ſignum dubium 639. vulneris hiſtoria 89. 90. phthiſis 415. ſeqq. ſiniſter pulmo totus conſumtus viſus 688

Pulueris

Pulueris pyrii ope exſtinguendum incendium 308. 309
Puteolanae fodinae deſcriptio 583

R.

Raulin, Ioſeph. Obſeruations de medecine 410
Recti inteſtini morboſa dilatatio 575. eius cauſa et effectus 575. 576
Recueil des pieces, qui ont concouru pour le prix de l'academie royale de Chirurgie Tom. I. 494
Reſpiratio prima in fetu explicata 641
Retinae vaſa 454. origo 195
Reuulſionis doctrina 277. ſeq. 288. veterum de illa ſententia 279
Rhabarbari deſcriptio 681. 682
Rideſelio - auimontani agri deſcriptio 696. 697
Roederer, Io. Ge. obſeruationum medicarum de ſuffocatis ſatura 636
Roeſels, Auguſt. Ioh. *Inſecten - Beluſtigungen* 215
le Roi, Paul. an a diuerſa virus ſcorbutici indole et ſede morbi diuerſi? 258
Roloff, Chriſtian. Ludov. academiae ſcientiarum Berolinenſis ſocius factus 725
Romae conditio medicinae reformata 357
Ros melleus 474. eius origo 475. effectus 476
van Roſſum profeſſor anatomiae Louanii factus 162
Roſtochienſes doctores et profeſſores medicinae 547
van Royen, Adrian. Lugduni Batav. profeſſionem botanices ſponte poſuit 162
Rubiae tinctorum radicis effectus 534

S.

Salab radix dyſenteriae remedium 269. 270. fructus eſſe perhibetur 270
Salchow, Ulric. Chriſt. ab academia ſcientiarum Petropolitana praemium accepit 722
Salium claſſes 104. geneſis ibid. in emendandis agris uſus 65. marini ſalis abuſus cauſa ſcorbuti dubia 243. ex tartaro parandi methodus noua 70. 71
Salmonum coitus et generatio 655. 656. condiendi eos modus 653
Sanguinis motus progreſſiui reſiſtentiae 281
Sapo goſſypio dealbando aptus 651
Sarcocele 671. ligatura exſtirpatur 672
de Sauvages, academiae ſcientiarum Berolinenſis ſocius factus 355
Scapulae acetabulum nouum 531

Scari-

Scarifatio hydropis remedium 58
Scarlatina febris epidemica gangraenoſa 337. eius ſymptomata 338. cauſae 339. curatio 339. 340
Schaeffer, Iac. Chriſtian. *Neuentdeckte Theile an Raupen und Zweyfaltern* 715
Schmiedelii, Caſim. Chriſt. Diſſ. qua quaedam de neruo intercoſtali notantur 527
Schulzens, Chriſtian. Friedr. *Verſuche mit verſchiedenen Saechſiſchen Erd-Arten* 707
Schulzii, Io. Henr. Praelectiones in diſpenſatorium Brandenburgicum 404
Scirpi cultura 661
Scirrhi rarioris deſcriptio 483. 484
Scleroticae tunicae origo 195
Scolopendra marina inſecti genus 580
Scorbuti deſcriptio 238. 255. 256. 259. 260. differentiae 242. cauſae 243. 244. 255. 256. ſigna diagnoſtica 246. prognoſtica 248. prophylaxis 249. curatio 252. palliatiua 253. 254. de eo ſcriptores 240. ſeq.
Scriptorum phyſico - medicorum indicis ſupplementum anni 1751. 179. 1752. 181. 1753. 185. 359. index anni 1754. 361. huius continuatio 554. 738
de Segner, Io. Andr. Halam vocatus profeſſor phyſices 354
Senex ſalax 693
Sepultura in templis prohibita 332
Simarubae cortex dyſenteriae remedium 269
Sinuum frontalium fabrica 455
Sirejean Obſeruation ſur une hydropiſie enkiſtée de l'ovaire gauche 622
Sirkes, oppidi lotharingici inundatio 573
Spiritus vini deſiderium morboſum 304
Sphondylium Gmelini in dubium vocatur 391
Spongia haemorrhagiae gingiuarum remedium 91
Sputatio virginum menſtruatarum frequens 683
Squillae effectus ſingulares 688
de Steinmetzen, Io. Henr. Erfordiae obiit 358
Stenhuys, Ludolph. Groningae lector medicinae et profeſſor anatomicus conſtitutus 165
Stratiotes Linnaei deſcriptio 202
Stroeuer, Io. Lud. a ſocietate ſcientiarum Gottingenſi praemium retulit 723
Stuttgardienſis ſocietatis phyſico - oeconomicae inſtitutum, theſes et praemia 548. 549
Suecicae academiae regiae ſcientiarum acta anni 1752. Vol. XIII. 644

Supercilia 50
Suppurationis differentia 495
Surditas electricitate curata 677

T.

Tack, Io. Specimen obſtetricium de partu difficili capite infantis praeuio 704
Taeniae in corpore humano geneſis dubia 467
Tali fractura dubia 538
Tartari tartariſati in melancholia uſus 92. ſeqq. ſal praeparandi methodus noua 70. ſeq.
Tenor ſolidarum corporis partium naturalis 40. ſtaminum medullae cerebri ibid. huncce infirmantes cauſae 43
Terra coerulea Eccardsbergae effoſſa 683. variarum ſub ſpeculo cauſtico examen 707. ſeq.
Thermae Zipſenſes 108. Truſchbacenſis et Rauſchenbacenſis 109. earum tophus 110
Thermometricae obſeruationes in mari factae 303
Tillet ab academia ſcientiarum Burdigalenſi praemium accepit 168
Tilling, Io. Chriſtian. Lipſiae profeſſor medicinae extraordinarius factus 355
Toloſanae academiae ſcientiarum theſis 167. 168
Topicorum in arthritide noxa 449
Trepanatio in fracta calua 626. in eius ſuturis 627. in oſſe occipitis facta ibid.
Treyling Ingolſtadii profeſſor praxeos factus 165
Tubi capillares 323. liquorum in iis aſcenſus 324. ſeq.
Tubingenſes doctores et profeſſores medicinae 720
Tumorum differentia 506. 508. cauſae 509. claſſes 497. 499. curatio 495. 497
Turundarum in vulneribus commoda et incommoda 500. 502
Tympani membrana duplex 533

V.

Vaporum medicatorum in phthiſi uſus 88
Variolae epidemicae 336. earum cauſa externa prima 126. ſeq. et interna 128. ſeq. contagii per nares ſuſceptio 126. 132. progreſſus et operatio 131. 132. infectio humoralis et neruoſa ibid. primaria et translatoria 135. per contactum 63. per inoculationem 125. huiusce methodi 68. 142. per inciſionem ibid. per frictionem 143. et fonticulos ibid. ad eandem apta ſubiecta 145. aetas et tempus ibid. ei praemittenda praeparatio 148. 154. materiae varioloſae ad hancce ſelectus 140. 141.

141. minus periculoſa eſt ipſa 137. 138. et veras dat variolas 136. circa eamdem obſeruationes 67. 68. variolae ſecundariae 129. 130. earum curatio 337
Veneream luem ſolis decoctis curandi methodus 80. ſeq.
Venae ſectionis effectus 282. uſus particularis 284. in hydrophobia efficacia 57
Ventilatorum Haleſianorum effectus ſingulares 386
Ventriculi ſitus peruerſus 700. 701
Vermis herpetorum ordo 463. eorum claſſes 466. in infantibus geneſis 493. de iis obſeruata 534
Vermis leo inſecti genus 659. eius transformatio 665
Verſuche und Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Danzig. 2 Theil 305
Vertebrarum fracturae dubiae 537
Veſpae gallarum 222. earum ſpecies 222. 223
Veſuuii montis deſcriptio 581. 582
Vibriſſae 50
de la Vigne, Claud. de Frecheville, Archiater Reginae Gallorum factus 553
Vinum aerugini parandae aptum 598. arthritidis cauſa 441. ſeq.
Vipera anguium genus 463, dentium eius deſcriptio 463. 464
Viride aeris 596. eius praeparatio 597. 598. natura partiumque conſtituentium proportio 599
Vlcerum artificialium utilitas 286. 287
Vnzeri, I. A. de taeniis obſeruatio 467
Vortex in Hibernia obſeruatus 383
Vrachus in adultis peruius 454
Vrethrae caruncula curata 91. 92
Vrinae fluxus per umbilicum 302
Vteri cum placenta communicatio 199. 200. huius vaſa 458. arteriae 455. illius inflammatio 52. eiusdem differentiae et cauſae 52. 53. ſymptomata ut ſigna 54. et euentus 54. 55
Vulnus 350 deligationis eius utilitas 503. 504. a ſclopetis inflictorum differentia et curatio 507. 508. turundarum in iis uſus et noxa 500. 502

W.

Wagner, Petr. Chriſtian. Monſpelienſis ſocietatis ſcientiarum correſpondens factus 551
Warner's, Ioſeph. Caſes in Surgery with remarks 625
Watts, Giles, Diſſ. on the ancient and noted doctrine of revulſion and derivation 277. ſeqq.
Whytt's, Robert. Eſſay on the

the Lime-Water in the cure of the ſtone 611
Wittebergenſes doctores et profeſſores medicinae 161
de Wolter, ordinis medicorum Ingolſtadienſis Praefectus 165

Z.

Zinn, Io. Gottfr. Gottingae profeſſor medicinae ordinarius factus 354. eius obſeruationes botanicae et anatomicae 521

Emendanda:

Pag. 17. lin. 31. 32. ex alba luteola *lege* ex albo luteola p. 29. l. 9. quando *l.* quanto ibid. l. 25. plruimas *l.* plurimas p. 37. l. 25. concinandi *l.* concinnandi p. 39. l. 21. ſpriritus *l.* ſpiritus. p. 54. l. 1. varias *l.* variis p. 141. l. 22. morho *l.* morbo p. 143. l. 3. natutli *l.* naturali p. 153. l. 19. praepatatione *l.* praeparatione p. 178. l. 10. licer *l.* liber l. 20. Haler *l.* Haller p. 196. l. 15. matre *l.* matris p. 202. lin. ult. poterunt *l.* potuerunt p. 207. l. 1. prafunda *l.* profunda p. 284. l. 35. notis *l.* nobis l. ult. poro *l.* porro p. 304. l. 6. XXIII. *l.* XXIV. p. 402. l. 25. eos *l.* eas. l. 26. electricis *l.* electricas p. 426. l. 1. quarum *l.* quorum. p. 478. l. 7. illus *l.* illius p. 500. l. 1. trigceſimo *l.* triceſimo p. 506. l. 25. tumorem *l.* tumorum p. 521. l. 27. laxuriantia *l.* luxuriantia. p. 540. l. 13. HESYCHSVS *l.* HESYCHIVS p. 558. l. 10. Geroge *l.* George p. 592. l. 22. praecipuae *l.* praecipue p. 712. l. 22. papillae *l.* pupillae.

Praeter ea notamus adhuc, litteris publicis in errorem ſatis grauem ſeductos nos fuiſſe, quo Cl. IO. IACOB. SORBER, qui Iuris peritorum ordini intereſt in Academia *Marburgenſi*, inter Profeſſores eiusdem uniuerſitatis Medicos retulimus Vol. III. P. IV. p. 729. et huius Vol. IV. P. I. p. 161.